CONSTANTINI FRANCISCI DE CAUZ
IN ACADEMIA ROBORETANA QUIRINI

DE CULTIBUS MAGICIS

EORUMQUE PERPETUO
AD ECCLESIAM ET REMPUBLICAM HABITU

LIBRI DUO

Quibus multa Juris Auctorumque veterum loca male hactenus intellecta vindicantur, simul Jurisprudentia Legislatoria illustratur.

EDITIO II. AUCTA ET EMENDATA.



VINDOBONAE MDCCLXXI.
LITERIS TRATTNERIANIS.

Venit ad insigne boni pastoris in platea scholarium.

MÁSODLAT
A M. N. MUZEUMI
SZÉCH. ORSZ.
KÖNYVTÁRBÓL

Ex
Bibl. Com.
F. Széché
nyi.

~~7440 C 463~~
A. 4984.
BK

CORNELL UNIVERSITY
The
President White
Library
RECEIVED 1891.

PROLOGUS
LECTORI BENEVOLO.

Ex quo genus illud ſcriptorum, quos dæmonographos vocamus, pervolvere incepi, infinitasque eorum offucias, atque errores peſſimos intelligere potui, quibus humanum paſcere intellectum, ac omnes confundere ſcientias amant, immo ipſi Chriſtianæ Relligioni longe ſanctiſſimæ, dum diaboli Monarchiam quamdam inducunt, inſidias ſtruere videntur, ab eo inde tempore continuo ſortem deploravi eorum hominum, qui præſidium ſuæ ſcientiæ in illis collocarent, atque in communem errorum gurgitem abriperentur. Atque eo magis indolui, quum conſiderarem non facile aut expeditum iter eſſe ex eo eluctandi Labyrintho, quem omnibus Theologiæ ſcholaſticæ nævis, Philoſophiæ, ac medicinæ ſectariæ multifariis aberrationibus, phyſicæ tam ſero cultæ ludibriis, Jurisprudentiæ Gloſſatorum opprobriis memorati ſcriptores adeo muniverint, atque vallaverint, ut ſi quis has merces lynceis dignoſcere oculis, ſingula errorum cubilia certo pede veſtigare, arenam ſine calce detegere, radices opinionum ſtultiſſimarum amputare ac ſingula prope vocabula in omnem verſare

)(2

partem non a teneris adſueverit, didicerit, næ is hoc ſub architectato ignorantiæ; ac præjudiciorum ſyſtemate ſuccumbere, aut onus, ſi quidem victas nolit præbere manus, quocumque illætabili modo declinare neceſſe habeat. Et quis vero hæc ipſa præſtabit, niſi induſtria pertinaci animoque ferreo & obſtinato adhibito augiæ hoc ſtabulum repurgandi? Videas enim paſſim homines his rationis humanæ abortibus, his præjudiciis totos immerſos, qui gravia priorum temporum errata tueantur, ac turpe putent,

Quæ juvenes didicere ſenes perdenda fateri.

Qui quidem, ut dixi, habent excuſationem ab ipſa materiæ difficultate deſumtam, quæ non niſi circumſtantiis, & conditionibus vitæ humanæ favorabilibus in unum conſpirantibus ſuperabilis eſt, atque ingenium ſcientiis & rerum mundanarum cognitione ſubactum, Relligionis veræ tenax, præjudiciorum autem & ſuperſtitionum furiis ſe totum intrepide objiciens, flexile, capax, docile requirit, laboriſque nullius impatiens. Ego amore humani generis, qui & ipſe magna pars eſt juſtitiæ, illectus magnum hunc ſuſcepi laborem, quem non unius anni ſed multorum ſpatio cudere poſtque devorata tædia ingentia polire oportuit, ut tibi nunc tandem benevole Lector inſignem divinæ humanæque ſapientiæ particulam ab abſurdis Dæmonographorum commentis perpurgatam offerre

fustineam, tuamque adprobationem mihi prolixe polliceri non verear. In qua quidem tibi offerenda moduli, quo me metiri debeam; probe conscius non jactito eas ingenii, aut fortunæ dotes, quas paullo ante requisivi, sed aliqua me ingenio, plurima diligentiæ pervicaci, multa fortunæ nonnulli me debere tute ipse colliges. Suscepi vero elucubrationem arduam, ac multiplicem meo ipsius, id quod alii criminabuntur, cum dispendio, quod ejus temporis intervallo περιστάσεις meas meliores reddere, seculi injurias emollire, amicos parare, crumenæ, & propriæ utilitati studere potuissem. Ego tamen hæc singula, in quo me forte alii laudabunt, felicitati humani generis posthabui, cui nunc etiam in terris nostris incumbere licet AUGUSTÆ DOMINÆ consiliis, quæ hostes corporum, & salutis publicæ, qualia in retroactorum seculorum Regibus divulsæ velut partes deprehensa ac laudata fuerunt, debellasse non contenta, sed præsentibus juxta cum futuris prospiciens, omnibusque aliorum populorum Rectoribus exemplum, quod illi lubentes imitentur, præiens, barbariem ignorantiam superstitionem a singulorum mentibus depulsam, virtutes insertas vult, ut ita juxta SEPTIM. SEVERUM, sed quam SEVERO humanior! CONSERVATRIX non PACIS dumtaxat, sed artium, quibus pacis commoda efflorescunt, cum PIO AMPLIATRIX non modo CI-

VIVM ſed omnium liberalium paſſim ingeniorum, cum HONORIO non modo TRIUMFATRIX GENTIUM, ſed rectius MENTIUM BARBARARUM, & quam lætior hic illo altero triumfus eſt! auditura, atque ab illa FELIX TEMPORUM REPARATIO inchoanda ſit. Quamprimum autem huic me accinxi operi, id negotii mihi datum putavi, ut certa ad meam directionem principia mihi ſeligerem, quibus in vaſto opinionum oceano frequentes evitare ſcopulos liceret, ac tandem ſuperatis periculis feliciter enavigare. Rident hodie multi ea, quæ Magiæ adſcribuntur; ita tamen, ut ſimul, ſi paullo intricatior ipſis viſa ſpecies occurrat, vix ſit, ut non in veterum judicum dictamina illabantur, qui ſi inſuper tot vix numerabiles a viris alias non ineptis collectos audirent libellos, ſi tribunalia olim omnia his affaniis oppleta, ſi tam multos homines præjudiciis his tentos perciperent, næ tandem quod antea ridebant, tam numeroſis auctoritatibus conſternati ultro amplecterentur, cur? quod principia non habeant, vel vacillantia adſumſerint. Unde etiam illud conſit, quod quamvis ejusmodi opiniones, ab aliqua parte hominum, quota ſit, non judico, explodantur, carnificina hominum inde reſultans paullisper intermittatur, nemo tamen vadimonium præſtare pnteſt, quod eæ opiniones nunc aliquantiſper ſub cineribus latentes non aliquando iterum in

flammas, hominumque macellum erupturæ ſint, quod & eædem non adeo multis abinde ſeculis cachinnis propinarentur, rurſus tamen familiam ducere juſſæ fuerint. Quum itaque omnia in principiis ſita ſint, nec ego cuncta plebis narrata refutare in animum induxi, ſed argumenta pauca ſuppeditavi, quibus erecta quævis ingenia ad oppoſita confutanda utantur, fulcra præbui, quibus vacillans hominum animus ſuſtentari queat, radiceſque, quibus opinamenta talia hucuſque hæſerunt, præſcindere ſtudui, quibus, qui dociles ſunt, ſatis habeant ad cetera pervidenda. Si tamen

Quis defendere delictum quam vertere mallet,
Nullum ultra verbum, aut operam ſumemus inanem;
Quin ſine rivali ſeque, & ſua ſolus amabit.

HOR. *art. poët. v.* 442.

Verum & in principiis ſtabiliendis occupatus perfacile vidi me a plerisque auctoribus deſeri, proprioque me marte in hoc ſtadio decurrere debere. Quod ut penitius intelligas, hiſtoriam breviter auctorum præcipuorum, quam in ipſo opere plenius percipies, hoc loco texere oportet. Poſt duo jam elapſa ab introductis proceſſibus magicis ſecula, nam primus hujusmodi proceſſus circa 1350. formatus reperitur, Jo. WIERUS Juliæ, & Cliviæ tunc Ducis Archiater feminis aliquibus a mente dejectis conſulturus primus exſculpſit diſcrimen

inter magos, & sagas, quæ tamen differentia, licet post viginti quatuor fere annos a GODELMANNO Professore jurium Rostochiensi commendata, Magistratus adeo a sua exequendi ratione non dimovit, ut ii nullum fundamentum hujus sententiæ perspicientes atque in cooperatione diaboli viris & feminis communi adquiescentes suam illam praxim haudquaquam desererent. Successit MARTINUS DELRIUS S. J. qui vastam suam eruditionem, opesque omnes eo contulit, ut Magistratus in præjudiciis haustis confirmaret. His tam gravibus malis triginta circiter post Delrium annis P. FRIDERICUS SPEE itidem S. J. Theologus intercessit, qui quod numerosis mulieribus ad rogum damnatis adstitisset conscientiæ director, atque cum incarceratis perpetuo egisset magna auctoritate munitus graviter hortabatur principes, ne Delrio aliisque ejus generis scriptoribus fiderent, processusque hos vanis fundamentis innixos probe examinari jubeant, si innocentium saluti velint consulere. Magna certe tanti Theologi rerum ipsarum argumentis instructi auctoritas esse debebat, quæ tamen in summo præjudiciorum vigore nihil effecit, quam ut pauci quidam principes in suis territoriis processus hos abolerent. Interim DD. Legibus romanis non intellectis mire occupati illo quasi in ventos locuto, atque surdis narrante fabulam strenue pergebant suas praxes criminales, suas criminum publicorum exegeses

mon-

monstruosis illis procedendi rationibus instruere & exornare, atque Legislatores denuo inducere, ut in sagas & Magos sævirent. Ita post tria, & quod excurrit, secula in infinita quodammodo his de rebus scriptorum turba ad primam illam infelicem epocham recidimus. Seculi currentis initio CHRISTIANUS THOMASIUS Professor jurium Halensis homines e veterno excitare instituit, sed ut erat ingenio instabili, rem non eo, quo potuisset, ardore adgressus est, etiam in Catholicos, a quibus tamen & R. P. Speo præcipue lumina sua mutuavit, injurius. Neque tamen etiam inter suos aliquid promovit teste J. Ern. FLOERKIO, qui 1721. in 4. Jenæ librum *de Crimine conjurationis spirituum* mole trium Alphabetorum edidit, in quo omnia *e principiis veris, & genuinis philosophicis atque juridicis nec non fontibus historicis deducta esse* pollicetur, atque aliqua meliora quidem ceteris habet, sed antiquis Carpzovianis erroribus iterum captus ex antiquis, & novis fanaticis ita solenni Dæmonographorum more cuncta miscet, ut eum legendo multo incertior sis quam dudum. HIER. TARTAROTTUS Acad. Roboretanæ socius deinde 1748. occasione mulierum aliquarum sagarum nomine combustarum librum *de Nocturno Lamiarum congressu* vulgavit reassumta Godelmanni Wieriique distinctione, quæ tamen futilis statim deprehensa est. Refutavit eum ex professo, qui se in Advocatum ratio-

nis humanæ erexit, ILL. SCIPIO MAFFEUS Epiſtola italica titulo *artis magicæ diſſolutæ* Veronæ 1749. 8. edita, contra quam poſtquam quatuordecim pugiles inſurrexiſſent, ipſe TARTAROTTUS integram Apologiam ſui ſyſtematis oppoſuiſſet, Maffeus iterato in *arte magica in nihilum reducta* libro Veronæ 1754. prodire juſſo ætatis ſuæ anno 80. mentem ſuam amplius declaravit, ac eruditione ſumma hypotheſin ſuam corroboravit, ſed rem mire involviſſe viſus eſt diſtinctione illa adhibita ante Ch. N. Magiam exſtitiſſe non poſtea. In Germania ejus ſententiam adoptavit vir reverendus P. JORDANUS SIMON ex ordine Eremitarum S. Auguſtini, atque aliquibus additis idiomate germanico deduxit, quem non minori ſui inclytique Clericorum regularium e S. Cajetani Familia ordinis commendatione ſecutus eſt Academiæ Boicæ ſocius P. D. FERDINANDUS STERZINGERUS. Hic enim ſententiam relligioni catholicæ proficuam ut propagaret, oratione publica eamdem propoſuit in ipſo feſto die nominis, qui erat 13tius Octobris 1766., MAXIMILIANI JOSEPHI SERENISSIMI BAVARIÆ DUCIS, ET ELECTORIS, qui veri Patris ſcientiarum titulo inſignis futura ibit in ſecula, æternitatem fidemque jubente Academia ſcientiarum liberali manu ab eo condita, & ſtabilita, cui Germania, quidquid ei olim boni inerit, debebit. Quæ oratio, ut edita fuit, mox a viris quibusdam

obſcuri in litteris Nominis calumniis impetita eſt, contra quas ſe maſcule rurſum defendit idem STERZINGERUS.

Mihi ſingulariter tamen ſemper placuit Comitis JOAN. RINALDI CARLI ampliſſimi nunc Commerciorum ſtudiorumque philoſophicorum Mediolani florentium Præſidis, ac Directoris elegans epiſtolion, quod is jam tum 20. Decemb. 1745. Patavii *ad clariſſimum Tartarottum*, qui ipſi MStum ſui de congreſſu Lamiarum nocturno libri miſerat, exaravit, ipſi huic Tartarotti libro jam ſubjunctum. In eo vir inſignis ſine omnibus ambagibus breviter docet, unde & quibus principiis doctrinæ & imposturæ magicæ in orbis theatrum prodierint, quo modo ſtabilitæ & in utroque ſexu propagatæ ſint. Itaque & huic viro egregia quædam debeo, qui tamen ea in brevitate multa potius inſinuavit, quam digeſſit. Ex quibus enarratis colliges, quam difficile fuerit, ex his aliiſque vix numerabilibus ſcriptis ea ſeponere, quæ themati denuo incudi reddendo ac in novam formam refingendo prodeſſe poterant, quam multa meditari & diſcutere oportuerit, ut poſtrema prioribus, media utriſque necterentur. Ex quibus difficultatibus etiam mirum non eſt, hactenus mortales in maximo ſuperſtitionis genere, quod plurimi cum relligione cohærere arbitrati ſunt, nulla vera, aut genuina dictamina adeptos fuiſſe, prout tamen eorum maxime intererat, ſi ſimul conſiderentur latiſſime pertinentes ſeculorum barba-

rorum effectus, qui in omnibus cognitionibus & ſcientiis humanis tam dirum diutiſſime exercuere dominium, neque niſi ſero demum detegi improbo labore potuerunt. Sed de Maffeii ſyſtemate id nunc quidem adnotare convenit, illud non omnes, quibus quis elabatur rimas occludere, & ipſi fere ſibi nervos incidere, quod eidem Tartarottus & alii jam objecerant, quum quomodocunque is Magiæ vocem accipiat, ſemper ea artis cujusdam ideam menti ingeneret, adeoque ſponte iterum ars magica in quæſtionem veniat, hæc autem ſi ſemel exſtitit, non ſit cur amplius exſtare nequeat. Dum itaque firmiſſimis vanitatis magicæ argumentis perpetuo illud intermiſcet, magiam etiam ex Patrum traditione ante Ch. N. exſtitiſſe, poſt beatam vero hanc Nativitatem evanuiſſe, omnia confundit, quia quod in ſe repugnat, ſemper repugnat.

Illud autem quod eum permovit ad hanc diſtinctionem adhibendam, puto me monſtraſſe non tanti eſſe, ut ex eo quædam traditio, qualem is vult, exſculpi poſſit. Accedit Maffeum nec leges populi romani aut aliarum gentium, ſi dicere liceat, penetraſſe, nec canones Eccleſiæ ſatis illuſtraſſe, in quibus tamen adverſarii, qui ſunt, omnes, fortiſſimum arietem collocant, aliena ſæpe immiſcuiſſe, neceſſaria omiſiſſe, nec demum Magiſtratuum curam geſſiſſe, ut adeo fulcra, radices, & ſuſtentacula ubique reliquerit, quibus opiniones abſurdiſſimæ

hæreant, quibus omnibus ego prævertere ſtudui. Atque ita credo me ſimul docuiſſe, quæ anguſtiæ intellectus humani nullis commentis obruti cognoſcere queunt in intricatiſſima materia de dæmonum poteſtate, de quorum divinatione dum olim S. AUGUSTINUS a Fabulis forte Magorum ſeductus, qui cumprimis illas vaticinationes indefeſſo quærebant ſtudio, ea litteris mandaret, quæ nec ratione, nec auctoritate probabantur, ſingulari ſanctæ mentis modeſtia ſe correxit in *Libro II. Retractationum c.* 30. ſcribens ſe *rem dixiſſe occultiſſimam audaciori aſſeveratione quam debuerit*, modeſtia illis Eccleſiæ magiſtris peculiari, quam utinam deinceps doctores ſcholarum ſectarumque faſtu turgidi retinuiſſent, quorum ſæpe tanto minoris eſt auctoritas, quo minor erat eorum in ſacris litteris, & puriore antiquitate peritia.

Tempus eſt, ut ſeriem operis paucis percenſeam. Libri ergo prioris capitibus quatuor hiſtoriam opinionis artis magicæ inter gentes univerſim perque ſumma capita tractavi, attento præſertim græcos inter & romanos ejus vigore, quare ſimul phantaſia quædam humanæ ſiſtitur hiſtoria, ad cujus indolem perſpiciendam aliquando de limitibus inter phantaſiam & intellectum regundis ſollicitius præcipere opportebit. Illud deinde monere operæ pretium eſt, quod adverterim interpretes auctorum græcorum non minimum

ad illam opinationem ſtatuminandam contuliſſe, qui quantum ego inveni, vocabulum illud γοήτης jam Magum jam impoſtorem jam incantatorem, atque præſtigiatorem promiſcue vertunt, abſque eo ut lectores de diviſione Theurgiæ, & Goetiæ veteri admoneant, atque ita vulgarem, & hodiernum ſenſum ubique in ſcriptores veteres intrudant. Ceterum confirmatur id perpetuo exſtitiſſe homines, qui ſpirituum dominium quoddam ſtulte adfectarent, aliiſque perſuaderent. Quo loco ſuccurrit illius Hiberni VALENTINI GREATERICKII cujus memoria multis Anglorum non exciderit, qui morborum quævis genera produci a dæmonibus homines vexantibus, ſe vero poteſtate præditum eſſe verbis eos expellendi mentiebatur, cujus quidem hominis amentiam HENRICUS STUBBIUS medicus non indoctus peculiari libro compreſſit. Vid. *Oeuvres melées de* ST. EVREMONT T. II. p. 219. Capite deinde quinto artis magicæ & quidem in omni extenſione ſumtæ fallaciam & ſtultitiam protrivi, ac præter hiſtorica capitibus prioribus jacta fundamenta alia firma adfero argumenta, quibus ædificium eductum eo magis ſolidetur. Præcipue etiam pactorum dæmoniacorum doctrinam ſolidius ac alibi excuſſam invenies. Progredior ad librum ſecundum, ubi in ipſa rerum argumenta penetro, ac luculenter doceo, hæc opinationum monſtra quam primum in judicia publica ambabus ulnis

recepta ſunt, quod quam deplorandum ſit, dici vix poteſt, monſtruoſos peræque effectus progenuiſſe, neque proceſſus juridicos his ſuperſtructos ſibi umquam conſtare potuiſſe, quidquid reclament actorum inquiſitionalium vægrandium Patroni. Indigitavi etiam, quod BOEHMERUS ad Carpzovium Augiæ ſtabulum in criminalibus repurgandum ſupereſſe monet, ab his proceſſibus eum Laborem inchoari debere, qui in omnem de criminibus doctrinam præjudicia plurima latiſſime diffuderunt, præcipuuſque corruptionis judiciorum publicorum fons recte omnino habentur. Capite ſecundo meas de Juriſprudentia Legislatoria cogitationes communico, ſimulque ſpeciminis loco ex hiſtoria commonſtro, quomodo in ſyſtemate juriſprudentiæ hujus cuivis juriſconſulto neceſſariæ componendo mens præcipuorum legislatorum exquirenda ſit, ut in rebus obſcuris, quid ſtatui conveniat, eo facilius detegatur. Demum de crimine magiæ, quod ego ita voco atque a crimine ficto artis magicæ diſtinguo, ſollicitus ejus definitionem, id quod nemo ante me tentavit, judiciis publicis adcommodavi, alterique illi definitioni ſubſtitui, quæ hactenus humanum genus in ſe ipſum armaverat. Quumque legem ſub finem anni elapſi ab AUGUSTA noſtra ad omnem normam juriſprudentiæ legislatoriæ exactam obtinuerimus, quæ prioribus ſuis reſcriptis conformis eſt, legem eam expoſui, ſimulque priora illa reſcripta adhuc inedita adpoſui, ut eorum conſonantia eluceſcat. Et quid gratius

mihi unquam accidere potuit, quam traditorum meorum praxim ſimul ita docere quemadmodum illam A. in terris ſuis in poſterum inſtitui voluit, ut adeo & hac in parte non in vanum me ſcripſiſſe illuſtri plane teſtimonio mihimetipſi adplaudere debeam. Sed & media jubente inſtituto ſuppeditavi, quibus Legislatores ad hæc in æternum exilium agenda uti poſſint, cujus rei præclarum initium noſtris in terris factum eſt, ubi ſi facta in caſibus vulgo magicis adlegata ſecundum AUGUSTÆ mentem accurato examini ſubjicientur, ſemper magis Theoria data confirmabitur, ac perpetuo a ſubditis ac tribunalibus auſtriacis difficiles, periculoſæque & in ſeria ducentes mala arcebuntur nugæ, quæ alibi non ita pridem ad generis humani infamiam undique Triumfum agebant. Quod ſi ſuperſtitionum ſtatores, & vitilitigatores quidam in me exſurgent, aut tradita mea carpere vel ex inſidiis petere aut obliquo ſugillare ſermone inſtituent, ſciant illi me S. AUGUSTINI *de moribus Ecclesiæ* c. 34. quod is olim Manichæis inculcavit monitum, legiſſe: *nolite conſectari turbas imperitorum, qui vel in ipſa vera Relligione ſuperſtitioſi ſunt.* Ceterum ſi quid pietati, ſi quid moribus bonis, ſi Relligionis catholicæ ſenſui contrarium mihi imprudenti excidit, id damno deteſtor ſcriptumque eſſe ſolemniter nolo. Dabam Vienæ Auſtriacorum 24. Maj. 1767.

PRÆFATIO NOVA.

Publicæ eruditorum adclamationes, initæ virorum magnorum amicitiæ, familiarium denique plausus, tum ipsa caussæ merita mihi aliis longe gravibusque impedito curis stimulos demum admoverunt, ut opus ante triennium & quod excurrit editum denuo perlustrarem, ac maculas, quas aut incuria fudit, aut humana opere in longo parum cavit natura, detergerem, quo illud, quod eduxi ædificium, omni ex parte consisteret. Cura hæc mea posterior in partem historicam incubuit, in qua illos, qui post me in eodem scripsere argumento, nihil prorsus extricasse cerno, quamvis eam, ut omni industria colamus, quam quod maxime intersit. Specimen interim mihi præbeat lex IX. *C. Theod.* seu lex VI. C. *Just. de maleficis & mathematicis & ceteris similibus*, quam profecto præter me nemo hactenus ne primis quidem labris attigit. Ipse ego ita attigi, ut quod nunc ingenue fateor, quamvis mihi secus persuaserim, tum intime nondum perspexerim. Postquam autem ab eo tempore me vel communi superstitione exuere, vel aliter, quam ea ferat, de legibus, quas nunc in corpore juris romani tenemus, judicium facere didici, eamque legem multis meditationibus versavi, dicere mihi tandem licet eam-

dem me penitus adſecutum eſſe. Habes legem quæ a multis certe ſeculis ab ſummis quibusque ingeniis incaſſum tentata, poſtquam ab Isidoro Hispalensi & Rhabano Mauro jam corrupta fuiſſet, in ipſo *Decreto* Gratiani *Can.* 14. *c.* XXVI. *q.* 5. tamquam Canon Eccleſiæ obtruſa, numquam tamen heu! intellecta, commentariis a Binsfeldio, Jacobo Gothofredo, aliisque obruta, necdum tamen tenebris expedita fuit, planiſſime exaſciatam; habes ſimul ad totum, ſub quo ea poſita eſt, titulum commentarium verum & genuinum. Alia deinde minoris momenti refixi, alia, quæ ſeu recentior lectio ſeu meditatio ſuggeſſit, addidi, quæ opus ipſum illuſtrent. Recluſi ita ſunt ampliſſimi fontes, unde omnia ea, quæ hiſtorici, poetæ, oratores, philoſophi, & latini & græci, & quos ſanctorum Patrum nomine comprehendimus, de artibus magicis ſæpe tradiderunt, quidquid denique Jureconſulti & Imperatores romani in legum corpore prodiderunt, affatim intelligere, quin &, ubi chriſtiani recentiores hallucinantur, dijudicare queas. Quid quod & reconditiora ſcripturæ loca ut Apocalypseos c. IX. v. 20. c. XVIII. v. 23. exinde lucem capiant ſuam?

In capitulo dogmatico nihil prorſum erat, quod mutarem. Omnia etenim & ea ſolum dixi, quæ intellectus humanus vana non fingens in ea materia intelligere poteſt. Si quis dein totum colligat atque ſe-

rio perpendat, diabolum ex dæmonographorum ſententia, id, quod meum eſt, juſſu vetulæ perdere, dæmonem immittere, feminam in amores projicere, divitem facere unum, pauperem alterum, ſanum hunc, illum morbidum reddere, in pacto irreſiſtibiliter detinere poſſe, is miraculorum & vim & doctrinam infringi ſentiet, is innumerabilia miracula adſumi, quod Deus per nova miracula phyſicas id genus ſatanæ operationes vel impedire vel deſtruere debuiſſet, quoties eas non admiſiſſe diceretur, demum dæmonophobiam induci, neceſſario inde concludere debebit, quæ tamen omnia Deo honoris ſui zeloti ſumme contraria ſunt. Alia utique tentationum eſt ratio. Hæ fiduciam in Deum augent, & quum in moralibus ſolum inclinationibus conſiſtant, virtutum ſcholam in iis tenemus. Has vero varias eſſe ſed & præſentaneum contra eas omnes nobis in oratione dominica offerri remedium noto notius eſt. Illos, qui quærunt quod nuſquam eſt, reperiunt tamen, haud equidem moror, qui

Quid verum atque decens curo & rogo & omnis
in hoc ſum.

Acceſſi inde ad librum ſecundum, in quo paucula, quæ ex hiſtoria pendent, emendavi. Nec pluribus opus. Jam enim olim deduxeram hiſtoriam, quæ

in confirmationem ac declarationem libri primi requirebatur, processuum in Magiam institutorum, & ex ipsis rerum argumentis demonstravi eos, ut juris termino utar, omnes fuisse nullos. Sed & ab hac progressus ad jurisprudentiæ legumlatoriæ illustrationem totam rursus historiam peragraveram legislatorum, ut inde quidquid res patiebatur, in hanc disciplinam adhuc sterilem veluti derivarem. Patescit inde, quomodo ii definitionem Magiæ, quam Lib. I. adornavi, secundum id, quod varia relligionis eorum principia desiderabant, adplicaverint, sed procedente tempore, quod ars magica ultra quam dici possit, in speciem incrustata fuerit, atque hinc profunda in mentibus humanis sui vestigia reliquerit, ipsa legumlationis principia deserere necessum habuerint. Quare ubi jam nunc effectum legum suarum habere cupiunt, se ad imitationem AUGUSTÆ NOSTRÆ componere debent, quæ vulgaribus ideis simpliciter suppositis remedium eis adfert luculentissimum. Elucet denique legislationem non semper cum novis legibus ferundis agere, sed etiam veteres scrutari, & analysin earumdem instituere debere. Hinc historiam, quæ judicia docet intuitiva, cum legislatione pari semper passu incedere, hanc illam presse sequi. Habet igitur & Jurisconsultus Observator, Inventor aut legislator hoc in libro formulam & modum, cui se in comparandis legibus adcommodare debeat. Quæ le-

gum comparatio gravior longe & utilior mihi videtur, verum jurisprudentiæ philosophicæ arcanum, quam quidem vulgo putetur.

Ita vero me infiniti fere laboris tædiorumque ingentium id saltim tulisse præmium gaudeo, quod recta sapientibus, tum illis quoque, unde minus sperare poteram, satisfecerim ea in re, quæ tanti olim græcorum Romanorumque sapientibus visa est, ut eam ad rectam vitæ rationem omnino pertinere tuerentur. HORATIUS eorum interpres amico, ut perpurgata a vitiis mente utatur suasurus, id inter alia ab eo desiderat, ut miracula magica ceteraque, quæ cum istis connexa sunt, rideat.

Non es avarus? ait, abi, quid? cetera jam simul isto
Cum vitio fugere? caret tibi pectus inani
Ambitione? caret mortis formidine & ira?
Somnia terrores magicos miracula sagas
Nocturnos lemures (a) *portentaque thessala rides?*
Natales grate numeras? ignoscis amicis;
Lenior & melior fis accedente senecta?
Quid te exemta juvat spinis de pluribus una?
Vivere si recte nescis, decede peritis.

Lib. II. epist. 2.

(a) De spectris commendandus libellus germanicus: Abhandlung des Daseyns der Gespenster, nebst einem Anhange vom Vampyrismus Augsburg 1768. 4.

Quid enim? perpendatur modo ceteris etiam, quæ hoc in libro ratiocinia ſponte offeruntur, neglectis calamitoſus ille Germaniæ ſtatus, cum hæc opinionum monſtra civem in civem armaſſent, cunctaque porro erga Deum te ipſum fratremque tuum obſervanda ſufflaminaverant officia, conſiderentur proceſſus in Magiam impii & deteſtandi inde fluentes, conſiderentur ſanæ rationis corruptelæ, calumniæ, mutuaque odia nutrita (b), atque deinceps decidat mihi quis, an ineptum ſit harum opinationum exploſionem cum Horatio ad vitæ officia referre? Nec vitæ terminis hæc ingeniorum humanorum oſtenta adeo includuntur; ut non poſt mortem quoque ſtrages excitent peſſimas. Deus bone! Quis ſine ſtomacho legat in vita celebris & pii alioquin viri, eum ſanctæ & probæ cujusdam monachæ cadaver e ſepulcro erui juſſum igni tradidiſſe, eo prætexto, quod pactum cum dæmone habuerit? Omitto alia ex ipſo opere haurienda. Quid igitur tot theologiæ dogmaticæ, & morales, quid tot phyſices, & metaphyſices, quid tot artis dialecticæ volumina te juvant, niſi demum de actionibus fratris tui caſu obveniente juſtum formes ratiocinium? Si mentem a præjudiciis omnibus multoque magis a ſuperſtitionibus procul cohibere minime

(b) Refer eo das Todtbeten; Jo. AND. SCHMID de abuſu Pſalmi CIX, imprecatorii vom Todtbeten; die Zwangmeſſe leſen &c.

omnium didiceris? Quin igitur age, exercere hoc in themate, viam apertam prosequere, artem cogitandi ipsa in luce, in naturæ tum spiritualis, tum ejus quæ materiæ adhæret, scrutatione, deinde in historia opinionum, in combinatione & collatione disciplinarum perdisce, quorum omnium argumentum hoc, quod tractavi, feracissimum est. Inde tot stultos & inanes libros aboleri, inde disciplinarum emendationem, inde veram hominum eruditionem proficisci intelligas. Quid enim ab humano genere expectandum est, postquam evacuatis his ingeniorum portentis veræ piæ & solidæ in animos poterunt cognitiones demitti? Ego me ducem præbuisse tanto magis lætabor, quo præterea etiam & hodie quidem verius est, quod SCIPIO MAFFEUS (c) pronunciavit, hoc ab errore mentes depurgare humanas rem & ponderosiorem & utiliorem longe esse, quam volvi & revolvi in famosis illis quæstionibus metaphysicis, physicis & mathematicis, quales a centum inde annis excellentia ingenia tanta sua cum gloria discusserint & agitaverint.

Ceterum nec in ordine rerum, nec paragraphorum numero quidquam immutavi, licet videam alios quædam sibi superflua visa rescindi voluisse, ipsa experientia edoctus, quid in tali libro communi homi-

(c) *Art. mag. annichil.* lib. II. cap. II.

num eruditioni ſcripto deſideretur. Methodum eam retinui, qua ipſe in illa arcana deductus ſum, quæ alios fugere ſolebant, ut adeo lectorem per illam eo quoque deducere mei eſſe cenſuerim officii. Addidi in fine libellum a me olim elaboratum, ſed nunc recenſitum, non plane nullo cum hoc opere nexu, quem lectori in amoeniorum literarum viridaria exſpatiaturo haud inamœnum futurum confido. Scribebam Auguſtæ Auſtriacæ die 1. Septemb. 1770.

CONSTANTINI FRANCISCI DE CAUZ

DE

CULTIBUS MAGICIS

EORUMQUE PERPETUO

AD

ECCLESIAM ET REMPUBLICAM

HABITU.

LIBER PRIMUS

QUI EST THEORETICUS

— — — — — *Sagas*
Nocturnos lemures portentaque thessala rides?

HORAT *L. II. epist. 2. v. 209.*

CONSPECTUS
LIBRI PRIMI.

ARGUMENTA CAPITUM ET PARAGRAPHORUM.

CAPUT I.

DE MAGIA INTER GENTES IDOLOLATRAS.

I.

PRopositum Auctoris. §. II. Origo Prima opinionis, quæ ulterius §. III. & IV. declaratur. §. V. Quid proprie significarit Magia, & quid sensu deteriori. §. VI. Ejus descriptio & divisio apud Chaldæos, & §. VII. Persas. §. VIII. IX. Modus, quo Magia invaluit. §. X. S. Augustinus, Plotinus, Proclus explicati. §. XI. XII. Progressus Magiæ. Systema, quod sibi veteres de Magia formarunt. §. XIII. Adferuntur opiniones de dæmonibus, & §. XIV. Theurgorum Goetarumque Controversia. §. XV. Dæmones mali non pari cum Bonis numero recepti. §. XVI. Celtarum de Magia traditiones. Quid vox Zauberer. §. XVII. Et boni & mali spiritus culti. §. XVIII. Theurgia explicatur. §. XIX. & XX. Porphyrii ac Jamblichi concertatio mutua. §. XXI. usque §. XXIII. Universæ Theurgiæ fallaciæ exponuntur. §. XXIV. Goetarum, cum quibus solis nos occupamur, descriptio ex Apollonio Tyanæo. §. XXV. Goetia cum Theurgia confertur. §. XXVI. Veterum in eam rem testimonia. §. XXVII. Exponitur veterum systema de animis in altera vita. Quid mentes, Umbræ, simulacra, imagines, Manes. §. XXVIII. Continuatio. §. XXIX. Quid adhuc Manes significent, & origo nominis. §. XXX. Quare Manes a Goetis evocati. §. XXXI. Sacrificia manium

Cruenta quare. §. XXXII. *Sanguis etiam humanus in iis adbibitus. Unde* §. XXXIII. *explicantur* Horatius *de ſacrificio Goetico,* Lampridius *de* Elagabalo Spartianus *de* Didio Juliano, & §. XXXIV. *præter alios* Auctores Lex Cornelia *de ſicariis.* §. XXXV. *Scopus ſacrificiorum & quid defigere? An defigere legendum in l. 4. C. J. de malef. & math.* §. XXXVI. *Defigere monumentis.* §. XXXVII. *Excurſus in Chriſtianos paganorum mores imitantes.* §. XXXVIII. *Explicantur Leges Romanæ.* §. XXXIX. & XL. *Goetarum impoſturæ deducuntur.* §. XLI. *Quis Color in eorum ſacris adamatus.* §. XLII. *Quæ famæ aucupandæ adminicula.* §. XLIII. *Magorum exorciſmi. Quid Adjuratio & incantatio.* §. XLIV. *Morbi dæmonibus tributi.* §. XLV. & XLVI. Hippocrates *Magiam Goeticam irridet. Quid Lunam deducere?* §. XLVII. *Fragmenti* Ulpiani *in leg.* I. §. III. D. *de extr. cognit. interpretatio.* §. XLVIII. M. A. Antonini *de Gentilium ſuorum exorciſtis judicium. Obſervatio de omnis craſſioris ſuperſtitionis origine in Magia & Aſtrologia.* §. XLIX. & L. *Magorum jactationes ceteræ & ineptiæ.* §. LI. *Multifariæ Magiæ ſpecies.* §. LII. *Magorum Vaticinia de principum ſucceſſione.* §. LIII. Plinii *egregia animadverſio de vanitate artis a Magis jactatæ illuſtrata.*

CAPUT II.

CONTINUATIO INCEPTÆ HISTORIÆ CRITICÆ UNIVERSALIS.

§. LIV. *Ratio enodati porro Capitis primi.* §. LV. *Duo entia ſuprema ſemper ſuppoſita: bonum & malum. Veterum Theologia de Deo ſummo bono & malo.* §. LVI. *Quid Grammaticis Dæmon.* §. LVII. *Admonitio de non confundenda religione Chriſtiana per ethnica ſcita.* §. LVIII. *An diſcrimen Magos in-*

ter & ſagas, *cujus diviſionis datur hiſtoria* & §. LIX. *refutatio. Declaratur vox*: Here. *Homeri prudentia.* §. LX. & LXI. *Recenſentur græcorum termini hac in re*, §. LXII. & §. LXIII. *Latinorum*, *Gallorum*, *Germanorum*, *Hiſpanorum.* §. LXIV. *Tranſitus ad Hebræos*, *apud quos Gentilium quædam etiam opiniones reperiuntur*, *quæ quo magis Populus hic cum gentibus commixtus fuit*, *eo magis auctæ ſunt ac demum Cabbalam variaque Magiæ fulcra produxerunt*, *id quod* §. LXV. LXVI. *docent.* §. LXVII. *Quid apud Iſaiam per Lilith ſignificetur.* §. LXVIII. *Excurſus in Chriſtianos ſuperſtitioſos.* Saga *pro* Lena. *Quid Miſſa defunctorum pro vivis.* §. LXIX. *Quid* βασκανος, *ſeu faſcinus.* §. LXX. *Unde gentibus opinio faſcini.* §. LXXI. *Locus Plinii majoris adplicatus. Quibus adhuc faſcinus attribui ſoleat.* §. LXXII. S. Pauli *ad Gal.* III. 1. *defenſio. Explicatio faſcini ex Tertulliano petita.* §. LXXIII. *Ethnicis Dii ipſi Magi. Quid Homero lingua Deorum.* §. LXXIV. *Quibus impoſturis opus fuerit*, *ut homines Magi fingerentur. Et cur nobis præcipue de græcis latiniſque ſermo.* §. LXXV. *Veterum ſapientes ipſi artem jactatam magicam exploſerunt.* §. LXXVI. *Quid Chriſtianis de Theurgia & Goetia ſentiendum.* §. LXXVII. *Religionis Chriſtianæ ſplendore propagato gentes Chriſto Magos opponere cœperunt præcipue Apollonium Tyanæum & Lucium Apulejum.* §. LXXVIII. *Generalis ſancti Auguſtini obſervatio quod omnes paganorum ſpiritus Dæmones ſint mali.* §. LXXIX. *Apollonii vita perſtringitur.* §. LXXX. L. *Apuleji incuſationes.* §. LXXXI. *uſque* §. LXXXIV. *Ejusdem Libri Metamorphoſeon, quibus is artem magicam Ludos facit*, *enarrantur.* §. LXXXV. *Seculo* II. *poſt Ch. N. Zabii in oriente doctrinam vetuſtam magicam diffuderunt.* §. LXXXVI. *Imperatores Chriſtiani in ſeductores Magiæ profeſſione deludentes inquiri jubent.* §. LXXXVII. *Patrum ſententia de Theurgis Goetiſque eruderata.*

CAPUT III.

DE MAGIA AD CHRISTIANOS TRADUCTA.

§. LXXXVIII. Magia in sinu idololatriæ & ignorantiæ adulta quomodo per CHRISTI *adventum dissipata. §. LXXXIX.* CHRISTUS *ipse Magus habitus. Explicantur textus S. Pauli, & Actus Apostolorum. §. LXXXX. Quis Magus Bar-Jesu, & Simon Magus. §. LXXXXI. & LXXXXII. Nequitiæ Simonis hujus Goetæ. §. LXXXXIII. Quid de statua ei posita. §. LXXXXIV. Quid de ejus volatu. §. LXXXXV. Goetæ semper sibi volatum tribuebant. §. LXXXXVI. De Menandro, §. LXXXXVII. & seqq. De Saturnino, de Basilidis Gemmis Carpocrate, Marco Valentini discipulo & Simonianis §. C. De interitu Simonianorum. De Manichæis. §. CI. Sensus concilii Illiberitani. Magi aurigatores. §. CII. Constantini leges explicatæ, & §. CIII. Constantii. De Juliano Apostata Theurgo, qui §. CIV. Nocturna seu Magica sacrificia reducit, quæ Jovianus tolerat, Valentinianus senior vetat, harum spicinam vero stricte sumtam a pœna eximit, vestigia ejus premente per orientem Valente A. §. CV. Intentio synodi Laodicenæ. Theodosius M. omnem cultum gentilem divinandique curiositatem licet nihil de salute principis agatur ob periculum universale inhibet. §. CVI. Valentinianus Junior pœnam mortis in eos statuit, qui odio populari hominem pro Mago habitum propria auctoritate e vita tollere audeant. Celeberrimus Canon: Episcopi 12. XXVI. q. 5. §. CVII. Crisi admovetur, & §. CVIII. Explicatur, ac denuo §. CIX. illustratur. §. CX. S. Chrysostomi & Philastrii sententiæ de dæmonibus incubis, de quibus historiæ adsimilantur Paganorum fabulis. §. CXI. An D. Thomas nobis imponat necessitatem eas credendi. Et quid de S. Augustino. §. CXII. De S. Hieronymi vitis Eremicolarum. §. CXIII. Honorii contra genethliacos & haruspices constitutio. Theodosius junior Paganos superstites dæmoniorum cultores sola proscriptione ho-*

norum & exilio primum coercet, mox etiam morte. Leo Junior Thesauros sine scelestis sacrificiis in suis quemque locis quærere permittit, quæ lex illustratur. Magi thesaurorum promissores. §. CXIV. Legum Salicæ Ripuariæ & Wisigothicarum sensus. §. CXV. Justinianus specialia in profitentes artes Magicas statuit, uno loco opinionem vulgarem innuit. Calumniæ a Magia apud Francos. §. CXVI. Concilii agathensis & Aurelianensis clericis facta probibitio, uti & Gregorii I. ad Januarium Ep. idolorum cultores cum haruspicibus & sortilegis conjungens. Adnectitur pœnitentiæ denunciatio ex Concilio, quod Gratianus vocat, Martini Papæ. §. CXVII. Rotharis Longobardorum Rex idem quod apud Romanos Valentinianus Junior statuit ac vetat a Christianis Nenias populares de sagis Credi. Illustratio ex concilio Liptinensi. Constitutiones conciliorum Trullensium. §. CXVIII. S. Damascenus narrat fabulas magicas in oriente superstites de draconibus incubis, & §. CXIX. Specie Vampyrorum, cum refutatione, ubi ait ea talia ex ignorantia & scripturarum neglectu oriri, denique hæreticis imputat. §. CXX. Luitprandi Longobardorum Regis & Karlomanni egregiæ constitutiones in exstirpationem paganiarum. Animadversio de ignibus sortilegis.

CAPUT IV.

PERSEQUITUR HISTORIAM MAGIÆ INTER CHRISTIANOS A CAROLO M. AD RECENTIORA USQUE TEMPORA.

§. CXXI. Carolus M. opinionem artis volens tollere recte omnino a genuina de spiritibus intermediis doctrina incipit. §. CXXII. Idem superstitiones Magicas probibet, nulla quidem civili pœna sancita, sacerdotum eas curæ committendo, effectus tamen reipublicæ noxios ex credulitate in banc artem Ecclesiæ

veteri peræque exosa ortas simul capite punit. Clericis autem prohibet, ne ægris phylacteria imponant. Constitutiones Ludovici Pii. §. CXXIII. *S. Agobardus fabulas Magicas inter Gallos late refutat, quarum similes jam Seneca & Clemens Alexandrinus exploserunt.* §. CXXIV. *usque* CXXVI. *Argumenta S. Agobardi referuntur.* §. CXXVII. *Alia fabula de pulveribus per Grimaldum D. Benevent. inter boves sparsis, indeque effecta eorundem lue ab Agobardo relata, ex qua multorum hominum seipsos incusantium interitus.* §. CXXVIII. *Hincmari Rhemensis temeraria sententia relata in C. per sortiarias 4. XXXIII. q. 1. notatur. Eugenius II. Papa defensus.* §. CXXIX. *Exempla inquisitionis a plebe factæ in sagas sæculi X. Eadgarus R. Angliæ incantationes, divinationes &c. ut phantasmata damnat. Regino Abbas Prumiensis primus profert Canonem: Episcopi.* §. CXXX. *Canutus R: Daniæ paria cum Eadgaro facit. Burchardus Wormaciensis & Ivo & Ditmarus testes disciplinæ Ecclesiastica. Silvester II. Papa tanquam Magus incusatur.* §. CXXXI. *Colomanus Rex Hungariæ declarat Strigas non esse. Joannes Sarisburiensis fabulas gentium recensitas pro illusionibus & tentationibus diaboli habet. Sententia Alexandri III. de Clerico ex Astrolabio vaticinari tentante* §. CXXXII. *Explicatur.* §. CXXXIII. *Islandi eos solum, qui artibus Magicis creduli sunt, capite puniunt. Subito rerum alia facies. Primus pactum diabolicum in librum exemplorum deducit Cæsarius Heisterbacensis.* §. CXXXIV. *Th. Cantipratanus hanc subitaneam mutationem ingenue agnoscit, & omnes sui temporis viros doctos ipsumque Albertum M. animi pependisse testatur.* §. CXXXV. *Corollarium inde.* §. CXXXVI. *Confirmatio in opinione hausta ex legibus Romanis & Canonicis non intellectis.* §. CXXXVII. *Progressus opinionis ex inepta procedendi ratione inquisitoribus a sede Romana missis usitata.* §. CXXXVIII. *Firmamentum in torturis.* §. CXXXIX. *Magistratus hoc modo omnibus sæculis reprobato inquirentes præjudicium auctoritatis invexerunt.* §. CXL. *P. Spei Planctus de Clericis Imperitis.* §. CXLI. *Inquisitores Romani Alexandri IV. P. R. Tempore sibi non vin-*

dicarunt cognitionem de Magis nisi hi deprehenderentur manifeste esse hæretici. Calumniæ ex Magia Episcopo Coventriensi structæ. Bulla Joannis XXII. a qua recesserunt & rem ad pessimum deduxerunt §. *CXLII. Quæsitores Romani doctoribus Jurium Italicis juncti. Consilium Bartoli per extensum.* §. *CXLIII Crisis in illud.* §. *CXLIV. Doctores confiscationem bonorum in crimine effícto induxerunt, atque Magiæ postulatis, etsi eos in hæreticorum numerum referrent, durius tamen nec pœnitentiam prodesse voluerunt. Academiæ Parisiensis decretum in viginti septem propositiones de superstitionibus Magicis an. 1398.* §. *CXLV. Medicus Montispessulanus ab eadem notatus. Controversia inter Monachos an liceat a dæmonibus expectare responsa a Sixto IV. sopita. Prima Bulla Innocentii VIII. Obreptitie ab Inquisitoribus extorta, & a Maximiliano I. simpliciter subscripta. Postea crimen Magiæ tamquam* heresеos secta *venditatum; ideoque cum tempore in Germania* fori mixti *factum.* §. *CXLVI. De cogitandi modo in aula* Sigismundi *Principis Tirolensis.* §. *CXLVII. & CXLVIII. Contenta & historia libri quem ad ejus mentem composuit Ulricus Molitoris.* §. *CXLIX. Maximilianus I. a Tritthemio inductus artem Magicam inter alias artes Theoreticas discit, qualis Theoria in plures aulas recipitur. Summa sistitur libri Tritthemiani ad Maximilianum I., quæ* §. *CL. continuatur cum epicrisi.* §. *CLI. Bullæ Alexandri VI. Ceterorumque Pontificum & Leonis X. Canon item cum epicrisi.* §. *CLII. Caroli V. constitutio criminalis examinata; Interpretes castigati.* §. *CLIII. Lex Caroli nec intellecta nec observata. Generis humani mala.* §. *CLIV. Galliæ illudit curiositas Magica. Quando ibi processus Magici formari inceperint. Jacobus I. eos in Angliam inducit, ac suam* Dæmonologiam *edit. Generalis animadversio de sæculis subsequis.* §. *CLV. Effectus criminationum vagarum.* §. *CLVI. Nemo in Germania vitæ securus ob calumnias; quod unus P. Speus ostendere ausus.* §. *CLVII. Ejus libelli historia.* §. *CLVIII Continuatur. P. Gobati relatio de novo genere sagarum in Silesia.* §. *CLIX. Quare* Cautio Criminalis *non statim ubique idem operata sit, & an potuerit effectum habere, quod negatur ob præjudicia vigentia, unde* §. *CLX. nec a Jurium interpreti-*

bus curatus, *qui omnes veteri oberrarunt Chorda.* De *Christiano Thomasio primo Monstrorum debellatore* & *aliis.* Fridericorum Porussorum RR. *Edicta de anno 1706.* & *1714.* §. *CLXI. Facti species e Saxonia anno 1715.* §. *CLXII.* Ducatus *Meklenburgici* Fata. De Dania, *Suecia.* §. *CLXIII. Franconiæ triste recentissimis temporibus exemplum.* §. *CLXIV. Austriæ fata.* M. THERESIÆ DOMINÆ NOSTRÆ *Laus. Transitus ad Vampyros.* §. *CLXV. Quomodo Vampyrismi opinio invaluerit.* §. *CLXVI.* Hujus *occasione in terris Austriæ hereditariis Acta.* *Ill.* B. van Swieten *Elogium. Notatur levitas Ingenii humani.* §. *CLXVII. Angliæ conamina. Exemplum e Tiroli. V. Cl.* de Riegger *Laudatur.* §. *CLXVIII. Hollandia omnibus aliis præivit in exstirpatione hujus processus. Ejus exemplum mox Geneva secuta.* §. *CLXIX. Gallia Ludovici XIV. ope a præjudiciis liberata. Italia serius institutum urget.* §. *CLXX. Tandem in Æthiopia reperitur vera sententia ex traditione antiqua superstes. Præjudicia ab Anglis in Americam illata, a Gallis exstirpantur.*

CAPUT V.

SPECIATIM DEMONSTRATUR ARTEM MAGICAM NULLAM ESSE. ET QUID SIT CRIMEN MAGIÆ.

§. *CLXXI. Post data principia historica adhuc opus esse demonstrare vanitatem artis Magicæ.* §. *CLXXII. Quomodo concipi debeat ars Magica.* §. *CLXXIII. An obstent narrationes Exodi VII.* & *VIII.* §. *CLXXIV. Adfertur decretum divinum Hebræis Canaan ingressuris datum,* & *illustratur ex Isaia.* §. *CLXXV.* & *CLXXVI.* Recensentur *species Magiæ orientalis aliquæ.* §. *CLXXVII. De Pythonicis.* §. *CLXXVIII. Quid sit divinans. Magi hi vocantur pseudo Prophetæ. priscis propria ad evocandos*

mortuos templa. Sensus legis Exodi XXII. 18. Locus Deut. 18. *ex vetustissima translatione. §. CLXXIX. De Saule Pythonicam in Endor accedente. §. CLXXX. Corrigitur Cl.* Maffeus. *Quæstiones separantur. §. CLXXXI. Explicatur mens Patrum, & an illi nobis jure opponantur. §. CLXXXII. Quid de Oraculis Gentilium sentiendum sit. §. CLXXXIII. Quid sit Patribus* Magiam esse destructam & oracula cessasse. *Textus Scripturæ explicati. §. CLXXXIV. An litteraliter intelligendi semper sint Patres, & quid sit* auferri Christi adventu. *§. CLXXXV. Urgetur iterum* Cl. Maffeus. *Quid de obsessione Dæmoniaca? An a permissione peccatorum aliorum divina ad permissionem cujusdam artis Magicæ concludi possit? §. CLXXXVI. Quæ diabolo potestas? §. CLXXXVII. Generalis animadversio in Exempla ex scripturis ab adversariis petita. §. CLXXXVIII. Sæculis ignorantiæ pro exemplo non utendum. Defixio Conjugum tunc recepta. Hæc est Casus reservatus in Gallia. §. CLXXXIX. Illorum temporum Cogitandi methodus. §. CLXXXX. Docetur distincte, quid Veteres & S. Augustinus de Pactis diabolicis docuerint, qualisque de his idea formanda sit. §. CLXXXXI. Quid Paulo* socii dæmoniorum. *Quid Isaiæ* percutere fœdus cum morte & inferno. *Sensus primorum Scholæ Doctorum probabilis. §. CLXXXXII. Duns-Scoti Ratiocinium. Hæc didascalia primitus solis Theologorum contentionibus relicta. Progressus doctrinæ, qui porro §. CLXXXXIII. enarratur. Tritthemius iterum notatur. §. CLXXXXIV. Quod ad defensionem artis Magicæ pacta diabolica statuere necessum sit contra* Cl. Tartarottum *sibi ipsi contrarium. §. CLXXXXV. Systema pactorum ad rationis trutinam adpenditur.* Cl. Muratorii *votum. §. CLXXXXVI. An Commercium cum Dæmonibus habere semper pactum habere Significet. Pactorum doctrina a plebe orta. §. CLXXXXVII. Quomodo tamen latissime propagata. Phantasiæ morbi. §. CLXXXXVIII. Duo dumtaxat modi artis Magicæ adserendæ, quorum neuter subsistit. Subterfugium dæmonographorum refellitur. Pactum in suum detrimentum concipere est absurdum. §. CLXXXXIX. Præjudicialis quæstio an dæmon evocari possit. Pactum ineundi nec dæmon nec homo facultatem*

)( )(2

habet. §. CC. *Deus non renunciat dominio, quod habet in animam Magi. Dæmon non est alter Deus. An possit Corpus humanum per aerem portare. An Christum portaverit. Urgetur pactum cum sanctis negari, ergo magis diabolicum. Contradictorie plus diabolo quam Sanctis tribuitur.* §. CCI. *Dæmon nec ipse a Deo eam potestatem exigere vult. Rerum natura semper eadem. Romæ quæsitum an homo homini diabolos immittere queat? & negatum. Nec propter unicam Magi animam consequendam diabolus aliis creaturis abuti, easve in ruinam præcipitare potest.* §. CCII. *Deus se non vindicat per Magiam. Dæmonographi non perpendentes quid dicant ad blasphemias deducunt.* §. CCIII. *Quod ii pactum diabolicum partiantur 1) in expressum, &* §. CCIV. *2) in tacitum, & quid hoc sit ex mente eorum.* Tacitum *non potest habere locum, ubi nequit adesse expressum.* Delrius *tamen duo pacti taciti genera statuit.* §. CCV. *Resumuntur Pacta expressa & vanitas in genere ostenditur, quod pene stultum sit fingere tot mille congressus dæmonum hominumque licet etiam impiorum.* §. CCVI. *Tacitorum unum genus ab ipsis dæmonographis exploditur. Alterum vero nec ipsum consistere potest meris fabulis suffultum.* §. CCVII. *Pro conclusione hujus disputationis ostenditur talium opinationum disseminationem relligioni naturali, quia dæmonophobiam ingenerat, & Ecclesiæ Dei, quia superstitiones fovet, quam maxime nocere.* §. CCVIII. *Monitum Senecæ. Excitantur eruditi, nocivarum fabularum exstirpationi ut immineant.* §. CCIX. *Non ideo hæ Auctoritatem indipiscuntur, quod forte in libris Ecclesiasticis reperiantur. Notatur* Hieronymi *Mengonis* fustis & flagellum dæmonum. *Usus Ecclesiæ.* §. CCX. & CCXI. *Officium eruditorum verbis Cl. Muratorii.* §. CCXII. *His deductis ad explicandum, quid sit tamen crimen Magiæ, adducuntur verba Cl. Manzelii &* §. CCXIII. *Continuantur. Phantasiæ lusus simul per exempla.* §. CCXIV. *Manzelii verba ulteriora.* §. CCXV. *Iterum Manzelii verba & quod inter rusticos doctrinæ idololatricæ propagentur. Spiritus phantasiam corrumpens. Cudworthi sententia rejecta.* §. CCXIV. *Definitio Criminis Magiæ tentatur.*

DE
CULTIBUS MAGICIS
LIBER PRIMUS.

CAPUT I.
DE MAGIA INTER GENTES IDOLOLATRAS.

I.

Etsi hoc in libro theoretico generales quasdam de quæstione gravissima ratiocinandi regulas, generalia axiomata stabilire intendam, ex quibus in sequenti parte conclusiones deductæ, & Jurisprudentiæ legislatoriæ prodesse, & commodo rerum judicandarum facilius intelligi, atque in Tribunalia transferri possint, tamen simul opinionis late diffusæ Historiam ad hanc ipsam theoriam plurimum attinere arbitror, quod illa semper & ubique fidelis comes judicium nostrum in via veritatis regia continere ac fulcire vi-

deatur. Dicendum igitur primum eſt generatim, neque enim ſingulis locis hujusmodi opiniones perſequi datur, aut ſi daretur, utile foret; quemadmodum Gentes in Magiæ opinionem deductæ ſint, eamque fovere perrexerint. Et primo quidem loco hanc perſuaſionem inter gentes religionis veræ lumine deſtitutas excutere oportuit. Quum autem plura facta dubiis premantur, multa vero etiamnum deſint ad rem in ſuis fontibus indagandam, hiſtoria critica opus eſſe cenſuimus.

II. Poſtquam homines a veri Dei cultu & revelatione receſſerunt, ſtatim id conſequens fuiſſe videtur, ut in eorum animis ab ipſa natura ſenſui ſuo reprobo jam relicta error ille peſſimus inſinuaretur, quo hujus univerſi duo ſibi contraria ſtatuerent principia, alterum boni, mali alterum efficientem cauſſam. Quum enim cuivis experientia multa in mundo bona, plurima mala, horumque viciſſitudines offerret, miſeri illi mortales capere non poterant, quomodo utrumque ab eodem Ente bono provenire poſſet; ut adeo bonum & malum, ut ſeparatas ſubſtantias, hominem vero quaſi ad vitia & virtutes indifferentem conſiderarent. Non videbant , vel malitia præpediti videre nolebant, quod mala per ſe ex rebus creatis profluant, eaque ſint accidentia; quod vero ex eo ipſo unius Dei bonitas majori ſplendore eluceat, quod is & mala metaphyſica & moralia & phyſica ad univerſi hujus perfectionem admittat, iis autem ad maximum, quanta plurima exiſtere poſſunt, bonorum cumulum adipiſcendum utatur. Atque hanc in theſi de duobus mundi principiis ſententiam inter omnes per quatuor orbis plagas ſparſas gentes ethnicas omni tempore repertam fuiſſe adductis teſtimoniis Christoph. Wolfius, (*a*) & ex eo Jo. Ern. Floekerius (*b*) comprobarunt. Neque inficias eundem eſt eamdum inter plebem Chriſtianam ſuperſtitionibus indulgentem tecte aliquando ſerpere.

III. Sed & hunc gentium ethnicarum communem errorem, quem omnes ingenii humani annales tanquam & antiquum maxime & diuturnum confirmant, primum in Perſide Zoroaſtrem quodammodo pur-

---

(a) *de Manichæiſmo ante Manichæos.* 1721. 4. Cap. VI. §. 2.
(b) *de Crimine Conjurationis Spirituum* Jenæ

gasse, ac in Systema redegisse accepimus; de quo Photius (c) ex Theodori Mopsvesteni deperditorum *de Magia Persarum* librorum III. primo refert Persas ex Zoroastris doctrina censere *Zarvam* Deum summum Oromasden genuisse, και τον Σατανᾶν, & *Satanam*, id est, ut ex auctoribus aliis bene explicat Scholiastes Radulphi Cudworthi Jo. Laur. Moshemius, (d) duos genios seu deos, bonum malumque; horum conatus moderari unum summum & æternum Numen medio velut loco positum (e); illorum binorum numinum unum res erogare ac administrare humano generi & utiles & necessarias, alterum noxiis ac perniciosis delectari: ambo inter se perpetuo dimicare, & post infinita prælia benignum illud Numen, quod ad altissimi Numinis naturam accedat propius, malignum illum dæmonem prorsus deleturum esse; tumque pacis omnia plena fore, orbe scilicet ipso soluto. Hæc quidem *Zoroastres* Persa, gentilitio nomine *Zardusht* tradidit, ea fini, ut Astrolatriam & Idololatriam inter suos evelleret, sed tamen errorem communem (§. II.) non penitus abjecisse videretur; unde simul adparet, quam is tenaciter hæserit semper, ut adeo ipse Plato eundem adoptaverit (f).

IV. Huic notioni gentium seductrici accedebat, quæ mature admodum apud omnes invaluit Philosophia de anima hujus mundi universali emanante & informante, quam multi populi pro Deo ipso habuerunt. Sane Chaldæos antiquissimos animam per universum diffusam fontem omnium spirituum, qui partibus mundi præsint, idem Ægyptios, idem Persas & Indos, tam veteres quam recentiores Muhammedis sequaces, idem Celtas Germanos, Gallos & Britannos de anima divina per mundi partes diffusa ex innumeris dæmonibus constante sensisse, idem præcipuos Græciæ Philosophos cum Orpheo, Thalete & Platone, cumque his Romanos, idem demum Malabares

A 2

(c) in Bibl. *Cod.* 81. p. 199.

(d) ad *Syst. intellect. Universi* Cap. IV. §. 13. not. 38.

(e) Summi autem numinis vivam & spirantem veluti imaginem duo pellucida corpora esse statuit, *solem* seu *ignem* Cudw. & Mosh. *ibid.* C. IV. §. 16 p. 325. 327. & *aquam* ib. §. 34. p. 626. unde ea Persæ magno honore prosequebantur.

(f) v. *Floerkius l. c.* C. VI. §. 16. p. 170.

atque Sinas, tam priſcos, quam hodiernos, idem ultra Chinam Japonenſium ſectam Sindoſiviſtarum præcepiſſe demonſtravit, qui Philoſophiam gentium penitius excuſſit, celeberrimus Jacobus Bruckerus (g), eandemque Mundi animam Peruanis in extrema ſe adprobaſſe America notum eſt. Hi duo ingeniorum ſcopuli inter infinitas Philoſophorum gentilium opinationes ſemper tamen eminuerunt.

V. Magia omnis, uti eam in Oriente ſapientiam denotaſſe in vulgus notum eſt, ita apud cunctas omnino gentes ceteras nihil aliud quam ſapientia credebatur, id quod in ſequentibus plena luce radiabit, fuitque Cultus Deorum, cujus interpretes, licet ſapientum nomine indigni, primam ſapientiæ arcem tenere putabantur. Non tamen cum his diis DEUS OPTIMUS MAXIMUS nunc a nobis confundendus eſt, quippe quem gentes nonniſi per deos intermedios coli perſuaſerant. Hinc autem jactatum a ſacerdotibus, vel verius impoſtoribus gentilium cum diis his intermediis commercium opinionem illam produxit, quod ſacerdotes per deorum intermediorum auxilium & opem cuncta bona & mala hominibus adferre poſſint, quæ demum ad omnes illos, qui ſapientum titulo honorabantur, producta eſt. Videmus hinc Magos innumeros, & apud populos præcipue Septemtrionales Sagas ſeu feminas, quæ apud eos vel maxime in ſapientum numero cenſebantur, enatas, qui quæve pro arbitrio gentes idololatras naſo adunco circumducebant, tetro generis humani ſpectaculo. Sed quum omnes dii intermedii ethnicorum eſſent revera ſpiritus & dæmones mali, quod infra patebit, intelligitur ratio, cur Magia perpetuo a Chriſtianis in peſſima ſignificatione ſumta ſit. Videbimus tamen, quomodo homines pagani Magiam profitentes per immanes impoſturas ſumma quin immo ſcelera artem ſibi adſerere conati ſint, de qua etiam libros conſcripſere, licet ita ſolam plebem ludere, apud acutius videntes nullam exiſtimationem ſibi conciliare poſſent. Interim corollaria hominum horum doctrinæ inter plebem etiam Chriſtianam retenta ſunt, quæ infinitis turbis occaſionem dederunt. Cuncta hæc inferius plena luce perfundentur, verum hæc pro poſtulatis geometricis adſumenda.

(g) In *Hiſtoria critica Philoſophiæ.*

Quibus adde a paganis deos intermedios, quos illi ſibi fingebant, in *bonos* & *malos* diſtributos fuiſſe, quales, dum partim ex traditione a Patriarchis de lapſu Angelorum reliqua, partim ex ratione exiſtere colligentes (*h*) jungerent errori communi (§. II.), ſciſcebant per illos commercium cum principio bono, vel malo obtineri poſſe. Id, ſi cum bonis iniretur, THEURGIA, ſi cum malis, GOETIA, utraque dein Latinis MAGIA dicebatur, ut ipſis fere Græcis teſte LIBANIO SOPHISTA *Declam.* XLIII.

VI. Origo Magiæ ut antiquiſſimæ mundi Philoſophiæ in Oriente recte quæritur, quippe ex illo ceteræ gentes progreſſæ eandem doctrinam magicam ſecum detulerunt. Ergo apud Chaldæos primus diſciplinæ hujus magiſter Zoroaſtres reperitur ab illo Perſa (§. III.) valde diverſus, quippe multis ſæculis antiquior, qui tamen Magiam teſte Platone (*i*) *deorum* duntaxat *bonorum* cultum eſſe voluit, ſeu Theologiam quamdam gentilem myſticam. Unde CUDWORTHUS (*k*) cenſet a plurimis ex Zoroaſtris diſcipulis non ita multo poſt exceſſum ejus divinum Magiæ genus turpiter adulteratum, in ejuſque locum primum Theurgiam, poſtremo γοητειαν, ſive artem, ut idem ait, incantamentis & veneficiis nocendi ſubſtitutam fuiſſe; quam tamen artem nocivam tum demum adhibere inceperant Magi veteres, quum eos humani generis inimicus ſtimulaſſet promiſſiones ſeu jactationes ſuas effectui dare, quem non incantamentis, ut ii quidem fingebant, ſed veris venenis exequi adnitebantur, quod itidem infra planum fiet. Itaque Chaldæos, gentem de antiquitate cum Ægyptiis certantem, Magos jam ſuos habuiſſe conſtat, quos Ariſtoteles Ægyptiorum ſacerdotibus priores fuiſſe docet (*l*). Quum vero Chaldæorum religio vaniſſima ſuperſtitione & nefanda idololatria teſtibus ſacris paginis (*m*) referta fuiſſet, homines illi impoſtores callidiſſimi religionis hujus capiſtro populum ad

---

(*h*) Deducit inde Jo. CLERICUS, & recte quidem, cultum ſpirituum antiquiſſimam fuiſſe idololatriam in *Indice philol.* ad STANLEJI *hiſtoriam phil. Orient.* quem ſequitur *Floerke* *l. c.* C. VI. §. 1. not. 3.

(*i*) In *Alcibiade* T. I. *Opp.* p. 32.

(*k*) *l. c.* p. 325.

(*l*) Ap. LAERT. l. 1. ſegm. 8. ſeu *prooem.* N. VI.

(*m*) Jos. XXIV. 2. ſeqq.

nutum imperantis, & utilitatem ſuam infatuarunt, ac regum ſuorum favorem ſimul per artes non bonas promereri ſtudebant. Hinc primum deos in claſſes tribuerunt, dari deinde præter eos dæmonum genus deceptorium, natura malum, multiforme, deos placandi modum inque partes ſuas evocandi præceperunt. Quare & eorum negotium fuit divinatione futura prædicere, aut ex ſideribus, avibus, inſomniis, viſceribus animalium elicere, accerſita in auxilium Aſtrologia, quod nullum opus magicum ſine ſiderum operatione perfici poſſe crederetur, incantationibus mala avertere, & prodigia interpretari. (*n*) Percipitur inde facile, quid ſit, quod Daniel dicatur a rege Babylonis conſtitutus (*o*) *princeps magorum, incantatorum, Chaldæorum & aruſpicum*, & alibi (*p*) *præfectus magiſtratuum ſuper cunctos ſapientes Babylonis*, eadem ſignificatione.

VII. Hæc talis ſapientia ad populos Orientis omnes vicinosque propagata eſt. Et Ægyptii quidem initio ſpiritibus evocandis non ſtudebant, ſed eos invitatos ſimulacris ad certas cœli poſitiones inſinuari & ſtatuis includi credebant, quamvis inde Chaldæos quoque ſecuti ſint (*q*). Perſarum Magi, memorante ex Sotione Laertio (*r*), *divinationem exercebant ſibi deos adparere adſerentes.* Unde colligimus hos in illa ſua arte Chaldæis haud ceſſiſſe locum. Poſtea has doctrinas in Perſide indies magis excultas, populorumque deceptioni adcommodatas fuiſſe ſuadet magorum Perſicorum auctoritas, quæ diuturnum in Orientis Philoſophiam influxum obtinebat; quod magi non inſtitutione aut electione fierent, ſed tales naſcerentur (*s*), conſtituta quippe propria gente eorum ſuis legibus vivente, proprio, & vero, ut ita dicam, ſuperſtitionis ſeminario.

VIII. Poſita inprimis anima mundi illi, qui paullulum rerum naturam ſcrutabantur, indies magis rerum & entium omnium nexum perſpiciebant (*t*). Hinc vero falſis principiis in tranſverſum acti (§. II. IV.) perpetuas quaſdam impreſſiones animæ hujus divinæ

(*n*) vide Ezech. C. XXI. v. 21. & libros ſacros paſſim. *Diodor.* ſic *bibl. l. II.* p. 81.

(*o*) *Dan.* v. 11.

(*p*) *ib.* II. v. 48.

(*q*) v. *Floerk* l. c. C. VI. p. 159. 160.

(*r*) *procem.* N. VII.

(*s*) v. Brucker *H. Ph.*

(*t*) cf. Cl. Canzii *Medit. phil.* §. 614. *de rerum mundanarum nexu.*

in cuncta sublunaria, quod ipsa quidem anima harmonica sit, atque in continua proportione certis gradibus & nexu omnia retineret, commenti sunt. Ipsis insuper in rebus mundanis divinas quasdam virtutes latere, relationes, qualitates conciliatrices cum substantia & natura deorum, filamenta quædam & fibrillas in systemate mundano existere, quarum unius extremo tacto attrahatur alterum (*u*). Has certe doctrinas multi postmodum Græciæ Philosophi mire instruxerunt. Itaque has entium omnium proportiones mutuas quærebant indesinenter, quibus observatis se credebant immisceri diis, eosque ad omnia desiderata cogi. Ut adeo ad gentes universim adplicare liceat, quod DAN. GEORG MORHAFIUS de quibusdam Physicis monuit: „ Id *negari*, scribens, *nequit*, „ super mundi anima, si ea intellectu prædita statuatur, fundatam „ fuisse & adhuc fundari illam enthusiastarum Physicam &c. Ex hoc „ fonte fluunt naturæ magneticæ, sympatheticæ, astrologia divinatrix etiam circa actiones morales & contingentes, oracula, imagi- „ nes talis manicæ, omnis denique MAGIA. Nullæ sunt adeo ne- „ fandæ præstigiæ, nulla tam superstitiosa & stulta doctrina est, cui „ patrocinium ex hac opinione peti non possit. (*x*) „

IX. Tenemus jam modum, quo cultura Magiæ inter gentes invaluit, tenemus caussas, quæ eo impulerunt, didicimus, quid ea sit, & quare ex ea artem formare voluisse videantur (*y*). Neque opinor amplius cum Plinio mirabitur, quod Magia omnes inter populos ethnicos reperta fuerit, qui modo data planissima principia considerare velit. „ *Ars magica*, ait Plinius (*z*) *Gallias possedit*, & quidem „ ad nostram memoriam. Namque Tiberii Cæsaris principatus su- „ stulit druidas eorum, & hoc genus vatum medicorumque. Quid

(*u*) cf. Meditationes de *Magia veterum* Cl. Cl. virorum BONAMII & BLANCARDI *dans les Mémoires de l'academie roy. des inscr.* Tomo IV. & VI. Auctor *homiliæ in sanctam Christi generationem* ab aliquibus *Basilio* tributæ n. *6*. „ Genus Persicum magi vaticinatio- „ nibus & incantationibus, physicisque qui- „ busdam rerum antipathiis intenti, ac „ rerum sublimium contemplationibus vacantes „. *Opp.* BASIL. T. II. p. 600. *edit. Monachorum*.

(*x*) *Polyhist.* T. II. L. II. P. I. c. 11. n. 8.

(*y*) Scilicet ex hoc ipso rei totius natales in aprico constituuntur considerantibus nullo non tempore atque in toto orbe habitabili homines rudissimos suas qualescunque cognitiones *artium* nomine insignire.

(*z*) *Hist. natur.* L. XXX. c. 1.

„ ipse ego hanc memorem artem Oceanum quoque transgressam, & „ ad naturæ inane pervectam in Britanniam, quæ hodie eam celebrat „ tantis ceremoniis, ut dedisse Persis videri possit? Adeo ista toto „ mundo consensere, quamquam discordi & sibi ignoto „ Recte enim LACTANTIUS(*a*): „ Naturam hominis hanc Deus esse voluit, ut dua-„ rum rerum cupidus & adpetens esset, religionis & sapientiæ. „ Gentes igitur superstitionum tenebris immersæ, religione vera ceu duce rationis destitutæ, religionem & sapientiam in Magia quærebant, ad quam ex caussis allegatis sponte deducebantur (*b*). Concordat his, quod S. HIERONYMUS cum THEOPHILO ALEXANDRINO artem magicam *idololatriæ parentem* nominat (*c*)

X. Ex his notionibus intelligimus etiam plura, quæ juniores aliqui de antiquissima illa sic visa arte tradiderunt. S. AUGUSTINUS(*d*) Hermetem Ægyptium ita loquentem inducit. „ Quoniam proavi nostri „ multum errabant circa deorum rationem increduli, & non animad-„ vertentes ad cultum religionemque divinam, invenerunt artem, „ qua efficerent deos „ indendo nempe eos statuis (§. VII.) „ cui inventæ adjunxerunt virtutem de mundi natura convenientem, „ eamque miscentes, quoniam animas facere non potuerunt, evocan-„ tes animas dæmonum vel angelorum, eas indiderunt imaginibus „ sanctis divinisque mysteriis, per quas idola & bene faciendi & ma-„ le vires habuissent „ PLOTINUS præceptor Porphyrii (*e*): ἡ αληθινη μαγεια ἡ εν τῳ παντι φιλια και νεικος. „ Idem ait Magiam positam esse „ in sympathia, & multarum virtutum varietate in unum animal con-„ spirantium. „ PROCLUS (*f*) „ Sacerdotes, ait, antiqui quum „ considerarent, in rebus naturalibus cognationem quamdam, sym-„ pathiam aliorum erga alia, & manifestorum ad vires occultas & „ omnia in omnibus invenirent, *sacram* eorum *scientiam* condiderunt. „ Et iterum: „ Miscebant plura invicem, quia videbant simplicia, & ha-

„ bere

(*a*) *Inst. divin.* L. III. c. 11. cf. L. IV. c. 1.

(*b*) Hinc scribit Philostratus Euphratæ: Συ δ' ε μαγος αλλ' αθεος, *tu non magus, ergo atheus.* Philostratorum *Opp.* T. I. p. 391.

(*c*) v. locum infra §. 88. citatum.

(*d*) de *Civ. D.* L. VIII. c. 23.

(*e*) L. II. de *dubiis animæ Ennead.* IV. L. IV. c. 40. p. 434.

(*f*) in libello *de Magia & Sacrificiis.*

„ bere sufficientem proprietatem ad numinis advocationem &c. „ Huc porro revocandus liber ALCHINDI Arabis *de effectu projectuque radiorum*, quos statuit ex omnibus rebus emanare, refutatus olim JO. FRANCISCO PICO (*g*).

XI. Examinavimus radices, unde Magiæ opinio pullulavit, satisque adblandiri socordiæ humanæ potuit. Videndum nunc, quomodo homines eam profitentes in præcipuis populis, a quibus facile fiet ad alios rudiores argumentum, ejusdem progressum effecerint. Erant Magi, quod jam confectum est, Sacerdotes fere gentium, Philosophi, aut quidquid demum magni apud illos erat, qui in plebem maxima auctoritate utebantur. Id semel monendum Theurgos orientales in Vulgata solere exprimi per *Sapientes*, Goëtas Orientis per *Maleficos*, voce maleficorum jam a Constantini M. ævo passim Goëtis adplicata, quia per scelera diversa artem suam ostentare nitebantur (*h*). Illam vero differentiam in Oriente innuit Danielis caput 5. v. 11, ubi regina ad Balthasarem maritum suum de Daniele: „ Est vir in regno tuo, „ qui spiritum *Deorum Sanctorum* habet „ (*i*). Hi igitur homines per commercium cum diis suis jactatum obtentam auctoritatem ita sustinebant, ut procedente tempore Magia in Theurgiam & Goëtiam divisa artem peculiarem sibi vindicarent, congressus cum diis fingendo, qui ipsos leges suæ artis edocuerint, quibus obedire ipsimet velint, auguria per revelationem spirituum vel umbrarum mentiendo, medicinam, per quam se deos tutelares gentium simulabant, & Astrologiam jungendo, exorcismis, teletis, & cerimoniis rem totam exornando. Memorabile est, quomodo PLINIUS Hist. Nat. XXX. 1. rem exponat, quamvis ille non omnia perviderit. „ *Auctoritatem*, ait, *ei maximam*

B

(*g*) De *rerum prænotione* lib. VII. c. 6

(*h*) AUGUSTIN. de C. D. L. X. c. 5 LACTANT. *Inst. div.* L. II. c. 16. L. 5. & 8. C. J. de malef.

(*i*) Sacra Theurgica Orientis Numa rex in disciplina illa sua *Jovis* seu *fulminis eliciendi* instituta posteris commendavit. vid. OVID. *Fast.* IV. LIV. I. 20. 71. cf. P. BURMANNI Ζευς Καταιβατης cap. IX. *de Jove Elicio.* Romulus, qui & ipse Jovem elicuit, quum urbem conderet, OVID. *ib* usitatam etiam phœnicibus *purgationem per ignem* adhibuit. Cf. Epist. mea de *ritu ignis Joh.* p. 27 nunc differt. huic operi adnexa § 8. Quin & AUG. de C. D. L. VII. c. 35. ex Varrone Numam *hydromantiam* exercuisse scribit a Persis adlatam.

ſuiſſe, (videl. arti magicæ) *nemo miretur, quandoquidem ſola artium tres alias imperioſiſſimas humanæ mentis complexa ſe in unam redegit. Natam primum e medicina nemo dubitet, ac ſpecie ſalutari irrepſiſſe velut altiorem ſanctioremque medicinam; ita blandiſſimis deſideratiſſimisque promiſſis addidiſſe vires relligionis, ad quas maxime etiamnum caligat genus humanum. Atque ut hoc quoque ſuggeſſerit miſcuiſſe artes mathematicas nullo non avido futura de ſeſe ſciendi, atque ea e cœlo veriſſime peti credente. Ita poſſeſſis hominum ſenſibus triplici vinculo in tantum faſtigii adolevit.* Nos contra, Magiæ originem in relligionis ingenito ſtimulo deprehendimus, ex quo Sacerdotes gentiles facile commercium cum diis ſibi intercedere perſuaſerant, ad cujus tamen opinionem confirmandam miris technis ex rebus naturalibus, variis etiam ſuperſtitionum claſſibus deſumtis egregie imponebant rudi popello. Hunc progreſſum generatim hoc capite primo & ſequenti in Græcis & Romanis, quippe de quibus plura conſtant, contemplabimur.

XII. Verum ſpeciatim ſyſtema illud oculis noſtris obverſari debet, ex quo Magi gentium placita ſua hauſerunt; quod mihi ad ductum hiſtoriæ philoſophicæ, & ex datis prænotionibus meditanti tale fuiſſe videtur, recte eo comparatum, ut jactationibus ſuis colorem dare potuerint. Quum I. pleræque gentes cum antiquiſſimis Chaldæis (*k*) præter ſummum Deum (*l*) tres intelligibiles ſpecies, *Deos*, *Dæmones*, & *Heroas* ſumerent, neque Magi aliud cogitarunt. II. Deos non ſociari cum hominibus niſi per miniſtros ſuos, nempe dæmones receptum erat (*m*). Et de his exaudiendum eſt, quod Magi Chaldæi a Rege Nebucadnezare ad ſomnium ſuum conjiciendum adhibiti, quum viderent id nullis impoſturis tentari poſſe, neque a dæmonibus ejus revelationem exſpectandam eſſe, reſponderunt callide, neminem id ſcire, *exceptis Diis, quorum non eſt cum hominibus converſatio.* Dan. II. 11. ſeu, ut clauſulam hanc in eum locum commentatus R. JACHJADES effert, *præter deos, qui cum carne & ſan-*

(*k*) ARNOB. *adv. gent.* L. IV. p. 133.

(*l*) Deum hunc pleroſque gentilium Philoſophos materiæ ab æterno agitatæ incluſiſſe demonſtravit Moshemius ad Cudworthum. Unde intelligimus, cur divus Paullus *Deum ignotum* gentibus prædicarit. *Act. Ap.* c. 17.

(*m*) v. qui adhuc Seculo IV. poſt Ch. N. eadem principia ex antiquiſſima Ægyptiorum diſciplina profert, Jamblichum de *Myſteriis*.

guine non habitant. *Heroes* eſſe animos a corporibus ſejunctos, bonos quidem, ſi boni animi fuerint, ſi mali, malos (*n*). III. Eſſe illi Deo ſummo oppoſitum ens malum, vel diſtinctius, malum efficiens (§. II.), quod æque potens ſit in malo, ac ille in bono producendo (*o*), per conſequens miniſtros eorum entium alios exiſtere quidem bonos, alios autem eſſe malos, ſeu dæmones noxios præceperunt. Supra hos tamen locari Fatum, quod illis æque ut hominibus dominetur. Fatum hoc apud Græcos Romanos & Celtas receptiſſimum erat (*p*), & apud alios populos, quia pauciſſimi aſtrologiam non colebant, Sidereum, apud Romanos Stoicum audiebat. Artibus igitur magicis fata ſolvi ſciſcebant, quod aperte PORPHYRIUS profitetur (*q*), quum IV. omnia & ſupera & infera nexa ſint (§. VIII.); vel Deos attrahi, allicive, quod infra ſæpies exponetur.

XIII. Nunc de dæmonibus diſpiciendum. Quum anima divina innumeros emanaret dæmones, adeoque dæmonum ſeu ſpirituum mundus plenus eſſet (§. IV.), quidam vero eſſent noxii (§. XII. N. III.), Ægyptii corporis humani membra triginta ſex dæmonibus curanda tradiderunt, id quod CELSUS apud Origenem prodit (*r*); PYTHAGORAS vero, qui perſuaſus communi opinione veterum in Ægypto & Oriente fontes eſſe omnis ſapientiæ, quæ tradi-

B 2

(*n*) EUSEB. *præpar. Evang.* L. XV. c. 43 Magi libant *heroibus* ap. HERODOT. L. VII. c. 43.

(*o*) Cogita, quæ poëtæ de Plutone ſupponunt, qui Homero Iliad. IX dicitur ζευς καταχθονιος *Jupiter infernus.* Adde quod dii ſuperi i. e. proximi poſt OPTIMUM MAXIMUM ſeu Deum ſummum, juramenta ſua per *Stygiam Majeſtatem* firment. *Homer.* IL. XV. 36. *Silius* XIII. 569. Apulej. *Metamorph.* L. VI. p. 179. Ovid. *Metam.* I. 188. 737 II. 45.

(*p*) v. BRUCKER. *H. Phil.* add. JAC. THOMAS de *Stoica mundi exuſtione* Diſſert. XIII. & XX. add. inf. §. 184. in med.

(*q*) ap. EUSEB. *præp. Evang* L. VI. C. 4. Fata vero non immutari, ſed tantum differri, ſeu ad tempus ſolvi poſſunt. SERVIUS ad Virg. Æn. VIII. 388. „Sed ſciendum ſecundum aruſpicum libros & ſacra acherontica, quæ Tages compoſuiſſe fertur, fata decem annis quadam ratione differri &c." v. etiam infra § 23. in fine. De *Tage* CIC. *Divin.* II. 23 LACTANTIUS de *mort. perſec.* C. X FULGENTIUS de *priſco ſerm.* voc. *Manales* GORIUS in *Muſeo Etruſco* Tabulam, quæ Tagis ſimulacrum exhibet, adfert Inde *fata produci*, cum alii pro aliis mortem ſponte obibant, alieni ceu fati vicarii, apud romanos & græcos auctores legitur. Quæ ſuperſtitio aliis etiam gentibus inſedit. v. de inſulis Canariis ALOYS. CADAMUSTUM c. VIII. & SALMAS. ad SPARTIAN. *Adrian.* c. XIV.

(*r*) ORIG. *cont. Celſ.* L. VIII. p. 416.

tio ab illa altera de populo Dei ibi olim miraculis illuſtri dimanavit, duodecim annos in Ægypto verſatus, cunctisque ſapientum ejus gentis Sacris initiatus eſt, omnium rerum reconditarum cauſſas confeſtim ad dæmones retulit. Quæſitus e. c. unde acutus iſte ſonus naſceretur, quem æs purgatum edere ſolet, vocem hanc eſſe graviter reſpondit, dæmonis in ipſo ære incluſam, *φωνην τινος των δαιμονων εναπειλημμενην τῳ χαλκῳ* (*s*). Idem rithmis, modulaminibus muſicis, incantationibus & magiis paſſiones animæ corporumque, nominibus videlicet, ſoniſque dæmonum generi gratis & ingratis, fugaſſe, ſedaſſe, placaſſeque fertur (*t*). Quum porro inter dæmones animæ etiam defunctorum eſſent, uti infra patebit (§. XXIX. LVI. &c.), acutus ille Orientalis jam phyſicus cauſſam terræ motus nihil aliud eſſe ſtatuit, quam *συνοδον τεθνεωτων mortuorum conventum* (*u*), quam ſententiam fruſtra mirantur interpretes ad Ælianum. Pythagoram, cujus ſequacium doctrina hac in re cum vulgi conjuncta erat opinionibus, Platonici preſſo pede inſecuti cunctis in elementis, aere, aqua &c. ineſſe ſpiritus ponebant, qui pro lubitu illis ad commoda aut perniciem abuti poſſent mortalium (*x*), unde arceſſenda ratio eſt, cur venti in Deorum choros adſumti (*y*). EMPEDOCLES denique præcipuus inter Pythagoreos dæmonibus imperare credebatur *κωλυσανεμας* i. e. *venti prohibitor* inde dictus (*z*), quem Bruckerus cenſet profundiore medicinæ cognitione imbutum peſtilentiam aeris corrigere calluiſſe.

XIV. Mira hinc inter Magos & Philoſophos poſtea proprie ita dictos diſceptatio, an cum vetuſtiſſimis Græcorum dæmones corporei certiſque periodis interire cenſeri debeant? Theurgi gradus inter dæmones, ſicut inter homines comminiſcebantur. „ *Ut enim inter homines*, ait Plutarchus (*a*), *ita etiam* inter genios ſunt virtu„ tis, naturæque perturbationibus obnoxiæ ac brutæ (*τυ παθητικυ* „ *και αλογυ*) diſcrimina; aliis reliquiæ languidæ & obſcuræ tam-

(*s*) PORPHYR. in *ej. vita* p. 42. cf. *Ælian.* l. mox citando.

(*t*) *Porphyr.* ib. § 30.

(*u*) *Ælian. var. hiſt.* L. IV. c. 17.

(*x*) v. CHALCID. *Comment. in Timæum Platonis* cap. 119. & 134.

(*y*) v. *Herodot.* lib. VII. *Seneca Nat. quæſt.* L. V. c. 17.

(*z*) *Clemens Alex. Strom.* lib. VI. p. 454.

(*a*) de *Orac. defectu* T. II. Opp. p. 415. cf. *Plotin. Ennead.* III. lib. II. c. 14. ſeq.

„ quam excrementum quoddam adſunt, aliis copioſæ & deletu diffi- „ ciles „. Hinc media quidam incedentes via nec omnes mori, nec omnes immortales eſſe tuebantur, aliis diſſentientibus. Quare nova lis exorta, utrum dæmones illi, quos Theurgi ἀλογυς brutum & rationis inops genus dicebant, mori poſſent, nec ne? PORPHYRIO (*b*) non obſcure dæmones quosdam mori placet. PROCLO de hoc non liquet (*c*). AMMONIUS in Iſagogen Porphyrii ſententiæ hujusdem accedit. His tamen ſe opponit JAMBLICHUS (*d*). Totam tandem de deorum & dæmonum ordinibus doctrinam poſt exortam Evangelii lucem Seculo II. III. & IV. juniores Platonici ita in ordinem redegerunt, ut eos in ἐγκοσμιυς, ὑπερκοσμιυς, νοερυς και νοητυς, *mundanos*, *cœleſtes*, & *intellectuales* diſtinguerent, ſed & ſeculo tertio nomen αγγελος, ut multa alia a Chriſtianis mutuati ſint (*e*); immo poſtea hoc ſpurium dogma a Porphyrio & Jamblicho etiam *Angelorum* claſſe exornatum fuiſſe jam obſervavit JCTORUM decus JO. GOTTL. HEINECCIUS, (*f*) & id quidem expilatis Chriſtianorum ſcriniis.

XV. De dæmonibus malis illud certum eſt, eos non tanto numero fuiſſe receptos. Unde PSELLUS: (*g*) *Opinio græca parvam dæmonum partem judicat malam, & hanc quidem non tanquam electione talem, ſed ex prima rerum diviſione ſic affectam tortoris vicem gerentem* (*h*) *adverſus animas delinquentes.* Celtis quoque ſpiritus pleroſque bonos, quosdam malos eſſe viſum Bruckerus ex Edda islandica notat. Idem de aliis populis judicium eſto. De Sinis plane TRIGALTIUS (*i*): „Nec „ nulli dæmones ipſos conſulunt, & familiares ſpiritus apud Sinas „ ſunt non pauci, eaque res plus numinis quam dæmonum fraudis „ vulgo habere creditur „. In confeſſo autem eſſe ait Jamblichus

(*b*) in Ep. ad *Anebonem Ægyptium*, cujus fragmenta ap. Euſebium Theodoretum & Auguſtinum ſparſa collegit in unum THOMAS GALE, & præmiſit JAMBLICHO de *Myſteriis Ægyptiorum* Oxonii a. 1678. f. edito, qui Jamblichi liber eſt reſponſio ad memoratam Porphyrii ineptias theurgiæ mire pervidentis epiſtolam.

(*c*) in *Timæum*, l. IV. p. 288.

(*d*) l. c. ſect. III. c. 22.

(*e*) v. *Moshem.* l. c. Sect. III. C. V. §. 32. p. 1036. & 1082.

(*f*) Exercit. de *Philoſoph. Semichriſtian.* §. X.

(*g*) L. *de dæmonibus*.

(*h*) Idem habet *Porphyrius* L. II. de *abſtinent. ab animal.*

(*i*) de *Chriſtianorum expeditione apud Sinas* ad PAULUM V. Auguſtæ 1615. 4. L. I. c. 9. p. 94.

(*k*) *quod malorum dæmonum gens plurimum poſſit in generatione*, (i. e. in aſtro natali regendo) *rebusque humanis & mundanis*.

XVI. Abs re non erit quædam de prima Magiæ inter Celtas & majores noſtros cultura hoc loco adnotare. Scribit Cl. WACHTERUS (*l*) OTHINUM ducentis ante Pompejum M. annis ſedes quærendi cauſſa cum copiis ſuis ex Aſia in Germaniam veniſſe, multosque in iſta populos, inprimis eos, qui Saxonum nomen poſtea acceperint, in poteſtatem redegiſſe, pulſis in interiora Laponibus. Hunc corrupta jam Magorum in Oriente diſciplina inſtitutum eandem inter Germanos communem reddidiſſe. Ætate tamen prior eſt ABARIS Hyperboreus, qui Pythagoræ ætatem ſuperans Thaumaturgi perſonam mentitus in Græciam deſcendiſſe, atque admirabilem ſe apud Græcos & Italos præſtigiis feciſſe perhibetur (*m*). Memoratur ODINUS Runas, ſcripturæ genus, horumque inprimis in Magia uſum invexiſſe. Scilicet idem, qui inter ignaros & idololatras characterum ſuorum beneficio vocem humanam oculis legentium ſubjecerat, facile rudi ſeculo perſuaſit inſuper, hos ipſos characteres tam ſimplices quam compoſitos, ſi rite adhibeantur, incredibili pollere virtute dæmones evocandi (*n*), averruncandi, morbos ab iisdem excitatos pellendi aut infligendi, cujusmodi artificium Pythagoram in Oriente pariter didiciſſe vidimus (§. XIII.). Quamobrem egregius hic impoſtor ſtabiliendæ ſimul potentiæ intentus ſecreta hæc ſolos principes, Sacerdotes, & quales in gentem auctoritate valere plurimum (*o*) callebat feminas, **Allrunen** abinde dictas (*p*), tantum in aula ſua ſcire

---

(*k*) de *Myſt.* Sect. IV. c. 13.

(*l*) Gloſſar. in *Alrunen*, & *Othinus*. adde RUDBECK in *Atlantica* T. II. Cap IV. p 506. & alios de Othino, quos enumerat G. WALLIN de *Gladio magico Guſtavi Adolphi* diſſert. I. §. 3. not. 6.

(*m*) BRUCKER *H. Ph.*

(*n*) Pari modo idem chriſtianæ plebi de Jo. FAUSTO perſuaſum fuit, qui pro promota Typographia eam gratiam retulit, ut inter Magos ſenſu peſſimo connumeraretur. cf. BIERLING de *pyrrhoniſmo hiſtorico*.

(*o*) TACIT. *Hiſt.* IV. 61. de *M. Germ.* IIX. Inter Germanos enim, Gallos, Marcomannos, Sarmatas, Sacerdotum primum locum occupant feminæ præcipue Virgines, unde ab iis remedia Morborum, interpretationes ſomniorum, auguria eventuum & conſilia tam belli quam pacis petebantur, prout fuse exponit CLUVER. *Germ. Antiq.* lib I. p. 165. ſeqq. Et a VELLEDA nationis Bructeræ virgine hodienum fabulæ montis Bructerorum.

(*p*) i. e. omnium myſteriorum ſcientes a *Rune* arcanum.

voluit. Ita non tam miraculo literarum, quam præſtigiis inter Deos heroes (§. XII. N. I.) poſt mortem referri meruit. Quidquid de illo ſit, an ODINUS re ipſa extiterit, quod recentioribus haud videtur. Hujusmodi certe aliquis fuit impoſtor, qui primus forte Scandinaviam domuit; cujus filius THORO cum uxore DISA remotioribus in Septentrionem populis præfuiſſe dicitur. Cf. ep. cit. nunc diſſert. §. 15. Diſæ inter alia inventa Magia, hæc inquam deceptio publica, in acceptis fertur. Eam cum tympano depingi ſolere obſervat RUDBECKIUS (q), quod hoc inſtrumento & futura prædicere & imperium in ventos habere, futurorum aut præteritorum ſpecies resque longinquas coram ſiſtere crederetur. Cui fabulæ id mihi occaſionem dediſſe videtur, quod ope tympani ex Oriente, ubi rara haud erant hæc inſtrumenta advecti, illæ gentes in cœtus congregatæ, & ad rationem civilem attentiores redditæ ſint. Mira præterea eſt in ciendis animi motibus tympani vis. Memoratu ceteroquin dignum eſt barbarorum judicium, qui teſte SNORRONE STURLESONIO, *Odini artem multa nequitia permiſtam viris Scythicis non convenire arbitrati eandem imitari erubeſcentes deabus feminisque ſuis ſectandam reliquerunt* (r). Gallorum Britannorumque Sacerdotes ac Philoſophi druides, quod nomen ab his etiam

(q) L. c. p 513.

(r) ap. RUDBECK. L. c. p. 501. Mirifice hæc omnia colluſtrat vox illa priſca nationibus germanicis uſitata, Suecis, Danis, Anglis, Islandis & Germanis varie enunciata *Spel*, *Spelle*, *Spiell*, *Spiel*, *Spellung*, quæ idem ſignificat, quod Latinis *carmen*. *fabula*, *narratio*, *parabola*, quin ipſa etiam ſyllabarum collectio, unde Angli & ceteræ dictæ nationes cum Hollandis artem pueris propriam, ſyllabas ſcilicet colligere, verbo inde deducto nominant, gallis etiam *èpeller*. Fuerunt hæ voces translatæ ad artem illam magicam, quo ſenſu Angli *to ſet a Spell*, *carmen magicum imprecari*, *incantare* dicunt. Quid quod Germanis Spielmann aut Spelmann pro incantatore ſumatur, aliis nomine generali Zauberer a dementando, betäuben, taub machen comprehenſo? Conſervavit eam voculam Gloſſa ad *Jus provinc. Sax.* ubi ad Lib. I. art. 50. ita legitur: Wiſſe, daß die Gauckler und Zauberer auch Spielleute heißen. Hodie etiam auditur in proverbio: Hier liegt ein Spielmann begraben, jocoſe dicto in eos, qui pede offendunt, aut labuntur. Pateſcit ergo huic non æquipollere terminum apud Latinos arti magicæ proprium, *ludere*. v. PLINIUS H. N. XXXV. 15. *cum not.* HARD. IRENÆUS l. I. *Hæres.* 34. ad cujus locum illuſtrandum eſt MARSIL. CAGNATI L. III. *obſerv. var.* C. 10. inſcriptum de *ludicris Anaxilai*. GOTHOF. ad *l. 9. C. Th. de malefic.* Græci ἁπλῶς homines ejusmodi *curioſos* adpellitant. v. ACT. AP. C. 19. GALENUS L. X. *de Simpl. med.* Nos infra §. 89. & §. 114. *not.* s. HERODIAN. *Hiſt.* L. IV. c. 32., eosque imitantes Latini, ut HORATIUS *Ep.* Odin. 17.

ad Germanorum Alrunas pervenit, a Tiberio exterminati sunt; id quod Plinius supra (§. IX.) innuerat, inde a Claudio (*s*) aboliti. Recurrit adhuc Seculo III. *mulier druias*, quæ Alex. Severo in Gallias moventi *gallico sermone* inclamavit: *Vadas, nec victoriam speres, nec te militi tuo credas* (*t*). Nomen hodieque superstitionibus servit, quo referenda stella illa pentagonalis Πενλαλφα, *Salus Pythagoræ* (*), nobis **Drudenfuß** dicta.

XVII. Et hæc quidem hactenus generaliori meditatione historiis gentium suffulta complexi sumus, quo certas rerum classes haberemus, ad quas cuncta in subsequentibus paullo distinctius evolvenda referri possent, quibus tamen iterum singula, quæ dicta sunt, confirmabuntur, Consideravimus ergo Magiam in genere, nunc quatenus in Theurgiam, & Goetiam discerpta fuit (§. VI.), perpendendam. Huic divisioni cultus spirituum utriusque generis (§. V. §. XII. N. III.) ansam præbuit. Invaluisse amborum spirituum cultum satis evincit Porphyrius (*u*), qui fatetur a Græcis dæmones cultu honorari divino tanquam Deos, inter hos esse ἀγαθȣς, bonos, & noxios *κακοποιȣς, κάκοεργȣς*. At Græci eum procul dubio a populis orientalibus acceperant, inter quos Ægyptiis Typhon deus, mali principium, cultus fuit (*x*). Idem de Latinis putandum. Juno ipsa (*y*) sibi proponit, flectere si nequeat superos, acheronta movere, ac tandem ex inferis furiarum unam, *luctificam Alecto ciet*, cujus se bonis gratiis commendat & officiis. Referenda est huc antiqua aræ FATIS DERVORIBUS dicatæ inscriptio, quam Gutherius (*z*) *diis eversoribus* factam declarat ex antiqua voce DERVIT, evertit (*a*). Ad alias gentes concludere atque de his eadem adfirmare vix est, quod vetet. Posito autem hoc ad dæmones antitheos & ma-

(*s*) Suet. C. XXV.

(*t*) ap. Lamprid. in *Al. Sev.* C. LX. cf. Gronovii not. ad *Tac. Ann.* XIV. 30.

(*) v. Lucian. *pro eo quod inter salutandum verbo lapsus fuerat* inii.

(*u*) de abstin. ab animal. L. II. n. 37.

(*x*) *Plutarchus* de Iside & Osiride.

(*y*) Virgil. *Æn.* lib. VII. v. 312.

(*z*) de jure Pont. lib. IV. c. 8.

(*a*) Adde nummum cum inscriptione FATIS VICTRICIBUS ap. Spanhemium de *præst. & Usu Numism.* Diss. IX. p. 838.

& malos placandos cultu eo patebat aditus, ut ab iisdem varia impetrare molirentur. Unde GOETIA.

XVIII. Nos prius de theurgia videamus. Ista, quod Philostratus testatur (§. XXIV.) cum diis tantum bonis agit. Si quæras an scientia, an ars sit, Apollonius ipse theurgus id ignorasse præsefert, quod de præcipuo ejus effectu, Mantice, id in dubio relinquat. De hac enim ait: *ει δ'εςι τεχνη ὀπω οιδα*, *an ars tamen sit nondum novi.* (*b*). AUGUSTINUS eam ex mente Porphyrii dicit *Angelorum* (§. XIV.) *Deorumque conciliatricem* (*c*) Conciliatio vero ea fieri debebat per *Teletas*, seu certos ritus, qui consisterent in animæ purgatione, qua ea apta redderetur ad susceptionem dæmonum congressusque deorum (*d*). Huic jungenda erant Sacrificia, prout ea cuique ordini dæmonum conveniunt, quæ juniores theurgi ita effinxerunt, ut ex eorum præscripto a diis *materialibus* seu qui materiam regunt, mundanis (§. XIV.), per gradus ad immateriales adscendendo varianda essent. Heic vero quam maxime recurrit illud a nobis stabilitum principium (§. VIII.), quod JAMBLICHUS mire illustrat. Quum enim Porphyrius, qui vanitatem hujus theurgiæ perspexerat, ei opposuisset, quæ in supplicationibus seu sacrificiis offerantur, materialia esse, non posse igitur deos allicere, respondet (*e*): „ Sane si ex potentiis corporeis & compositis solis & ad organorum ministerium dumtaxat accommodatis constarent, quæ offeruntur, recte diceres; sed quum de speciebus incorporeis & proportionibus quibusdam & mensuris simplicioribus aliquatenus participent, penes hoc solum convenientia eorum, quæ offeruntur, cum diis spectari debet, & si qua reperiatur sive major sive minor affinitas & similitudo, sufficit illa, ad quam quærimus connexionem. Nihil enim quidquam est vel minima accedens ad deos congruitate, quin ei sese dii statim præsentes accommodent. „

(*b*) ap. PHILOSTR. *vit. Apollon.* L. VIII. c. 7. opp. T. I. p. 331.

(*c*) de C. D. lib. X. c. 9. Theurgiam late persequitur Floerkius L. c. C. VI. VII.

(*d*) De cerimoniis theurgicis vid. GALE ad *Jamblichum*, &, qui illum strenue expilavit, *Jo. Ern. Floerkius* L. C.

(*e*) de *Myst.* Sect. I. C. XV.

XXIX. Tradunt Theurgi vincula, quibus ſpiritus conjurentur, in proportionibus rerum fundata, quae quidem ipſi Dii inter ſacra rite vocati hominibus communicarint, prout ii apud Platonem, (*f*), Euſebium (*g*) quin ipſe Jamblichus jactat. De conjuratione generatim egregie ratiocinatur PORPHYRIUS inquiens: „ Me quidem tum vehementer angi ſentio, ubi mecum ipſe reputo, qui fieri poſſit, ut quorum veluti auguſtiorum ac divinorum opem imploremus, ii tamen perinde ut humiliores & deteriores obediant? Quod omnium abſurdiſſimum eſt, non jam vulgari cuipiam dæmoni, aut defuncti animæ, ſed ipſimet Soli ſiderum principi, lunæ, reliquisque diis cœleſtibus homo cuivis e populi fece obnoxius minas intentat, atque ut eos ad vera dicenda compellat, vanum falſumque terrorem oſtendit. Nam futurum denunciare, ut vel cœlum ipſum quatiat, vel Iſidis arcana patefaciat, vel quod Abydi occultum latet dictuque nefas eſt, in lucem proferat, vel ægyptiacæ navis curſum inhibeat, vel in Typhonis gratiam Oſiridis membra disjiciat; quidnam obſecro vel ſummum ad ſtuporem atque vecordiam iſta, quæ neque novit, neque efficere poteſt, comminanti vel numinibus, quæ fictitius & inanis iſte terror leviculorum puſionum more percellat, ſum-

(*f*) PLATONIS locus de Republ. vel de Juſto dial II. dignus eſt, qui adſcribatur. „ Vates & arioli ad januas divitum accedentes *perſuadent vim habere a diis ſacrificiis & carminibus* acceptam *purgandi* per celebritates & oblectamenta quædam, ſi quod ſcelus ab his, aut eorum majoribus patratum fuerit, & nocendi parvo etiam ſumtu, cuicunque velint inimicorum & juſto pariter & injuſto. Afferunt quippe tum blandimentis quibusdam, tum vinculis ſe deos inducere, ut ſibi in his hominibus obſequantur. Ad hæc omnia poetarum adferunt teſtimonia, partim quod facile labamur in vitium, partim quod Deus precibus noſtris muneribusque flectatur. Libros autem circumferunt Muſæi, & Orphei, Lunæ, & Muſarum filiorum, ſecundum quos ſacra celebrant, perſuadentes non privatis ſolum, verum etiam civitatibus ſolutiones & purgationes ſcelerum per ſacrificia cum ludorum oblectamentis fieri & viventibus & defunctis; quas quidem *Teletas*, i. e. expiationes vocant, quæ nos ab illis, quæ illic mala ſunt, liberent, ſacrificiis autem prætermiſſis nos gravia maneant. „ Clemens Alexandr. *Strom.* V. p. 416. meminit Branchii vatis Mileſios a fame expiantis. *Ille enim*, ait, *multitudinem* ramis lauri aſpergens hymnum dicendo præivit: Cantetis pueri heus HECAERGAN atque HECAERGAN. Ita autem acclamavit populus, ut diceret BEDY, ZAPS, CHTHON, PLECTRUM, SPHINX, CNACHZBI, CHYPTES, PHLEGMOS, DROPS. „

(*g*) *Præp. evangel.* L. V. c. 11. ſequ.

mam ad humilitatem reliqui fecit? „ S. AUGUSTINUS breviter de C. D. „ Lib. X. c. 11. „ ridiculum esse invocare dæmones per modum im- „ perii, aut eis comminando præcipere. Non enim est potestas in „ terra, quæ comparetur eis, ut dicitur Job. XLI. neque hominum „ dominio subjiciuntur. „

XX. Quid Porphyrio reponit Jamblichus? Mire se torquet, ut aliquid tandem respondisse videatur. Variis modis id tentat. Sectione enim IV. mox dicit duplex esse genus spirituum, aliud criticum, aliud brutum & cæcum (§. XIV.) „ imperia ad hoc brutum modo genus „ dirigi. Mox fatetur *jussa etiam ad illud* genus intendi, sed tum theur- „ gi duplicem esse rationem, alteram, qua tanquam homo, alte- „ ram qua tanquam deorum minister autoritate muniatur divina, „ fiatque analogus angelis. Sacerdotem seu theurgum suum minari, „ quatenus deorum ineffabilium, quodammodo personam sustineat, „ & sic in ceteras divinitates auctoritatem adquirat, Sect. VI. c. 6. explanat. Sed capite VII. dissensum Ægyptios inter & Chaldæos ea de caussa esse docet. *Quapropter*, addit, *Chaldæi*, apud quos „ distinctus purusque est deorum solorum cultus, nunquam minis „ utuntur; Ægyptii vero, qui cum Symbolis deorum permiscent „ etiam ea, quæ ad dæmones pertinent, ad minas ejusmodi aliquan- „ do deveniunt. „

XXI. Vincula (§. XIX.) enarrantur I. *ex mundo intellectuali α) preces sacræ*, quæ magna pars Sacrificiorum esse, & præprimis ea perficere dicuntur; mihi idem videntur esse ac *incantationes*. Jamblichus vero eas a diis ipsis missas hominibus, deorumque esse tesseras, quas iidem soli intelligant, condocefacit. Non tamen omitti debet, qua ratione Porphyrius hoc vinculum traducat. „ *Preces*, ejus sunt verba, *&* *orationes*, quibus utuntur ma- „ gi invocantes deos suos, inanes & ridiculæ videntur. Sic enim „ eos compellant: Tu, inquiunt, qui e ligno emersisti (nota deos materiales §. VIII.), „ qui sedes in loco, qui navigio navigas, „ qui singulis horis formas commutas, & in singulis Zodiaci signis „ commutaris: atque his precationibus & adjurationibus ajunt deum „ se hominis visui subjicere! „ β) *Nomina deorum* adsignantur, quæ non ex Græcia sed ex Orientis regionibus peti debeant. *Licet enim*,

ait JAMBLICHUS, *ſint ignota, tamen ſine omnia apud deos ſignificant.* Eſt quoque ratio hujus rei „ pergit ſect. VII. c. 4. myſtica,
„ quoniam enim ſacrarum gentium, veluti Ægyptiorum, & Aſſy-
„ riorum totum dii ſermonem ſacrum judicarunt, hanc ob cauſſam
„ colloquia noſtra cum diis exiſtimamus oportere facere in ſermone
„ diis quaſi cognito. „ Recte iterum hæc explodit PORPHYRIUS. Quare mirum eſt ORIGENEM (*h*) his nominibus *occultam* adſerere *theologiam* velle, & neſcio quam tribuere efficaciam, ſed nempe Magorum jactantia deceptus. Ejusmodi nomina ſunt SABAOTH, ADONAI, ELOHIM, teſte ORIGENE. Ergo bene CHRYSOSTOMUS: „ Nulla
„ ineſt iis verbis efficacia, ſed qui iis fidunt, hos ob impiam confi-
„ dentiam ſæpe illudi a ſatana ſinit juſtiſſimus Deus. „

XXII. (γ) Pythagoræi ad ductum Magiſtri ſui (§. XIII.) aliud in NUMERIS & *lineis* arcanum excogitarunt. PORPHYRIUS ita ſcribit: (*i*) „ Pythagorici circa numeros lineasque verſati ex his & diis
„ plurimum dedicabant, ac ſimiliter in figuris atque ita ſimilibus Sa-
„ crificiis diis adeo placuerunt, ut unumquemque Deorum ſuis ob-
„ lationibus advocarent, eorumque beneficio frequenter ad vatici-
„ nium uterentur.. „ (*k*) II. *Ex mundo cœleſti* conſtat ex peculiaris conſtellationis ſeu cœli aſpectus, certi temporis, loci, aliarumque circumſtantiarum obſervatione. Hoc vinculum jam docuerunt Chaldæi & Ægyptii (§. V. VI.), quod in omni operatione magica influxus ſiderum ex certa poſitione & hora obtinendus requiratur. Atque hinc certis quibusdam materiis, quæ ſuperis conſentaneæ ſunt, rite collectis, partim phyſice, partim aſtrologice conflatis dona non ſolum cœleſtia aut vitalia, ſed & intellectualia deſuper ſuſcipi poſſe JAMBLICHUS, totaque PLATONICORUM ſchola inculcat. Prodiit hoc vinculum ex aſſumto illo: dæmonum plenum eſſe mundum, eosque ſingulis mundi partibus præeſſe (§. II. XIII.). Contra ſiderum influxum videatur præclara diſſertatio SEXTI EMPIRICI libro V.

(*h*) *contra Celſum* L. I. p. 19. L. VI. p. 297.

(*i*) lib. II. *de abſtin.*

(*k*) Ridet hoc vinculum EUSEBIUS *præp. evang.* L. V. c. 9.

adverſus Mathematicos & FAVORINI philoſophi apud A. GELLIUM (*l*). III. *Odores.* APOLLONIUS (*m*) gloriatur, dum lamiae quoddam ſpectrum Corinthum infeſtaret, ſibi Herculem in eo depellendo adſtitiſſe, neque magnis ad eam rem opus fuiſſe muneribus, ſed placenta tantum ac thure. IV. *Lapides*, *herbæ.* SYNESIUS: (*n*) „ *Atqui & alicui deo ex deorum numero mundanorum lapis hic, herbave congruit, quibus quaſi compatiens naturæ cedit ac veluti faſcinatur.* „ (*o*)

XIII. Denique theurgi homines de ipſis deorum adparitionibus inſtruebant, quo nempe ſatellitio hi inſtructi comparere ſoleant. JAMBLICHUS ſtatuit ſacrificiis magicis omnes deorum ordines commoveri. *Jam vero*, ſcribit Sect. V. c. 9. „ *quum cauſſæ* rerum plurimæ ſint, & aliæ quidem absque medio præſint, ſicut dæmonia, „ aliæ vero his ſuperius conſtitutæ ſint, ſicut divinæ cauſſæ, & his „ etiam una antiquior (i. e. ſummus deus §. XII. N. I.) adhuc cauſa „ præſit, certe in ſacrificio *perfecto* omnes iſtæ cauſſæ commoventur. „ Ut vero deorum familiaritate digniores fierent, ſtatuebant ex doctrina Ægyptiorum, animam, quæ fatali quadam neceſſitate mortalis corporis vinculis incluſa ponebatur, prout PLATO, JAMBLICHUS, SYNESIUS, & alii confirmarunt, eo debere adniti, ut per varios purgationum gradus ad deum reverti poſſet (*p*). Quamobrem per philoſophiam *conſuetudinem moriendi*, ut APULEJUS loquitur, obtineri volebant, qua nempe anima rationalis (v. §. XXVII.) ſolvatur ab anima animali, quæ peccato, & malo ſemper deprimatur ad peſſima, ut ſic illa ad Deum aſcendat. JAMBLICHUS (*q*) tradit rationalem animæ aſcenſum non poſſe inſtitui vel perfici ſolo ſtudio humano, ſed opus eſſe dæmonibus, qui animæ purgationem & liberationem a geneſi mundana doceant; ubi addit ſe in alio tractatu de diis, qui tamen hodie non exſtat, accuratius diſputare, *tum quinam*

(*l*) Noct. Att. L. XIV. c. 1. Adverſus Aſtrologos COLUMELLA olim ſcripſerat, ut ipſe innuit *de re Ruſt.* L. XI. C. I.

(*m*) L. V. p. 341.

(*n*) *de Inſomniis* circa init.

(*o*) De annulis, metallo, ſigillis, imaginibus magicis, vide amplius *Floerckium* C. VII.

(*p*) v. hæc late perſequentem *Floerkium* C. VII. §. 16. not. C.

(*q*) Sect. VIII. c. 8.

dii ad superos præcipue duces sint, & secundum quales suas potentias ET QUOMODO FATUM SOLVANT. (§. IIX.)

XXIV. Nos ad alterum genus hominum, quos magia produxit, transferimur, qui cum diis inferis res suas habebant, quemmadmodum theurgi cum superis. Hi *Goetæ* dicuntur, professio vero eorum *Goetia* (r). Juvabit huc ante omnia prolixiorem licet Apollonii Tyanei de his factam descriptionem audire, qui, quum se vellet ab objecta Goetia purgare, nobis illos ad vivum depingit (s): *Talia*, inquit is, (intel. facta naturalia) „ *Simpliciores mortalium* Goetarum esse dicunt, eidemque errori obnoxii sunt in aliis multis, quæ „ industriæ sunt humanæ. Nempe ad eandem artem confugere opus „ habent athletæ, omnesque qui in agonibus certant, victoriæ du„ cti cupiditate. Atque nihil quidem ea ad victoriam ipsis adjumen„ ti præstat; attamen, qua fortuito potiuntur victoriam impruden„ ter arti huic in acceptis ferunt; neque ei minus, etiam ubi exciderint ausis, fidem adhibent. Si enim hoc, inquiunt, immolassem „ vel adolevissem istud, victoria haudquaquam me destitutura fuisset. „ Talia loquuntur, talia omnino sibi persuadent, & omnino sic esse „ opinantur. Eodem modo mercatorum etiam fores frequentat incan„ tandi studium. Nam & eos animadvertere liceat mercaturæ emo„ lumenta Goëtæ in acceptis ferre; incommoda vero parsimoniæ „ suæ, & quod, quantum par erat, Sacrificiis non impenderint. „ Maxime vero amantes ars illa occupat. Quum morbo enim labo„ rent, qui adeo deceptionibus eos facit obnoxios, ut cum aniculis

(r) Notanda semel verba Nicephori ad Synesium de insomniis. Γοητεια μεν γαρ ἐστιν ἡ ἀπο των ἐνυλων και ακαθαρτων και κακοποιων δαιμονων ἐστιν ὡς προσκαλȣμενη. ἐχε δε και το ὀνομα ἀπο των γοων, ὡς θρηνων ἀξια πραττȣσα. Μαγεια δε ἐστ ἡ δια των μεσων ἀυλων τε και ἐνυλων ενεργȣσα. i. e. „ Goetia quidem impurorum, „ materialium & malevolorum dæmonum „ evocationi studet. Accepit vero nomen „ a luctibus, quod ploratu digna faciat. „ Magia autem est, quæ per dæmones im„ materiales materialesque (v. sup. §. 14.) „ operatur. „ De hac Magiæ divisione consule amplius Suidam in Μαγεια, Γοητεια. August. de C. D. L. X. c. 9. Glycam Annal. P. II. &c. Cur vero Goetia lacrymis digna suadere vel facere dicatur, patebit paullo post.

(s) Ap. PHILOSTR. in *vita* sua L. VII. c. 39.

„ etiam de ejusmodi rebus agant, nihil est valde mirum, si ad hujus-
„ modi Sophistas accedant, & in talibus aures eis præbeant; qui &
„ cestum (*t*) ipsis gestandum offerunt, & lapillos alios ex terræ re-
„ conditis locis, alios ex luna & astris direptos (*u*), aromata insu-
„ per quæcunque in hortis Indorum nascuntur, pecuniamque sibi
„ grandem hisce rebus comparant, ipsis vero prosunt nihil. Si enim
„ affectu quodam adversus amantes commotis iis, quos in deliciis
„ habent, aut muneribus victis successus habuerit amor, laudibus
„ ars solet extolli, ut quæ *nihil non possit*; Si vero fefellerit ex-
„ perimentum, in aliquid prætermissum culpa rejicitur; nempe,
„ quod tale quid non adoleverint, aut sacrificaverint, aut igne li-
„ quidum fecerint (*x*). Sed modi, per quos ostenta cient, & alia
„ plura patrant, in *literas quibusdam sunt redacti, qui effuse artem illam*
„ *risere* (*y*). Mihi quidem ostendisse nequidem conversandum adolescen-
„ tibus cum talibus esse, ne vel per ludum hisce rebus assuescant, ad
„ digressionem est satis. Quid enim pluribus rem & naturæ invisam
„ & legibus heic tractem? „

XXV. Hæc super Goetarum artibus descriptio elegans, gravis & verissima. Discimus ex ea, quale hi homines apud plebem æstimium habuerint, quam omnia illi ad lucellum capiendum detorserint. Hic fons omnium, quas illi sordities & quæ scelera foverunt,

(*t*) Notus est cestus veneris ex Homer. Iliad. L. XIV. v. 214. v. inf. §. LXXIII.

(*u*) Hodienum notæ patellæ lunares die Mondschüßlein. *Glossopetra* (Gemma) *deficiente Luna cœlo decidere & lenocinanti necessaria creditur.* Plin. H. Nat. L. XXXVII. c. 10.

(*x*) Nempe ex cera amati imaginem fingebant, eamque igne solvebant, ut amore amatus, sicut cerea ejus imago igne liquesceret Patet ex Virgilii Pharmaceutria seu *Ecl.* VIII. v. 80. Tales *cereas imagines* memorat Horatius *Epod.* carm. 17. v. 24.

(*y*) Summas enim etiam dignitates per Goëtiam obtineri posse persuasio erat. Apollonius ad Domitianum hæc verba facit: „ Tu patrem fortasse imperii appetentem „ Goetis (γοησι) potius quam suæ virtuti „ confisum esse atque a me id consecutum, „ ut ad deos ejus adeptionem referret, opineris? „ At ille prius quam ad me in „ Ægyptum veniret, esse potiturum confidebat. „ PHILOST. L. VIII. p. 330. Huc referendum est, quod nebulones teterrimi jactarunt, se *omnia ferali murmure in aliam effigiem transferre*, ut Apulejus Metam. L. II. *init.* loquitur, quod germani verwünschen a Magis Vatibus (v. §. 63.) dixerunt, quam verbi notionem Itali retinent in voce *augurare*.

ut videbimus, recte haberi potest. „ Idem Apollonius (z) de iis: „ Magnas opes affectant obnoxios sibi facientes cujusque rei vehe„ menter cupidos, eo quod *omnia se posse* profiteantur. „ Ibidemque amolitur a se Goetiæ calumniam, quum se ostendit divitiis non inhiare. Cui si jungas systema Magorum omnium proportionale, quo infera cum superis esse nexa non sine emphasi jactare poterant, (VIII. X. XVIII.) nihil mirum, si totam in omni natione gentili plebem naso adunco suspenderent. Scilicet theurgia non eadem emolumenta promiserat, hæc non adeo sensibus blandiens, difficilis, & periculosa videbatur, quod & purgatam, & castam cum dignitate mentem exposceret, atque si in suis operationibus, vel minimum negligeretur, effectus non solum nullus secundum Jamblichum (*a*) sperandus esset, sed & talis non recte operans malorum dæmonum & antitheorum odio arbitrioque exponi diceretur; ubi e contra Goetia omnibus nebulonibus, vilioribusque animis, quorum ipso religionis suæ ductu plena erat gentilitas, patrocinabatur. Si quæras, an ea sit ars, Apollonius de eo non dubitat (*b*). Sed rationem addit, quæ id non evincit, quod nempe ea *alicujus commodi & lucri caussa exerceatur*: quæ si ratio obtineret, omnis generis nugæ artes dicerentur. Quum vero cum præsenti argumento maxime cohæreat, penitius scrutandum erit, quibus ex rebus eadem coaluerit. Id monendum Latinos per magicam artem fere denotare Goetiam solere.

XXVI. Porphyrius (*c*) docet eos, qui per Goetiam mala operantur, dæmones malos honorare; quippe qui dæmones fingant se esse bonos: βουλονται γαρ ἐιναι, ϗ ἡ προεστωσα ἀυτων δυναμις δοκειν θεος ἐιναι ὁ μεγιστος. „ Volunt enim, hi dæmones *præpositaque eis vis* Deus „ esse videri summus „. Apollonius (*d*) testatur Goëtas omnia *inferis diis* (χθονιοις θεοις), *in quibus Hercules censeri non potest*, quod *sit purus & benignus hominibus*, tribuere. Plinius dicit magicam artem præ-

(z) L. II. X. c. 7. p. 331.

(*a*) Sect. III. c. 31.

(*b*) L. c. Q. Curtio, ubi incidit sermo de arte magica L. VII. c. 4. de rebus Alex. præfari visum: *Si modo ars est non vanissimi cujusque ludibrium.*

(*c*) L. II. de abstin.

(*d*) L. c. p. 341.

præter alia *promittere umbrarum inferorumque colloquia* (*e*). De his porro diſpiciendum ex theologia gentili.

XXVII. Vetuſtiſſimis, qui ante omnes, quos novimus, Græcorum Philoſophos floruerunt, ſapientibus hæc inſediſſe videtur opinio, binas eſſe in homine animas, alteram vitæ animalis, ſenſus & cupiditatum ſedem, quæ deſtrui poſſit; alteram rationis & intelligentiæ participem, cujus natura ætherea diiſque cognata ſit, immortalem; utramque dum vivit homo conjunctam eſſe; poſt obitum corporis eas referre tenuem imaginem, quæ forma humana plene retenta, ſi quis mortalium eam complecti velit, inſtar fumi evaneſcat, ut ex Homero (*f*) adparet. Sed quid fiat huic imagini? Viri magni, qui delicias, quas ſenſus pariunt, ſpreverant, & virtutibus heroicis ſtudentes mentem a ſenſibus cohibuerunt, hoc jure uti credebantur, ut mentes eorum (θυμος, φρενες) animi ſentientis vinculis in ipſo exceſſu ſolutæ ad deos commigrarent, animis ſentientibus (quos Græci ψυχη ἀνδρος, εἰδωλον, Latini *umbram*, *ſimulacrum*, *imaginem* & *manes* dixere) cœtui civium ſubterraneorum adgregatis. Mentes vero plebejæ, quæ ideis ſenſualibus nimium adhærent, dum in mortali ſunt corpore, animis, in quibus vita & ſentiendi vis eſt, ita docentur adſueſcere, ut ſolutæ corporibus, non amplius ab his divelli queant, ſed una ad inferos deſcendant. Addiderunt utrumque animum & in beatorum cœtu degentem, & in Inferis corpore ſubtili veſtiri, quod adhuc omnia veſtigia juncti olim veri corporis habeat. Ita in Homero (*g*) animæ Ulyssi apud Inferos exiſtenti exhibent larga adhuc vulnera. Inſignem etiam in Apulejo hoc illuſtrantem locum invenio (*h*), ubi de ſuſpenſo patre filiæ in ſomnio adparenti. „ *Filiæ per quietem ob-*

D

(*e*) H. N. Lib. XXX. c. 2. adde Lucanum L. VI. v. 700.
Noſtræque Hecates pars ultima, per quam.
Manibus & mihi ſunt tacitæ commercia linguæ.

(*f*) Iliad. Lib. XXIII. v. 119. Zoroaſtrem animæ duplex corpus, oſtraceum ſeu teſtaceum, & æthereum tribuiſſe refert Porphyrius *de abſtin.* Æthereum vero corpuſculum duabus tunicis conſtare, alia *Spiritua-li*, alia *lucida* & materia ſubtili docuiſſe Chaldæos conſignat Psellus in *Orac. chald.* p. 100. cf. *Aug.* de C. D. L. X. c. 9. v. *Floerk.* p 198.

(*g*) Odyſſ. Lib. XI.

(*h*) Metam. lib. IX. p. 231.

„ *tulit sese flebilis patris sui facies adhuc nodo revincta cervice, eique to-*
„ *tum novercæ scelus aperuit, & quemadmodum* Larvatus *ad inferos de-*
„ *measset.* „ (*i*)

XXVIII. Inferi, seu subterraneum quoddam & amplissimum umbrarum animorumque regnum in tria spatia dividuntur. Triplex est animorum genus. Prima classis eorum, qui sanabiles sunt, & in certo quodam ideo loco versantur, quem divina providentia curationi eorum proprium esse voluit. In hoc ita pœnis ob exquisita merita curantur, ut sensim animus sentiens plane tollatur, & defluat, mensque libera omnibusque soluta perpessionibus ad beatorum cœtus proficiscatur, ubi sine fine summa quies & tranquillitas. Plato (*k*) has inter pœnas statuit volutationem earum *circa sepulchra*, seu ut Platonici & cum his Cicero (*l*), *circum istam terram.* Falsa hæc Platonicorum figmenta esse præcipue Chrysostomus (*m*) docet. Hanc vero pœnam etiam animabus a Rabbinis & Mohammedanis adsignari ostendit David Millius in Tr. *de Mohammedanismo ante Mohammedem* (*n*). Altera Classis animis seu umbris & idolis (§. XXVII.) constat purgatis, qui ex carcere emissi loca incolunt omnibus deliciis referta, quæ Poëtæ campos *elysios* vocarunt. Sic Ulysses ap. Homerum ait (*o*) se inter inferorum um-

(*i*) Hanc a Græcis & Latinis adoptatam veterum Theologiam vide eruditissime explanantem Moshem ad *Cudworthum* p. 1036 - 1057. qui & ostendit, quomodo eam Philosophi, & Poetæ, populus deinde ratiociniis, pigmentis, & fabulis detorserint. Revocanda huc est pariter alia opinio, quæ ex Ægypto descendens, v. Diod. Sic. *Bibl.* I. & Græcos & Latinos occupaverat, quod ea anima non possit stygiam paludem tranare, atque elysios inhabitare campos, cujus corpus non ante sepultum fuisset. Homer. *Il.* XXIII. Euripides *Helen.* v. 1304. Virg. *Æn.* VI. 328. ad quod dogma confirmandum variæ circumlatæ fabulæ de spectris domos infestantibus, donec manes conderentur, prout videbis in Luciani *Philopseude* T. II. p. 750. & in Plinii *junioris* L. VII. *epist.* XXVII. Patet vero inde simul, unde *R. Bar Nachmoni* in *Bereschith Rabba* cap. XXII. quidamque doctores thalmudici doctrinam illam hauserint, animas, quarum corpora nondum sepulta sint, *Scheol*, seu ἅδην non posse ingredi.

(*k*) In Phædone. cf. Plut. de facie in orbe lunæ.

(*l*) In fin. *somnii Scipionis.*

(*m*) Serm. XXIX. in Matth.

(*n*) Dissertatione decima §. 51. p. 398.

(*o*) Odyss. L. XI. v. 600. add. Lucret. L. I. v. 120.

bras vidisse idolum Herculis, quocum sermonem habuerit, ipsum vero apud superos degere. Tertia Classis eos continet, qui in *Tartaro*, quem Poëtæ adpellant, prorsus insanabiles æternas scelerum, simulacris suis (§. XXVII.) juncti, pœnas dant (*p*). Eandem fere populorum borealium Theologiam fuisse notum est.

XXIX. His animis partim purgandis, partim torquendis adsistunt *dii inferi.* Qui torquendis præsunt (§. XV.) & qui purgandis (XXVIII.) uno nomine *manes* dicuntur. Primum enim *manes* sunt idem ac dii inferi (*q*), deinde pro umbris animarum (§. XXVII.), vel pro animabus junctis (§. XXVIII.) sumuntur proprie (*r*), ac demum pro diis inferis, qui curandis præficiuntur animis (*s*). Pulchre APULEJUS (*t*) „Est & species
„ dæmonum Animus humanus emeritis stipendiis vitæ corpore suo
„ abjurans, hunc vetere latina lingua reperio *Lemurem* dictitatum.
„ Ex hisce ergo lemuribus, qui posterorum suorum curam sortitus
„ placato & quieto numine domum possidet, *Lar* dicitur familiaris.
„ Qui vero ob adversa vitæ merita nullis bonis sedibus, incerta va-
„ gatione (§. XXVIII.) ceu quodam exilio punitur, inane terricu-
„ lamentum bonis hominibus, ceterum noxium malis, id genus ple-
„ rique *Larvas* perhibent (*u*). Quum vero incertum est, quæ cui-
„ que sortitio evenerit, utrum *Lar* sit, an *Larva*, nomine *Manem*
„ *deum* nuncupant. Scilicet & honoris gratia dei vocabulum addi-
„ tum est. Quippe tantum eos deos adpellant, qui juste ac pruden-
„ ter vitæ curriculo gubernato pro numine postea ab hominibus pro-
„ diti fanis & cerimoniis vulgo advertuntur, ut in Bœotia Amphiaraus,
„ in Africa Mopsus, in Ægypto Osiris, Æsculapius ubique „. Di-

(*p*) v. Sermonem Sibyllæ Æneam ad inferos ducentis apud VIRGIL. *Æn.* VI. 539.

(*q*) Virg. Georg. L. IV. v. 489.

(*r*) *id. ibid.* v. 468. *Æn.* X. 524. IV. 490.

(*s*) id *Æn.* VI. v. 743. cf. Lucan. *Pharsal.* L. IX. *in princip.*

(*t*) de Deo Socr. p. 50.

(*u*) PAPIAS de his dæmonibus: *Quorumdam natura esse dicitur terrere parvulos & in angulis garrire tenebrosis.* Huc spectant *Fauni* Romanorum de quibus Plin. H. N. L XXV. *pœoniam* (herbam) *mederi & faunorum in quiete ludibriis, quam*, addit, *præcipiunt eruere noctu, quoniam si Picus Marcius videat, tuendo in oculos impetum faciat.* Observanda profecto cautela!

citur autem ab antiqua voce *manes*, quod est *bonus*, nam antiqui *bonum fieri* pro *mori* dicebant (*x*).

XXX. Quum Goetia ex generali spirituum intermediorum (§. IV) & speciali noxiorum (§. XVII.) cultu orta sit, cultus autem hic etiam *dæmonibus* illis, qui *animæ defunctorum* sunt (§. XXIX.) ab hominibus ideo tribueretur, „ quod, ut Clemens Alexandrinus „ ait (*y*), viderentur a divina providentia propter vitæ puritatem „ (§. XXVIII.) potestatem accepisse, ut ad hominum ministerium „ spatium illud, quod est circa terram (το περιγειον) obirent „, mirum non est, si Goetæ præter Deos inferos sibi deos manes conciliare studuerint, & verbis Plinii (§. XXVI.) *umbrarum inferorumque colloquia promiserint*, quæ verba nunc intelligere cœpimus (*z*). Cujus tamen genuinam rationem enucleatius pandit Simon ille Magus his omnibus mysteriis initiatus, qui ait (*a*): *secundum locum post Deum obtinet anima hominis, cum exuta fuerit a corporis sui tenebris; statim denique & præscientiam habet, propter quod evocatur ad Necromantiam.* Sed & aliam v. ex Tertulliano inf. (§. CLXXXI.)

XXXI. Sacrificia quibus sibi hos deos benignos reddere tentabant, ex systemate proportionali (§. XXV.) gratissima censebant esse, quæ in sanguine constarent. Adcommode Th. Gale (*b*) notat: „ Sacrificia dæmonibus multo sunt gratiora, quam aliæ ex rebus aliis „ exhalationes, quoniam in nidoribus Sacrificiorum sunt animæ ve- „ stigia vividiora, atque adeo *cognatio major*. Hanc ob causam in „ evocandis manibus & dæmonibus fere adhibebant sanguinem calen-

---

(*x*) Ita Plut. *Quæst. Rom.* p. 52. Festus autem ab effectu, quod scilicet *late manent*, seu diffundantur manes, originationem arcessit. Verius *J. Clericus Bibl. Chois.* T. IV. p. 93. a radice orientali *moun*, unde *thmounah*, imago, similitudo.

(*y*) *Stromat.* lib. VI. p. 455. cf. August. de C. D. IX. 11. Papias: *Manes deos mortuorum dicunt pagani, quorum potestatem infra lunam & terram afferunt.*

(*z*) Illustrat Lucanus lib. VI. ubi hæc ad *sagam* dirigi narrat:

— — — numina torque
Vel tu parce deis, & Manibus exprime verum,
Elysias resera sedes, ipsamqe vocatam,
Quos petat e nobis, mortem tibi coge fateri.

(*a*) In *Recognition. Clement.* L. II. n. 13. De Simone v. inf. §. 90. seqq.

(*b*) Ad *Jamblich.* sect. IV. c. 10. p. 267.

tem & anima plenum. v. FICINUS ad L. V. *Enn.* III. „ Ideo ab antiquissimis traditum sapientibus ad Græcos & Romanos pervenit, sanguine animos (§. XXVII.) pasci, quod Ulyssis apud Homerum historia extra omnem ponit controversiam. Namque is, quum ad inferos descendisset, bestias jubetur jugulare, quo propitiis utatur animis, & sanguinem earum accedentibus animis bibendum propinare: neque citius vera loqui & res suas narrare possunt animi quam sanguinem biberint (*c*). Pythagoras totius orientalis doctrinæ promus condus (§. XIII.) *nutriri animam ex sanguine* docuit (*d*). Porphyrius (*e*) amplius exponit dæmones antitheos „ *libamine nidoreque carnium oblectari.* „ *His enim*, ait, *corpus* eorum spirituale pinguescere solet; vivit „ namque hoc vaporibus fumigationibusque atque varie admodum, „ ut par est, per varia, nidoreque sanguinis & carnium vires ad- „ sumit. „ Ubi & monet virum prudentem ab ejusmodi sacrificiis, quibus hos dæmones ad se attrahat, abstinere debere. Addit denique & illud, quod adprime huc adnotasse juvat: „ Qui ex vatici- „ nantibus animalium insinuare sibi animas optabant, præcipua il- „ lorum membra deglutientes velut corda cervorum, vel talparum „ vel asturum accipiebant subinde præsentem animam dei ritu vati- „ cinantem. „ (*f*)

XXXII. Posito hoc principio sanguinario (§. XXXI.) & inter populos sparso quis porro non videat magos goetas ad sanguinem unde unde conquirendum impulsos fuisse, sive ex animalibus, sive hominibus, ut eodem diis suis (§. XXX.) litarent? De sanguine animalium id jam constat (ex §. XXXI.) De sanguine autem humano ex mox adducendis exemplis abunde patebit. Sed si neque hæc adessent, colligi id posset partim ex summa perfectione

(*c*) v. Hom. Odyss. lib. XI. add. *Jo. Laur. Moshem. L.c.p.* 1039. *§.* 4. *Lucan. I.* 39. *Et pœni saturentur sanguine manes.*

(*d*) Laert. L. VIII. cap. I. n. 19. segm. 30.

(*e*) L. II. de abstin.

(*f*) Eadem in omnibus Slavorum relligio, de quibus HELMOLDUS in Chronico l. I. c. 53. *Mactant — plerique etiam Diis suis hostias de hominibus christianis, quorum sanguine deos suos oblectari jactitant. Post cæsam hostiam Sacerdos de cruore libat, ut sit capacior oraculis capessendis. Nam sanguine dæmonia facilius invitari multorum opinio est.*

animalis, ut ita dicam, humani quodque adeo cum ſpiritibus ſubtili corpore veſtitis (§. XXVII.) maximam videbatur habere proportionem (§. VIII. XXV.) partim ex eo, quod id relligio publice recepta adprobaverit. Sane Achilles in funere Patrocli XII. Trojanos juvenes mactat, & pyræ injicit (*g*) *ad placandam amici umbram*. Magiſtratus Romani ſe pro exercitu diis manibus devovebant (*h*). Iidem romani in ſacrificiis inferiis ſanguinem captivorum aut gladiatorum rem manibus gratam adhibebant (*i*). Mos apud Romanos immolandi homines manſit ad Lactantii tempora (*k*). Et ne in aliis gentibus idem prætextus Magis deeſſet, eadem relligio & Afros uſque ad Tiberii proconſulatum (*l*), & Phœnices (*m*), & Scythas (*n*), & boreales nationes (ſupra §. XVI.), & Gallos, Germanosque (*o*) tenuit. Tiberius Cæſar hæc ſacra demum, ubi potuit, tollere conatus eſt, ut veriſſime Plinius L. XXX. c. 1. „ Non ſatis æſtimari poteſt, quantum Romanis debeatur, qui ſuſtulere monſtra, in quibus hominem occidere relligioſiſſimum erat, mandi vero etiam ſaluberrimum. „ Magi Britannorum *cruore captivorum adolere aras*, & HOMINUM FIBRIS CONSULERE DEOS *fas habebant*, ſcribente Tacito XIV. *Annal.* 30. CAROLUS M. adhuc Saxonibus ſuis inhibuit: (*p*) „ ſi quis hominem diabolo ſacrificaverit, & in hoſtiam *more paganorum* dæmoniis obtulerit, morte moriatur. „

(*g*) Iliad. L. XXIII. v. 175.

(*h*) Liv. VIII. 9.

(*i*) v. Virgil. Æn. X. v. 519.

(*k*) v. GROT. de V. R. Ch. II. 11. Tertull. Scorpiac c. 7. Lactant. div. Inſt L. I. c. 21.

(*l*) Minuc. Felix *Octav.* c. 30. Tertull. Apolog. c. 9.

(*m*) Porphyr. L. II. de abſt. n. 56. De Carthaginenſibus phœnicum colonia *Juſtin.* Hiſt. XVIII. 6. *Plin.* H. N. XXXVI. 5. *Curt.* IV. 3. n. 23.

(*n*) Herodot. IV. 62. Ovid. IV. Triſt. el. 4. v. 63. Seneca in Octavia v. 977. Juven. Sat. XV. v. 116.

(*o*) J. CÆS. de B. G. VI. 16. MINUC. LACT. TERTULL. *ll. cc.* TACIT. de M. G. c. 9. & ibi *Lipſius.* Apollonius gloriatur ſe, ut beneficum aliquod numen apud Maſſagetas, Scythas, Thraces aliosque, qui naturam exuerint, populos, cruenta inhumanaque ſuſtuliſſe ſacrificia. *Philoſt.* Opp. T. I. p. 343. L. VIII. c. 8.

(*p*) In capit. *de partibus Saxoniæ* c. VIII. Et Gregorius III. P. ep. 122. ad Bonifacium (inter ep. Bonif.) ſcribit: *Hoc inter alia agi crimen in partibus illis dixiſti, quod quidam ex fidelibus ad immolandum paganis ſua venumdent mancipia.*

XXXIII. Nunc facile intelligemus, cur apud veteres tot nefanda magorum goetarum ſacrificia memorentur. HORATIUS (*q*) facit exactam deſcriptionem ſacri cujusdam magici. Innocens puellulus *inſignibus raptis* (i. e. bulla & prætexta direptis, unde adparet eum fuiſſe patricium) noctu ſplendente luna a ſagis vel magis feminis quibusdam deſtinatur ſacrificio infernali. Veja Ligonibus duris excavat humum. Puellum in foſſam injicit, extante mento tenus capite longo die tentaleis pœnis elanguire jubent. In quem finem? Ut ejus exſucta medulla & aridum jecur materia eſſet poculi amatorii, quo ad Canidiam amaſius reverteretur. Supra (§. XXIV.) diximus ex Apollonio goetas in rebus venereis maxime dominari. Magos pueris nobilibus inhiaſſe confirmat LAMPRIDIUS, ubi de ELAGABALO (*r*) ſcribit: „ Cædit & humanas hoſtias lectis ad hoc pueris nobilibus & decoris per omnem Italiam patrimis & matrimis, omne denique magorum genus (theurgorum & goetarum §. LI.) aderat illi, operabaturque quotidie hortante illo & gratias Diis agente, *quod amicos eorum* inveniſſet; cum inſpiceret exta puerilia, & excuteret hoſtias ad ritum gentilem ſuum. „ Porro in DIONE compendiato narratur de *Didio Juliano*, eum ad Magica ſacra multos infantes occidiſſe, quod rurſus confirmat Spartianus ſcribens: „ Fuit in Juliano hæc amentia, ut *per magos* (quia hi ſe omnia efficere poſſe jactabant §. XXIV.) *pleraque* faceret, quibus putaret vel *odium populi deliniri, vel militum arma compeſci.* Nam & quasdam non convenientes romanis ſacris hoſtias immolaverunt, & carmina profana incantaverunt. „ Poſt ejus vero mortem inventum fuit in cella quadam ſubterranea, in quam ille ſæpius deſcendere ſolebat, cadaver mulieris capillis adpenſæ diſſectum, in cujus jecinore victoriam a Perſis reportandam expiſcari meditatus fuerat. (*s*)

XXXIV. In quadam epiſtola S. DIONYSII Ep. alexandrini (*t*) refertur præcipuum quemdam magum ægyptium Imp. Va-

---

(*q*) *Epodon.* Carm. V. cf. *ſerm.* I. 8.

(*r*) c. 8. p. m. 275.

(*s*) v. CASSIODOR. *Hiſt. eccleſ. tripart.* L. VI. c. 48.

(*t*) ap. *Euſeb. Præp.* L. VII. c. 10.

lerianum admonuisse *παιδας αθλιυς ἀποσφαττειν*, & alibi (*u*) de Maxentio legitur, quod gravidis mulieribus partum exemerit ad evocandos dæmonas. Ammianus (*x*) narrat sub Valente Pollentianum tribunum vivæ mulieri fœtum se exsecuisse confessum esse *infernis manibus excitis, ut de permutatione imperii consuleret.* (*y*) Et quum magis goetis ita esset proprium vitæ hominum insidiari, recte Gothofredus ad L. 14. *C. Th.* de accusat. censet, *internecini actionem & crimen suspectæ mortis* in ea lege ad Magos referri debere. Quis vero miretur eosdem sceleratissimos, & falsis principiis suis innitentes simulque vaferrimos homines venenis sibi ad sanguinem humanum viam parasse, quo sacrificia sua perficere possent? ut adeo præter *maleficorum* κατ' ἐξοχην adpellationem (§. XI.) etiam publicum *veneficorum* nomen meruerint. Quare quum circa annum U. C. DCLXXIII. Lex Cornelia *de Sicariis & Veneficis* a L. Cornelio Sulla dictatore lata esset, etiam SCT. ad eam factum est, ut *qui mala sacrificia fecerit, habuerit*, ejusdem legis pœna teneretur (*z*). Huc denique referendum, quod Plinius *contra venena, quæ sibimetipsis homines excogitant, magicasque artes remedia* memorat (*a*).

XXXV. Scopum horum sacrificiorum generalem, ut sibi Magi numina conciliarent, vidimus; vidimus & specialem, ut deos in col-

---

(*u*) ib. c. 14. add. Euseb. *de vita Constant.* I. 3. *Zosimus Hist.* II.

(*x*) Lib. XXIX. 20.

(*y*) Adde Lucanum de saga ubi L. VI.

Vulnere sic ventris, non qua natura vocabat,
Extrahitur partus, calidis ponendus in aris;
Et quoties sævis opus est, ac fortibus umbris,
IPSA FACIT MANES: HOMINUM MORS OMNIS IN USU EST.

Non alio pertinuit, quem Servius Sulpicius Jctus conscripserat liber *de sacris detestandis* Gell. L. VI c. 12. prout etiam Bynkershoeckio *de rellig. peregr* Opusc. p. 240. suboluerat ex hoc Lucani versu VI. 430. *Detestanda deis sævorum arcana Magorum*, licet is *sacra* simpliciter *impia* mavelit subintelligere. Explicat licet longo post intervallo Paulus Diaconus, dum de civibus Bergamensibus hanc narrationem instituit. „ Cum a Saracenis, inquit, obsiderentur, a Mago quodam ut in desperatis rebus malo exemplo fieri solet, consilium exquisiverunt, qua ratione urbem suam obsidione liberarent. Respondit certo id futurum, si dextras suas in ollam intinxissent, in qua fœtus e gravida matre per vulnus detractus ebulliisset. Quod cum relligiose admodum fecissent, nihilominus omnes in hostium potestatem venerunt. „

(*z*) L. 13. *D.* ad leg. Corn. de Sicar. add. §. V. *Inst.* de publicis judiciis.

(*a*) H. N. Lib. XXV. c. 9.

colloquia allicerent (§. XXX.), ut inceptus amor bonum exitum haberet, ut vaticinandi ſpiritu donarentur (§. XXXIII.) &c. Quas cunctas impoſturas hodie in TANGUTO vel TIBETO deprehendas, ubi peculiares ſcholæ magorum inſtitutioni habentur, quarum doctores omnia ſe regni inferi arcana tenere perſuadent, ut P. AUGUST. ANTON. GEORGII in *Alphabeto Tibetano* late docet P. I. p. 242. 403. Mage vero adhuc determinat, qui nobis legem Corneliam exponit, JCT. JULIUS PAULLUS (*b*) ſub *Imp. Alexandro Severo. Qui*, inquit, *ſacra impia nocturnave* (publice, exigente neceſſitate §. XXXII. religioſa cenſebantur. cf. PLUTARCH. Quæſt. rom. XXCIII.), *ut quem obcantarent, defigerent, obligarent, fecerint, faciendave curaverint, aut cruci ſuffiguntur, aut beſtiis objiciuntur.* (SCHULTINGIUS ad hæc verba recte contra MERILLIUM *Obſerv.* L. VIII. c. 4. colligit, opus haud quaquam fuiſſe ad pœnam incurrendam, ut his alicui mortis cauſſa ſit præbita, ſatis eſſe, ut hæc eo animo ſint facta.) *Ipſi vero* (profeſſione) *Magi vivi exuruntur.* (Non ita in Græcia. v. infra paſſim.) Defigere autem eſt verbum goetis proprium, quo jactabant ſe hominem adſtringere ac impedire poſſe, ne aliquid faciat (*c*). Atque hoc ulterius examinandum eſt.

XXXVI. Vidimus ſupra, quod ad amorem ab amato mutuum eliciendum ex cera amati imaginem effinxerint. In defixione autem nomen illius, cui nocere volebant, materiæ cuidam infigebant, & deſuper incantamenta & imprecationes additis vinculis, de quibus poſtea, effutierunt. Adde infra §. XXXIX. not. *z* de iyngibus. TACITUS (*d*) ubi narraſſet Germanicum ſub mortem ſibi de veneno accepto metuiſſe, in confirmationem hujus ſuſpicionis, addit. „ Et re-

(*b*) Lib. V. *recept. ſentent.* tit. 23. n. 15. 17.

(*c*) Ut præclare obſervavit ANT. SCHULTING ad *Jul. Paul.* l. c. Hinc autem *defixiſſe* loco *deflexiſſe* reponendum in *l. 4. C. de malef. & mathem.* cenſet cum Cujacio & Gothofredo & aliis; ſed Apulejus intercedit ſcribens in fine *Apologiæ*: *cur ego Pudentillæ animum veneficiis flecterem?* Nec aliter Græci verterunt, (ἐπικαμπτειν, ςρεφειν.). Ac etiam in codice Theodoſiano, ad quem diſſentientes tamen provocant, primæ editionis a SICHARDO procuratæ *deflexiſſe* legitur. Quare omnes verbi hujus vellicationes ſunt fruſtraneæ.

(*d*) *Annal.* L. II. 69.

„ periebantur solo ac parietibus erutæ humanorum corporum reli-
„ quiæ, carmina, & devotiones, & *nomen Germanici plumbeis tabulis*
„ *insculptum*, semusti cineres, ac tabe obliti, aliaque maleficia, queis
„ creditur animas numinibus infernis sacrari „ (*e*). Primus quoque ad defixiones magicas spectasse eleganter conjecit V. C. THEOD. RYCKIUS (*f*) illud, quod idem TACITUS scribit „ in libello Libonis
„ nominibus Cæsarum aut Senatorum additas atroces vel occultas
„ notas accusator arguebat „. *Defigere monumentis*, seu sepulcris, occurrit in inscriptione memorabili apud GRUTERUM (*g*), ubi colonia & ordo decurionum POPULI TUDERTIS Jovi votum solvunt, quod is Servi publici infando latrocinio defixa monumentis ordinis decurionum nomina numine suo eruit & vindicavit; unde persuasio illa, qua Goetæ in populis dominabantur, demonstratur. Ita defigere homines, obligare, &, quod sagæ æthiopicæ attribuit Virgilius (*h*), *solvere mentes* venditarunt. Magi se jam, inquit CLEMENS ALEXANDRINUS (*i*), „ suæ impietatis gloriantur ministros habere
„ dæmones, ut qui eos in suorum famulorum numerum adscripserint,
„ & necessitate adactos servos fecerint suis carminibus. „

XXXVII. Hæc itaque in paganis tolerari poterant. Sed neque postquam hi Christiani facti sunt, ut nunc aliquantum digrediar, hæ superstitiones evelli poterant; immo hi Christianorum disciplinam ad ideas paganicas aptabant. S. AUGUSTINUS Episcopus Hipponensis (*k*) conqueritur, quod „ illi qui seducunt per ligaturas, per
„ præcantationes, per machinamenta inimici, misceant præcanta-
„ tionibus nomen CHRISTI. Et iterum (*l*) plangit has superstitio-

---

(*e*) PLINIUS H. N. L. XXVIII. c. II. „ Defigi quidem diris deprecationibus nemo „ non metuit. Huc pertinet ovorum, ut „ exsorbuerit quisque, calices cochlearum- „ que protinus frangi aut eosdem cochlea- „ ribus perforari „.

(*f*) *Animadv.* ad TACITI *Annal.* L. II. c. 30. p. 37.

(*g*) *Corp. Inscript.* ex edit. *Burmanni* T. I. p. 19.

(*h*) *Æn.* IV. 487.

(*i*) Admonit. ad gentes p. 29.

(*k*) Tract. VII. in *Ev. Johan.* T. III. opp. p. 344.

(*l*) ib. p. 346. Idem deplorat CHRYSOSTOMUS Hom. XXI. *de mulier. ornatu*, ubi habet; „ Putantes se excusari dicunt: „ Christianam esse hanc mulierem excantan- „ tem, nihilque loqui quam dei nomen! „ propterea eam magis odi & aversare, „ quod dei nomine ad contumeliam utitur, „ dum se dicens christianam gentilium ope- „ ra facit, etenim & dæmones dei nomen „ fatebantur, & tamen erant dæmones. „ Luc. IV. „

nes nonnisi aliis, quæ tamen videantur meliores, commutari posse. „ Cum caput, ait, tibi dolet, laudamus, si Evangelium ad caput „ tibi posueris, & non ad ligaturam cucurreris. Ad hoc enim per„ ducta est infirmitas hominum, & ita plangendi sunt, qui currunt „ ad ligaturas, ut gaudeamus, quando videmus hominem in lecto „ constitutum jactari febribus, & doloribus, nec alibi spem posuisse, „ nisi ut sibi Evangelium ad caput poneret. Idem detestatur superstitionem ligaturæ, quæ *in auribus* tribuebatur, & hinc a viris *ex summis auribus in una parte* suspendebantur (*m*). Quid quod S. CHRYSOSTOMUS Episcopus Constantinopolitanus corollaria ex antiquissima gentili philosophia inter christianos reliqua verbatim denotet? *Dicebant*, inquit (*n*), *animas mortuorum dæmonas fieri* (XXIX.). *Itaque Goetæ multi* (πολλοι των γοήτων) *captos pueros jugulabant, ut animam sibi postea ministrantem haberent. Hoc ipsi, inquiebant, dæmoniaci dicunt: Ego sum anima illius cujuspiam.* Verum, addit os aureum, „ hæc „ fraus & fallacia est. Neque enim anima mortui est, quæ clamat, „ sed dæmon, qui hoc simulat, ut auditores decipiat. Nam si „ posset anima in dæmonis substantiam ingredi, multo facilius in „ corpus suum ingrederetur. Itaque *anicularum ebriarum* hæc verba „ sunt & puerorum terricula „ (*). Sed & ego aliud quid hoc in textu perspicio, quod nemo hactenus eruit. Is ipse scilicet ansam nobis præbet interpretandæ ex veris historiæ & ceteris hermeneuticæ fontibus legis *Multi* VI. *Cod. Just. de malefic. & mathematicis*, de cujus inscriptionis significatu v. infra §. CXCV. Animadverto enim CHRYSOSTOMUM philosophiam quamdam, quæ in Pythagoreorum scholis exculta græcum latinumque pervasit imperium, memorare, cui ipsi eradicandæ lex ea multo ante lata sit. Hanc vero, quod quatenus quidem ad constructionem grammaticam attinet, tum deinde quantum rem concernit significatam, viros a multis seculis ma-

(*m*) Ep. CCXLV. v. locum hujus epistolæ ap. *Gratian. de consecr.* dist. V. can. 38.

(*n*) Hom. XXVIII. in *Matth.* T. VII. Opp. p. 336.

(*) Idem T. VII. *opp.* p. 394. T. IX. p. 699. T. X. p. 609. commemorat eos, qui *Necromantiam exercere audebant*, dæmonumque ac mortuorum suo tempore invocationes.

ximos latuerit, communis ita superstitionis fomes immerito tamen habita, agedum uberius explicemus.

XXXVIII. Est ea lex edictum ad populum a CONSTANTIO Augusto & JULIANO Cæsare a. Ch. 357. Mediolani emissum, qualia edicta horum principum adhuc duo de eodem loco & anno habemus, scilicet unum contra Haruspices l. 5. h. t., alterum in eos qui sepulcra violant l. 4. t. seq. quo nomine Goetas etiam comprehendi mox elucebit, utraque in eumdem finem tendentia. Verba legis nostræ 6. hæc sunt: *Multi magicis artibus usi* (o) *elementa turbare, vitam insontium labefactare non dubitant, & manibus accitis audent ventilare, ut quisque suos conficiat malis artibus inimicos; hos, quoniam naturæ peregrini sunt, feralis pestis absumat* (p). Goetæ scilicet erant, qui infrunitam licentiam, & pythagoricæ phrenesin scholæ (q) secuti, nefandis superstitionibus eo prolapsi sunt, ut ipsis *elementis*, seu initiis & staminibus fœtuum humanorum (r) ad tentandos manes seu dæmones (v. §. LVII.) abusi, vitam ita innocentium plurimorum

(o) *Usi* non *ausi* legendum esse & sensus & ratio suadet, ut perperam JAC. GOTHOFREDUS hoc ultimum substituat.

(p) Cf. ad hanc L. inf. lib. II. c. II. §. 53. p. 344.

(q) Id inprimis notandum est Pythagoreorum scholis, non ipsi Pythagoræ, de isto enim pleraque sunt incerta, totum populi, de quo lex loquitur, fanatismum posse tribui. Eas tantum animas, quæ morte violenta a corpore separatæ fuissent, oberrare, & hinc evocari posse ARIGNOTUS Pythagoricus in *Philopseude* LUCIANI prodit. Rem ipsam plures tradunt; SIMON MAGUS infra §. 91. TERTULLIANUS infra § 81. n. q. CHRYSOSTOMUS cit l. Et TERTULL. de *Anima* c. 56. *Ajunt & immatura morte præventas eousque vagari isthic, donec reliquatio compleatur ætatis, qua cum pervixissent, si non intempestive obiissent.* LIBANIUS SOPHISTA *declam.* XLIII. opp. T. I. p. 911. Ubi enim ad luem sopiendam oraculum Delphicum filium cujusdam civis immolandum suasisset, deinde vero forte filius Goetæ immolandus decerneretur, LIBANIUS eum Goetam, etiamsi a filio suo abstineretur, se pestem sedaturum pollicentem ironice ita solatur: *Nunc autem, quæ mihi ars tua suggerit, ausculta. Quid formidas o Mage? Quid lacrymaris? Habebis etiam post cædem filium! Tibi evocanti parebit, colloquetur, conversabitur per noctes; utique etiam ministrabit alacrius, quam cetera manium simulacra. Quocirca ne moereas, quando cum urbe ipsa tu quoque privatim lucraris.* Hinc non inepte C. 16. *caus.* 26. *q.* 7. *Pythagorica necromantia* adducitur. Iisdem forte scholis debetur, quod PLUTARCHUS *quæst. rom.* XCV. narrat, Romanos ad mortuorum evocationes maxime *leguminibus* uti. Ita vero ciere manes LUCANUS *facere manes* vocat §. 34. n y., & alibi prædicat sagam suam post truncata regum cadavera *tantos adquirere manes.* Aniculæ nostræ infanticidam *facere angelum* dicunt

(r) Quid elegantius illo: *elementa turbare?* & tamen nostri doctores aeris intemperiem provocare interpretati sunt. Quid

præfocarent & deſtruerent (*s*), puerosque demum, quod addit CHRYSOSTOMUS, jugularent (cf. L. I. §. XXXIII. XXXIV. CX. L. II. §. XXXVII. in m.); Verum nec his contenti alios quoque in ſceleris conſortium pertracturi illo quidem ſe manes acciviſſe jactato ventilarent (*t*), id eſt, populum in ſe ipſum concitatum eo permovere niterentur, ut quisque ſuos ſaltem inimicos malis artibus, id eſt, ſive telo ſeu venenis procurata morte, ars quippe apud latinos uti τεχνη apud græcos de variis etiam modis & aſtutiis accipitur, conficeret. Quæ monſtra hominum ſub larva latentia quomo-

E 3

vero monſtroſius cogitari poſſet, ac modo in cœlum aſcendere & de turbatis illius regionibus conqueri, modo terram petere, atque de vita inſontium labefactata differere, & id quidem in una lege eodemque cohærenti ſermone? ut adeo omnino τὸ *labefactare vitam* alterius illius phraſeos *elementa turbare* interpretationem agere cenſendum ſit. Licet alias gentiles poteſtatem ſibi in aereos dæmones (v. ſup. §. 13.) adſeruiſſent; qua ratione Arnuphin Magum ægyptium, qui cum M. ANTONINO *Philoſopho* in caſtris contra Quados & Marcomannos erat, pluviam advocaſſe, Hermete illo, qui in aere eſt, præſtigiis quibusdam (μαγγανειαις τισιν) invocato tradit DIO CASSIUS. v. BAUMGARTEN *de Legione fulminatrice contra Thom.* WOOLSTON. Sed elementa hominis naſcentis multifariam diſturbata fuiſſe luculentis exemplis docemur. Adde præter loca cit. JUVENAL. *Sat.* VI. inf. §. 109. not. *m.* Quanti autem illud eſt, quod DIONYS. GOTHOFREDUS & Chymicos & Alchymiſtas his in verbis latere conjicit?

(*s*) *Labefactare* eſſe idem ac *deſtruere* ex latinis patet auctoribus. CICERO de invent: l. I. c. 2. *pervertere urbes & vitas labefactare*, PERSIUS *forcipe labefactare* Sat. IV. v. 40. dixit.

(*t*) Quum ſummos inter ſe auctores de hac voce diſſentire videam, operæ omnino pretium eſt omnes ejus vocabuli ſignificatus hoc loco coacervare. Igitur I.) propriam ejus acceptionem nemo neſcit pro *vento faciendo excitare.* Ita SILIO: *rapidusque incendia flatus ventilat.* l. XVII. v. 510. Sed inde II.) terminus theatris areniſque proprius evaſit. Scilicet antequam in illis tubæ ſigno ludi committerentur, armis præludebant, id eſt, parmas, clypeos, haſtas in ſpeciem in ventum, aut in altum jaciebant, recipiebantque cum venuſtate, quod *ventilare* dicebatur. LIPSIUS *Saturn.* l. 2. c. 19. & PETR. FABER in *Semeſtribus.* III.) Metaphorice etiam populum inter ſe agitare & in ſuam ſententiam pertrahere velle ſignificat. Tunc vero Ablativum, ut ajunt, abſolutum deſiderat, quod ex lege noſtra perſpicitur. Quin & eodem modo *lingua quaſi flabello ſeditionis ventilare concionem* ait CICERO *pro Flacco* c. 23. Hunc jam indubitatum eſſe in lege noſtra ſenſum ad oculum patet. Sed & porro IV.) eo verbo uſos eſſe veteres pro *diſceptare*, in aprico conſtituitur in L. 4. §. 23. D. de *dol. m. & m. except.* ubi *ventilari quæſtio* legitur. Poſtquam deinde vocabulum id ſuam perdidiſſet notionem, latino-barbari ſumere cœperunt V. I.) pro *vexare* ſeu *inquietare* v. du FRESNE *Gloſſar.* h. v., quam ſignificationem in noſtra lege puriſſimis ex latinitatis fontibus hauſta præter rem quæſivit

documque nomines, Augusti comburi jubent (*u*). Speciatim etiam sequenti anno tormentis subduntur & e comitatu Augustorum ejecta sunt. l. 7. C. J. h. t. Valentinianus & Valens AA. lege quam Adrian. Relandus ad annum 364. adfigit, prohibuerunt, *Ne quis deinceps nocturnis temporibus aut nefarias preces, aut magicos adparatus, aut sacrificia funesta celebrare conetur*, ipsi conatui *competentem animadversionem* minati l. 7. Cod. Th. Zosimus scriptor Ethnicus dum fere hæc ipsa refert (τας νυκτεριvας θυσιας κωλυεσθαι) addit Valentinianum ad intercessionem Prætextati Achajæ proconsulis, quem virum omnibus excellentem virtutibus vocat, censentis ea lege, id quod genus humanum inter se contineret perimi (κωλυεσθαι τα συνεχοντα το ανθρωπειον γενος) & castissimos ritus (ἁγιωτατα μυστηρια) everti, græcis gratiam fecisse, patrias eis uti antea consuetudines permittendo. Hist. Rom. L. IV. Mirum itaque non est, nefanda hæc sollemnia tamdiu in Græcia reperiri.

XXXIX. Vincula sunt eadem genere, quæ theurgi adhibuerunt (§. XXI. XXII.). Præterea ossa, cadaverum reliquiæ, & quæcunque ex sepulcris vel penes ea reperiuntur, quippe in quibus ex antiquissima mundi philosophia (§. XXVIII.) sedem habeant manes dii. Exemplum habuimus supra (§. XXXVI.). Horatius ubi describit sacrum magicum enarratum (§. XXXIII.), plumam no-

---

vir hujus ætatis summus Jo. Aug. Ernesti in *clavi Ciceron.* Et fere tantum VI. 2.) pro *indagare, scrutari*. Ita *ventilatæ leges* in c. 2. caus. 35 q. 5 occurrunt. VII.) Sponte ex dictis sequitur, Jac. Gothofredum ingenti conatu nihil egisse, dum ventilandi vocem in re magica propriam esse, ludosque & gesticulationes magorum innuere persuadere voluit.

(*u*) *Feralis pestis* de supremo quovis supplicio accipitur. Ego ex Julio Paullo (v. supra §. XXXV.) de pœna consueta exustionis accepi, quæ ipsa etiam dictata fuit in *Codice Gregoriano* lib. XIX. tit. 4. de *Maleficis & Manichæis*, de cujus inscriptionis conceptione consule inf. §. C. Codex Gregor. exstat ap. Schulting. *Jurisp. antejust.*, ubi v. p. 707. & 787. Ejus pœnæ exemplum pariter in Marcellino L. 29. c. 3. obvium est, ut itaque mihi nullum de ea sit dubium. Nec tamen cum Rævardo *Variorum* L. V. c. 3. alludi ad sacrificia *feralia* putem, quasi malefici iis diis consecrari intelligantur, quos sæpe, ut erat opinio, inquietaverant. De variis Græcorum & Latinorum circa hanc Constantini phrasin judiciis & Cujacii conjectura, qui *feralem pastum* legi maluit, consule Delrium *disq. mag. Append. I. ad lib. V.* Ex hac denique legis totius interpretatione haud difficulter judicium de sensu eidem in c. 14. caus. XXVI. q. 5. tributo formabitur.

cturnæ Strigis præter multas herbas adhibitam refert (*x*). Hieronymus characterem Maleficorum distinctivum in eo constituit quod *sanguine utantur & victimis, & sæpe contingant corpora mortuorum* (*y*). Invenio etiam in *Oraculis Chaldaicis*, quæ ex philosophia Pythagorico-Platonica adhibitis nonnullis Zoroastreæ disciplinæ reliquiis conflata sunt, præceptum illud: *ἐνεργει περι τον ἑκαλικον ϛροφιλον operare circa Hecatinum circulum*; ad quod PSELLUS ita commentatur: „ Hecatinus circulus orbis est aureus, in medio saphirum inclusum complectens loro bubulo, conversus undiquaque varias figuras & characteres habens, quem rotantes perficiebant invocationes, atque istiusmodi sunt, quæ *Iyngas* vocare solent, sive orbicularem sive triangularem sive aliam quamcunque figuram habeant, atque dum circumagitant orbem illum, sonos inconditos & belluinos emittunt ridentes & aerem flagris ferientes. Docet itaque oraculum circuli ejusmodi agitationem, ut quæ vires arcanas habeat. Vocatur autem ita, quia Hecatæ dedicatus est, quæ Hecate Chaldæis dea est, & in dextra sui parte virtutum fontem habet „ (*z*).

XL. Contendebant nimirum theurgi quidem & Goetæ ad diversum finem, sed per idem medium, nempe adsumtas omnium rerum & entium inter se, & in se agentes relationes (§. XXXVI.). Hinc respondendum PLUTARCHI objectioni quam Romanis movet: *An diis immolare homines nefas putabant, Geniis autem necessitatem cogere? Quæst. rom.* 83. Explodimus vero ORIGENIS φιλοσοφȣμενα, qui Magorum jactationibus deceptus (§. XXI. β.) Mosen ipsum videtur Magum fa-

(*x*) E majorum nostrorum errore superest hodienum *Alrunæ* nomen qua herbæ *mandragoræ* seu ut alii *Bryoniæ* radici hominis in speciem efformatæ adplicatum fuit, unde responsa expectaverant, quasi hæc ipsis in aurem inderentur, nobis ins Ohr raunen. Mandragora apud Græcos & Romanos philtris miscebatur. DIOSC. IV. 76. PLIN. XXV. 13. v. JAC. THOMASIUS diss. de *Mandragora.* BOSIUS diss. II. *de potionibus mortif.* §. 7. 8.

(*y*) Comm. in Daniel. c. II. QUINCTILIANUS Declam. XV. *tumulos, busta scrutari & amputatis cadaveribus ipsas in scelus armare manus* ait. Nec dubium, quin tituli juris romani *de sepulcro violato* etiam Goetas respiciant.

(*z*) Cf *Porphyrius* ap. EUSEB. *præp. ev.* L. V. c. 15. GALE ad *Jambl.* sect. III. c. 13. p. 231. Adparet heic per Ἰυγγας, quæ alias sunt aviculæ ut infra §. 73, turbines vel trochos intelligi, in quibus fortassis avicularum istarum, quas motacillas fuisse credunt, viscera cum seu amici seu inimici nomine adligata fuerint, ut ita hic homo defigeretur. Sic in *Xenoph. Memor.* L. III. c. 11. dicit *Theodora iyngem se velle in* SOCRATEM *trahere* Ἰυγγα ἑλκειν ἐπι Σωκρατει. Adde celeb. ERNESTI Notation. in eum loc.

cere. Moſes, ait, quod admiratione dignum exiſtimo, conſiderans, „ quid *cognationis cum quibus dæmonibus* habeant ſingula animalia, in „ conſtitutionibus de animalibus ſingula pronunciavit impura, e qui- „ bus præſagia ſumunt Ægyptii ceterique homines „. Sed miſſo Origene perpendi potius meretur Lucani de Goetarum impoſturis præclara meditatio, qua ſimul plerasque in Gentiliſmo vigentes divinationum ſuperſtitiones complectitur. Ubi lib. VI. narraſſet, quod Sextus Pompeji filius, ad artes magicas refugium ſumſerit,

— Stimulante metu fati prænoſcere curſus
Impatiensque moræ, venturisque omnibus æger,
Non tripodas Deli, non Pythia conſulit antra,
Nec quæſiſſe libet, primis quid frugibus altrix
Ore Jovis Dodona ſonet, quis noſcere fibra
Fata (*a*) *queat, quis prodat aves, &c. Ille ſupernis*
Deteſtanda Deis (*b*) *ſævorum arcana Magorum*
Moverat, & triſteis ſacris feralibus aras — —

Inde poſt enarratos operationis magicæ effectus hæc dubia objicit, quibus incohærentiam ſyſtematis Magorum ob oculum ponit, quo illi talia ſpondeant, quæ concipi non poſſunt, unde dii ſuperi ſtatim idem debeant agere, quod inferi jubentur. Quærit an unus ſit Deus, qui ita omnes reliquos & totum mundum cogat id agere, quod ipſi extorquetur? An omnes dii ita cogantur, quod Goetæ profecto ſpondere non poſſe videbantur, qui cum ſolis inferis, neque theurgi, qui cum ſolis ſuperis agendum habeant? An id denique vi pacti, an fatalis lege neceſſitatis evenire debeat? An Magi forte id ignota pietate demereantur apud Deos? Verba ejus:

Quis labor hic ſuperis cantus herbasque ſequendi
Spernendique timor? cujus commercia pacti
Obſtrictos habuere deos? parere neceſſe eſt
An juvat? ignota tantum pietate merentur?
An tacitis valuere minis? hoc juris in omnes
Eſt illis ſuperos? an habent hæc carmina certum

Im

(*a*) Britannorum Magos *fibris conſulere deos* dixit Tacitus ſup. §. 32.

(*b*) Inviſa hæc ſunt ſuperis, quia artibus his coguntur, licet Servius ad *Æn.* v. 493. aliter. adde inf. §. 73. not. o. §. 74. & ſup. §. 34. not. y.

Imperiosa Deum, qui mundum cogere quicquid
Cogitur ipse, potest?

Goetæ semper reponebant deos se ipsos eis subjecisse, quum ritus suos a Diis acceperint, ut ex PORPHYRIO & aliis elucet.

XLI. Strenue itaque perrexerunt populos dementare. Jam id animadvertendum est, quod sicut in rebus naturalibus nil tam dissitum est, ut albus a nigro colore, illi bonum, huic malum maxime assimilatur, ita ii ducti iterum systemate proportionali ipso opere ostendere voluerint, cum quo deo agant (*c*). Zoroaster (§. II.) deum bonum maxime similem esse luci, malum contra tenebris & ignorationi statuit (*d*). Slavi antiqui deum malum non aliter quam nigrum deum czerni Buh dixerunt (*e*). Ita Magi omnia noctu fieri omnia atri coloris esse voluerunt animalia, quæ immolarent (*f*). SUIDAS (*g*) describens ritum evocationis manium id indigitat. „ In manibus eliciendis præstigiis quibusdam utuntur adversus mortuos. „ Cum enim ad ea loca pervenerunt, unde duci possunt animæ, quas „ desiderant ii, quibus illis opus est, eo veniunt, ubi mortui sunt „ ii, quorum manes eliciunt; nec e vestigio inveniunt locum, sed ad „ hunc modum indagant. Nigrum arietem adhibent, eumque vel „ altero ejus cornu vel anterioribus pedibus comprehensis erectum „ posterioribus circumducunt. Is vero placide admodum ducentem

(*c*) PHILOST. L. VIII. c. 7. n. 2. „ Goetarum Collegia deorum sacra (intellige diurna §. XXXV.) „ fugiunt infesta quippe ejus artis professoribus. Noctem autem & quidquid obscurum est, sibi indicentes stolidos Consultores, nec oculos habere neque aures patiuntur. „ Sed detegit insimul SERVIUS ad VIRGIL. *Georg.* l. I. v. 380. universale relligionis paganæ principium. En illud! „ Victimæ numinibus aut per similitudinem, aut per contrarietatem immolantur. Per similitudinem, ut nigrum pecus Plutoni. Per contrarietatem, ut porca, quæ obest frugibus, Cerei, & Caper, qui obest vitibus „ Libero, tempestati atrum, candidum serenitati „ v id. ad Æn. III. v. 118. Et plures loci veterum apud MEURSIUM in Comment. ad LYCOPHRONIS *Cassandram* v. 1185.

(*d*) PLUT. de *Isid. & Osir.* T. II. Opp. p. 369.

(*e*) HELMOLD. *Chron. Slav.* l. I. c. 52. cf. GROSSER. Lausitzische Merckw. Parte II. LACTANTIUS II. 9. dicit noctem diabolo attributam fuisse.

(*f*) Itaque *deos atri coloris* statuebant PLIN. H. N. Lib. II. cap. 7.

(*g*) in Lex. voc. ψυχαγωγει. cf. *Homer.* Odyss. X. in f.

„ sequitur. Ubi vero perventum est eo, ubi ille vel illa sita est, ibi „ se aries ultro prosternit. Quo facto illo remoto & occultato, va„ riis sacrificiis & incantamentis adhibitis obambulant, & cir„ cumeunt illos, & audiunt loquentes & caussas, propter quas ira„ ti sint, sciscitantur. Etiam ANTONINUS Imp. elicuit manes pa„ tris sui. „ Pecudes, quibus *nonnisi ater Colos esset*, in operationibus magicis adesse debere supposuit PLINIUS. (*h*) Quid si non a tam remotis paganorum temporibus, sed ex Christianis propinquioribus probationem hujus enunciati accersere possim? Pullus niger adhibetur ap. *Jo. Niderum*. (*i*) Et recentissimis temporibus notum est exemplum Vindobonæ advenarum quorundam Christianorum nomine indignorum, qui ad pecunias adquirendas Luna splendente vitulum nigrum infernali stultitia immolarunt. Vitulus hanc in rem a *D. R.* ex Helvetia usque procuratus fuerat. (*k*)

XLII. Considerandum porro, quæ adminicula homines sordidissimi aucupandæ in vulgi superstitione auctoritati conquisiverint. Non est primo dubitandum, quin se ubique sacris gentilium intruserint, atque, cum eorundem Sacerdotibus colluserint. EUSEBIUS (*l*) & ex eo Floerkius (*m*) notat Sacerdotes oraculorum plerumque fuisse Magiæ addictos. Ego vero idem censeo de *Idæis* illis *dactylis*, qui ferri igne subigendi artem alioqui e Phrygia in Cretam secum attulerant, sed corrupta æque Magorum in Oriente disciplina instituti, egregios discipulos in eadem formarunt; inter quos Hercules Idæus & Orpheus memorantur, qui postremus arcana sacra cultumque Cybeles in Thraciam invexerit. Ab iisdem venire Curetes, Corybantes, Cabiros, Telchines, omnes imposturis goeticis, Cybeles idolorumque aliorum servitiis celebres an? infames

(*h*) H. N. l. XXX. c. 2.

(*i*) in *Malleo Malef.* T. I. p. 320.

(*k*) Quum autem omnia noctu fieri debuerint, noctis vero domina luna sit, pleræque gentiles nationes lunam pro præside artium magicarum agnoverunt. Plutarchus etiam docet lunam esse *dæmonum simulacrum, quæ cum geniorum mutationibus* (§. XIV.) *conveniat ob vices incrementorum & decrementorum. lib. de defectu oraculorum.* cf. ad cultum Lunæ universalem perspiciendum §. 84. *inf.*

(*l*) *præp. ev.* L. IV. c. I.

(*m*) l. c. c. VII. §. I. p. 266.

haud difficulter mythologis adſerentibus credi poteſt. (*n*) Ut adeo recte Chryſoſtomus & *Magos* (theurgos) & *vates*, & *goetas* & *avium obſervatores*, & *menagyrtas*, ſeu eos, qui ſingulis menſibus magnæ Deum matri Cybeli ſtipem cogebant, in eandem præſtigiatorum claſſem redigat. (*o*)

XLIII. Ad hunc locum præcipue pertinent utrisque Magis communes *Exorciſmi* ſeu Adjurationes dæmonum, quibus tam in ſacrificiis noxios & contrarios occurrentes dæmones, quam malorum effectuum aliorum, quos illis adſcribebant, auctores abigi poſſe ſibi gentes perſuaſerant. Dictum fuit ſupra dæmonum averruncationes Celtis uſitatas fuiſſe (§. XXVI.). Sinarum modum deſcribit TRIGALTIUS (*p*): Apud eos ſectæ cujusdam ſacrificulorum *peculiare munus „ eſſe* inquiens, *dæmones* impiis precationibus e domibus pellere: id„ que duobus modis tentare ſolent; nam horrenda dæmoniorum mon„ ſtra in flava papyro (paullo ante docuerat flavum colorem eſſe regiis veſtibus dicatum) „ atramento delineata domorum parietibus „ affigenda tradunt, inde tam inconditis clamoribus domos complent, „ ut ipſa dæmonia eſſe videantur. „ Orientis & Pythagoræ remedia contra dæmones pariter percepimus, cui philoſophiæ conſequenter myſtæ Cybeles ſemper in ſacris ſuis æris uſum retinebant, quo nomine *æra Corybantia* ſæpe occurrunt, quibus (*q*) vehementer concuſſis contrarios profligare dæmones volebant. Amplius vero quid eſt *adjuratio*, atque differt ab *incantatione*. Hieronymus rationem reddens verſionis ſuæ in Danielem (*r*) incantatores, vel ἐπαοιδὲς dicit reddidiſſe alios, quos ipſe *Ariolos* interpretatus ſit. *Ergo*, pergit, *videntur mihi incantatores eſſe*, *qui verbis rem peragunt*. Optime ſane. Sic Ovidius Faſt. L. V.

F 2

(*n*) cf. BANIER *explication hiſtorique des fables &c.*

(*o*) Serm. de *S. Babyla* T. II. p. 559. Μαγοι και μαντεις, και γοητες, και οιωνοσκοποι, και μηναγυρται, και πασης εργαστηρια μαγγανειας.

(*p*) l. c. L. I. c. 10. p. 113.

(*q*) v. ALEXAND. APHRODISÆUS L. I. *probl.* 47. MACROB. *Saturnal.* L. V. c. 19. qui æris ſonitu malos dæmones abigi docent.

(*r*) Comment. in *Dan.* C. II.

Rursus aquam tangit, Temesæaque concrepat ora,
Et rogat, ut tectis exeat umbra suis.
Cum dixit novies, Manes exite paterni,
Respicit & pure sacra peracta putat.

Sed in eo ab adjuratione differt incantatio stricte sumta, nam & promiscue sumitur, quod illa sit vehementior quædam incantatio, ad quam Magi postremo convolabant, ubi omnia jam tentando nil profecisse videbantur, atque minas per Deum quemdam superiorem vel supremum continet. (*s*) Goetæ adversus dæmones solebant uti potestate & vi illius eorum principis, cujus etiam arcanum nomen enunciaturos se minabantur. Erichtho saga apud Lucanum Lib. VI. ad manes:

— — — *Paretis? an ille*
Compellandus erit, quo numquam terra vocato
Non concussa tremit, qui Gorgona cernit apertam
Verberibusque suis trepidam castigat Erinnym,
Indespecta tenet vobis qui tartara — —

Similia loquitur Tiresias apud Statium. (*t*) Et hi sunt *secretarum artium ritus, quibus adfantur nescio quas potestates*, ut ait Arnobius *advers. Gentes.*

XLIV. Enimvero ipsos homines a dæmonibus suis infestari fingebant. His infestationibus morbos adscribebant. Adparet id præcipue in tetro illo morbi genere Epilepsia, quæ jam ante ætatem Hippocratis *sacer morbus* audiit, cujus denominationis rationem sequentibus prodit auctor inprimis gravis Aretæus: (*u*) „ Flagi-„ tiosis hominibus a luna immitti quorumdam est opinio, cujus rei

(*s*) Simon Magus ap. auctorem *Recognitionum Clementis* L. II. n. 13. de necyomantia hæc tradit: „ Ipsis animabus venire „ volentibus non indulgent, cum vero hi, „ qui præsunt angeli, adjurati fuerint per „ Majorem suum, excusationem habent no-„ stræ, qui eos adjuramus, violentiæ. „ De Simone videndus §. 90. seqq.

(*t*) *Thebaid.* L. IV. v. 500. seqq. add. Senec. in *Oedipo* v. 561.

(*u*) *de causs. & sign. diutur. morb.* lib. I. c. 4. p. 28. edit. Boerhaav.

„ causa sacrum morbum nominant. Quin & ob alias causas, aut „ ob magnitudinem (sacrum enim quod magnum (*x*)). aut ob cura- „ tionem non humanam, sed divinam, aut quod dæmone correptus „ homo videatur (ἡ δαιμονος δοξης ἐς τον ανθρωπον εισοδε), aut pro- „ pter hæc simul omnia hunc morbum sacrum nominarunt. „ Itaque etiam omnes artes & scientias superstitionibus sufflaminare adgrediebantur, suasque tantum incantationes, februationes, expiationesve cum aliis remediis naturalibus quibusdam commendabant. (*y*) Bene id viderunt prudentissimi quique viri, sed paucissimis tamen datum fuit his obsistere ineptiis. Perspexerat hæc ingenii sui vi HIPPOCRATES, quare interest verba ejus aliqua, quæ in libro *de morbo sacro* exstant, latina adferre. „ Mihi, inquit, qui primi hunc morbum ad deos „ retulerunt, tales esse videntur, quales & nunc sunt Magi, ex- „ piatores, circulatores, & arrogantes ostentatores, qui se valde „ pios esse, (nota sapientiam adfectare & magos primos fuisse philosophos ex §. IX. dicuntur enim ante medicos methodicos extitisse,) „ plurimumque scire simulant. Hi quippe divinitatem prætexentes, „ cum in summa rerum inopia nulla re prodesse possent, ne insci- „ tiam suam proderent, hanc affectionem sacram dixerunt, addi- „ tis ad id idoneis rationibus tutam sibi curationis viam proponentes „ oblatis expiationibus, & incantationibus balneisque interdictis, „ carne suilla &c. „

XLV. Addam hac occasione, quæ scriptor sapientissimus de his hominibus porro differit. „ Quamquam, pergit de Ma- „ gis dicere, mihi quidem non de pietate sed potius de impietate „ verba facere, deosque non esse profiteri videntur, ut eorum pie- „ tas & divinitas, sicuti docebo, in impietatem & nefarium scelus ver-

(*x*) Etiam hebræa phrasi omnia magna dicuntur esse dei, ut cedri, Angeli seu homines Dei, i. e. magni, ut notant interpretes ad Gen. VI. v. 2. & Psalm. C. III. v. 16. Aliam rationem adsignat APULEJUS *Apol.* p. 306. videlicet *quod animi partem rationalem, quæ longe sanctissima est, eam violet.*

(*y*) Id CICERO haruspicibus exprobravit. *Dum*, ait, *haruspicinam veram esse vultis, physiologiam totam pervertitis.* de *divinat.* II. n. 37.

„ tatur. Si enim lunam deducere (z) & ſolem obſcurare, tem„ peſtatemque & ſerenitatem inducere & imbres ac ſiccitates, „ mareque & terram ſterilia facere, ceteraque id genus ſe ſci„ re profitentur, ſive ex ſacrorum myſteriis, ſive ex alio quo„ vis conſilio aut cura hanc ſibi potentiam vendicent, qui his „ rebus operam navant, mihi quidem impii eſſe videntur, neque „ deos eſſe exiſtimare, neque, ſi admittantur eſſe, quidquam ta„ men poſſe, neque ſummum aliquod malum propulſare. Quare „ cur dii non ipſis infeſti ſint? Si quis enim magicis artibus & ſacri„ ficiis lunam deducet &c. hæc humana eſſe cenſuerim, ſi quippe „ divina potentia humano conſilio ſuperatur, & in ſervitutem aſ„ ſeritur. „

XLVI. Oſtendit ulterius HIPPOCRATES, quomodo Magi populum ſuperſtitionibus impleverint, quod quidem in hiſtoria eorum adnotari debet. „ Si, inquit, capram imitentur, & balatum edant „ ægri, dextramque in partem convellantur, deorum matrem in „ cauſa eſſe aſſerunt. Si vero acutiorem & vehementiorem vocem „ edat æger, equo ſimile eſſe dicunt, & ad Neptunum cauſam re„ ferunt. Quodſi ſtercoris aliquid emittat, quod nonnullis mor„ bo preſſis contingit, Hecatis enodiæ (Triviæ) appellatio adhi„ betur. Sin autem te tenuius & crebrius dejiciat, veluti aves, Apol„ lo Nomius. Pavores vero, qui noctu adſunt, timores, deliria,

(z) Putat FOESIUS in *Oeconomia Hippocr.* *σεληνην καθαιρειν* ſignificare ejus lumen incantationibus abolere; ego ſimpliciter illam, ſicut alios deos, ad ſe allicere; quo modo in XII. tabulis lex erat contra eos, qui fruges excantarent, i. e. *in alias terras pellexerint*, aut ſuſurris magicis obligaverint, ne creſcerent, quas *ineptias antiquitatis* adpellat SENECA *nat. quæſt.* L. 4. c. 7. cf. ſup. §. 19. PLUT. *de oracul. defectu:* „ „ Confundere nos omnia & conturbare co„ gunt deum in humanas res & affectiones „ conjicientes, detrahentesque ad uſus, quo „ modo Theſſalæ lunam deducere cœlo fe„ runtur. Quamquam hoc quidem creditum „ fuit a mulieribus aſtutia Aglaonicæ Agetoris „ filiæ, quam ajunt aſtrologiæ peritam lu„ na deliquente ſemper ſimulaſſe eam ſuis „ ſe deducere veneficiis „. cf. eundem adhortantem mulieres, ut ſtudiis operam dent, quibus ab hujusmodi ineptiis in dies magis abducantur in *præceptis conjugial.* in fin. S. BASILIUS in *Hexaem* hom. VI. n. 11. „ Ri„ diculæ quædam fabulæ ab aniculis temu„ lentis inſipienter confictæ ubique pervul„ gatæ ſunt, quod luna incantationibus „ quibusdam ex propria ſede emota ad ter„ ram deferatur. Quomodo ergo Goetarum „ incantamentum eam emovebit, quam „ ipſe altiſſimus fundavit? „

„ & terriculamenta, cum ægri e cubili exiliunt & fugiunt, Hecatis „ insidias & Heroum invasiones esse affirmant, expiationibusque, „ & incantationibus utuntur. „ Hæc Hippocrates, cui scio quidem eum librum a GROTIO Comment. ad *Marc.* IX., CÆSALPINO, MENAGIO, TRILLERO (*a*), aliis, abjudicari, sed absque fundamento, quum & GALENUS eum, CÆLIUS AURELIANUS, & EROTIANUS Hippocratis esse agnoverint. (*b*) Nobis sufficeret esse ejusdem ætatis.

XLVII. Habemus igitur exorcismos contra dæmones morborum auctores. Unde jam intelligemus præclaram ULPIANI decisionem in quæstione, qui nomine Medicorum veniant, his verbis conceptam (*c*): „ Medicos fortassis quis accipiet etiam eos, qui ali„ cujus partis corporis vel certi doloris sanitatem pollicentur, „ ut puta si auricularius, si fistulæ vel dentium: non tamen „ si incantavit, si imprecatus est, si, ut *vulgari verbo impostorum* „ (*d*) *utar*, *exorcizavit* (§. XLIII. XLVIII.). Non sunt ista „ medicinæ genera, tametsi sint, qui hos sibi profuisse cum prædica„ tione adfirment. „ Recte sane, nam & homines superstitiosissimi suas sibi superstitiones prodesse adfirmant, ubi si res examinetur, semper alia ab eorum mente dissona naturalis caussa profuisse reperitur. Neque inde adeo mirandum est, si quidam inter ethnicos professione medici hæc talia Magorum remedia in summa relligionis incertitudine exemplo TRALLIANI præscripserunt, qui expressim profitetur, se id recte facere, modo *per illa hominem servare possit* (*e*) Hujus est illud contra podagram: *ὁρκιζω σε το ὀνομα το μεγα* Ιαω Σαβαωϑ, *adjuro te per nomen magnum*, *Jao Sabaoth*. Quod vero TRALLIANUS heic meminit nominum hebraicorum, id hausit ex antiquo more magorum, cujus rationem v. *sup.* §. XXI. β. ex Jamblicho: quo nomina

---

(*a*) *Poemat.* T. I. p. 709. not. (*u*)

(*b*) v. FOESIUS in *Not.* ad libros Hippocr. ad Sect. III p. 143.

(*c*) lib. VIII. de omnib. tribunal. L. I. §. 3. D. de extraord. cognition. cf. JULIUS FIRMICUS *de vi ac potestatibus stellarum* seu *Matheseos* lib. III. c. 5. & 9.

(*d*) ALCIATUS Parerg. l. II. c. 23. nullo sensu nulla ratione legit *inpo sterum* pro *impostorum*.

(*e*) v. FABRIC *bibl. gr.* lib. VI. c. 7. p. 595. Sapientior fuit GALENUS, qui L. IX. *simplic. med.* Pamphilum detestatur, quod ad morbos fugandos nugaces præstigiaturas & deliras incantationes Literis mandarit.

deorum expiſcari ſtuduerant; docetque Origenes (*f*) in *libris magicis*, h. e. in libris, quos iſti homines de imaginaria ſua arte conſcribillarunt, multis locis occurrere denominationes Dei veri hebraicas. Actus Apostolorum narrant (*g*) *Judæos exorciſtas* adhibuiſſe nomen *domini* Jesu. Justinus Martyr in *dial. cum Tryphone adverſus Judæos* inquit: „ Quodſi exorcizetis per nomen cujusvis regis aut „ viri juſti, aut prophetæ eorum, qui apud vos fuere, nullus „ dæmonum ei obediet; at ſi quis exorcizet per Deum Abraham „ & Deum Iſaac & Jacob, credo, forte obedient „ (nempe quod verus Deus illis potiſſimum nominibus noſci, adpellarique vellet, & ideo fortaſſis admittat effectum, quum apertiſſima locutione conſtaret, ipſum, non aliquem gentilium deorum eſſe invocatum.) Addit Juſtinus modum exorcizandi „ Exorciſtæ veſtri eadem, *quæ etiam* „ *apud gentes*, arte adhibita adjurant, incenſisque odoribus & vin„ culis (§. XXII. N. III. XXXIX.) „ Quomodo Chriſtiani inepti ſibi easdem doctrinas adplicaverint, percepimus ex Augustino ſupr. §. XXXVII.

XLVIII. Si forte adhuc quæras, quid generatim de omnibus ſuis exorciſtis viri cordati Gentilium ſenſerint, reſponſum cape ex M. Aurelii Antonini ſoliloquiis (*h*). Imperator hic licet alias relligione ſua ita ferente ſumme ſuperſtitioſus (*i*), tamen inter primas actionum moralium regulas ſibi hæc adnotavit. „ A Diogneto „ edoctus ſum, ne rebus inanibus ſtudium impenderem, neve eis fi„ dem haberem, quæ a præſtigiatoribus goetisque de incantationi„ bus deque *dæmonibus averruncandis* (περι επωδον και περι δαιμονων απο„ πομπης) aliisque ejusmodi impoſturis dicuntur. „ Miror Thomam Gatakerum in *Comment.* ad *h. l.* non attendiſſe, eo innui exorciſtas non ſolum Chriſtianorum, ſed vel maxime gentiles, licet ſubolfecerit *latius ſe extendere verba Marci & ad ethnicas ſuperſtitiones pertinge-*

(*f*) *Contra Celſ.* lib. IV. n. 33.

(*g*) C. XIX. v. 13. Judæi hi erant Cabbaliſtæ. v. §. *65. 66. inf.*

(*h*) *Eorum quæ ad ſe ipſum* L. I. §. *6.*

(*i*) Marcellinus L. XXV. c. 4. de eo: „ ſuperſtitioſus magis quam ſacrorum „ legitimus obſervator. „

tingere. Sed ad Scopum. Vidimus Magos Medicos apud Græcos & Latinos, ad quos omnia ex Oriente derivata ſunt. Fuit autem cum medicina ſuperſtitioſa & magica ſemper connexa *Aſtrologia judiciaria*, cujus rei ratio in aprico eſt (*k*). Sicut enim MAGIA ex cultu ſpirituum anomalo, ſic ASTROLOGIA ex cultu Aſtrorum, qui cultus illum alterum mox ſubſecutus eſt ex virorum doctorum (*l*) obſervatione, originem ſuam traxit; utriusque autem pœna naturalis fuit infanda ſuperſtitio. Ergo etiam utræque ſequelæ apud gentes idololatras ex eodem principio (§. VIII.) ſemper viguerunt majori dein gradu ab aliis aliisque excultæ. Exemplum eſt ſup. (§. VI. XXI. N. II.) Tolle has duas Magiæ aſtrologiæque ex orbe opiniones; & omnis ſuperſtitio craſſior ceſſabit. Intrude, & pro intruſionis gradibus augebitur eadem.

XLIX. Inde PLINIUS (*m*) deſcribit herbas magicas, quas primi Pythagoras atque Democritus *conſectati magos in oriente* (*n*) celebraverint; aliis aquam glaciari, aliis deos evocari poſſe, aliis magos divinare, alias ad liberos pulcros bonosque generandos prodeſſe, Herbæ Crocidis tactu phalangia mori &c. Memorat alibi (*o*) *magicas vanitates in tantum evectas, ut abrogare herbis fidem cunctis poſſent;* æthiopide herba amnes ac ſtagna ſiccari, clauſa omnia aperiri; Achimenide conjecta in hoſtium aciem trepidare agmina & terga vertere, alias omnibus morbis mederi (*p*) & quæ ceteræ nugæ infinitæ ſunt. Meminit alibi (*q*) Hienæ animalis africani, alternis annis maris, alternis feminæ, cujus umbræ contactu canes obmute-

(*k*) Conjungit ASTROLOGOS & GOETAS Dio Lib. XLIX. PORPHYRIUS docet ſe deos ipſos declaraſſe *ſummos magos*, *ſummosque genethliacos*, ap. EUSEB. *præp. Evang.* Lib. V. C. 14. id quod intelligemus §. 73.

(*l*) v. Scriptores ad §. 4. citatos. Contende HORATII verſum l. II. epiſt. 2.
Scit genius natale Comes qui temperat aſtrum,
Naturæ DEUS humanæ — —

(*m*) H. N. L. XXIV. 17.

(*n*) v. L. XXV. c. 2. ibi: *peragratis Perſidis Arabiæ Æthiopiæ Ægyptique Magis.*

(*o*) L. XXVI. 4. XXV. 9.

(*p*) L. XXV. 4. Ibid. c. 2. *Juba in Arabia herba revocatum ad vitam hominem* tradit.

(*q*) Lib. IIX. 30. XXVIII. 8. XXXVII. 10. *Phocas* monſtra marina etiam ad operationes magicas adhibita fuiſſe ex antiquis Scholaſtibus notat DACERIA, quæ inde Homeri fictionem de monſtris marinis Protei declarat Odyſſ. L. IV. not. 80.

ſcant ; hienias gemmas linguæ humanæ, ſi ei ſubdantur, futura inſpirare. Quin ipſi animali huic artes magicas adſcriptas ait, debere vero ex magorum præcepto capi, *ut eſt ſolers ambagibus vanitas Magorum, luna geminorum ſignum tranſeunte, ejuſque omnes partes peculiaribus virtutibus eſſe inſignes.* De Druidis (§. XVI.) hæc habet. Deſcribit (*r*) *Galliarum admirationem* in colligendo viſco ex quercu. „ Nihil, inquit, habent Druides, *ita ſuos appellant magos*, (ſupra §. IX. medicos dixit) „ viſco ſacratius. Et omnia ſexta luna — „ omnia ſanantem apellantes ſuo vocabulo „. Deſcribit deinde ſacrificia & cerimonias in eo colligendo uſitatas. „ Selaginem, alibi ait (*s*) „, contra omnem perniciem habendum prodidere Druidæ „ Gallorum, & contra omnia oculorum vitia fumum ejus prodeſſe. Iidem, addit „, Samolum herbam nominavere naſcentem in humidis; hanc „ ſiniſtra manu legi a jejunis contra morbos ſuum boumque, nec „ reſpicere legentem &c. „ Præterea (*t*) deſcribit morem, quo druidæ ſerpentibus ova ſublegere ſolebant, addens : „ Atque, *ut* „ *eſt magorum ſolertia occultandis fraudibus ſagax*, certa luna capien- „ dum cenſent. Ad victorias litium ac regum aditus mire laudan- „ tur. „ Denique Germanos inprimis obſervaſſe novilunium vel illud exemplo eſt, quod ARIOVISTO Cæſari congreſſuro id non licere *matresfamilias* (ut ait Cæſar (*u*), Plutarchus clarius (*x*) ἱεραι γυναικες, ſacræ eorum feminæ §. XVI.) *ſortibus, & vaticinationibus* (*y*) *declararent, neque Romanos a Germanis ſuperari poſſe, ſi ante novam lunam prælio contendiſſent.*

L. Supereſt adhuc commune Magis ut exponamus artificium, ad quod conſequendum omnem movebant Lapidem, ſcilicet Vaticinatio. Atque heic primo loco adnotare oportet, gentes, qui-

(*r*) lib. XVI. 44. De Britannis idem legendus lib. XXV. c. 4.

(*s*) Lib. XXIV. 11.

(*t*) Lib. XXIX. 3.

(*u*) de B. G. I. 50.

(*x*) In *Cæſare*; cujus locum deſcripſit CLEMENS ALEX. *Strom.* L. I. p. 224. ed. *Heins.*

(*y*) In quo conſtiterint hæ vaticinationes, declarat *Plutarchus* dicens: *ποταμων δινεις προσβλεπȣσαι, και ῥευματων ἑλιγμοις και ψοφοις τεκμαιρομεναι, προεθεσπιζον*, „ fluviorum vortices proſpicientes fluentorumque ſonitus ac circumvolutiones vaticinabantur. „

bus insana superstitione relligio erat, quibus nulla futuri spes, quam maxime stimulatas fuisse ad futura noscenda, ruminanda, & quibusvis sceleribus, quae jam scelerum naturam exuere ipsis videbantur, modo ad stimulos naturales curiositatis satiandos referrentur, expiscanda, in queis demum suam felicitatem ponebant. Hinc theurgi omnibus suis cerimoniis nihil aliud quaerebant, nisi *adflatus deorum*, *& divinam*, ut late prosequitur Jamblichus, *manticem*. Goetae sacrilegiis suis praecipue vaticinationis spiritum intendebant (§. XXXV.), ideoque manes evocare nitebantur atque *imperia dira*, ut ait Plinius (*z*), in deos *ne somno quidem quieto* (i. e. etiam noctu §. XLI.) irrogant. Ad hunc hauriendum partes quorundam animalium devorasse Porphyrius (§. XXXI.) retulit, quod Plinius (*a*) sequentibus confirmat: „ Peculiare vanitatis (magicae) sit argumentum, quod animalium cunctorum talpas maxime mirantur, tot modis a rerum natura damnatas, coecitate perpetua, tenebris etiam aliis defossas sepultisque similes. „ Heic Plinius omnino de Goetis tantum loqui videtur, quod talpae ex systemate proportionali (§ XXXII.) cum diis inferis (§. XLI.) analogae essent; sed ipse non pervidit stultitiam. Pergit: „ Nullis aeque credunt *extis*; nullum religionis capacius judicant animal; ut si quis cor ejus recens palpitansque (§. XXXI.) devorarit, divinationis & rerum efficiendarum eventus promittant. „ Druidum vaticinationes vidimus (§. XLIX.)

LI. Referta igitur erat Gentilitas vaticinatorum qui se *deo plenos* adsimularunt, diversissimarum classium, & nominum, qui omnes ex *Astrologia* & *Magia* (§. XLVIII.) prodierunt (*b*). Magi videntur omnia genera complexi fuisse. ARNOBIUS (*c*) Magos *aruspicum fratres* adpellat. PLINIUS Magiae *species esse plures* scribit, addens:

(z) H. N. L. II. c. 7.

(a) H. N. L. XXX. 3.

(b) v. JULIUS PAULLUS *recept. sent.* L. V. tit. 21. de *Vaticinat. & mathemat.* GALE ad JAMBL. Huc referendi qui *circa fana bacchati sunt* ex L. 1. §. 10. *D.* de aedil. edict.

(c) adv. gentes L. IV. *Magi aruspicum fratres suis in accitionibus memorant antitheos saepius obrepere pro veris* &c. COLUMELLA conjungit l. I. c. 8. „ Haruspices sagasque „ quae utraque genera vana superstitione „ rudes animos ad impensas & deinceps ad „ flagitia compellunt, ne admiseris. „

„ Namque & ex aqua, & ex ſphæris, & ex aere, & ex ſtellis & „ lucernis, ac pelvibus, ſecuribusque, & multis aliis modis divina „ promittit „ (*d*). Principium horum omnium erat mundus dæmonum plenus. (§. XIII.). Unde JAMBLICHUS cum theurgis illud dogma exculpſit: exta animalium varie ad deorum voluntatem permuɜent tum ipſa eorum anima, tum dæmon iis præfectus, tum aër tum cœli circuitus (*e*). Ridiculum nobis eſſe debet, quod Imperatores ethnici conſectaria ſuæ relligionis prohibuerint, radicem ipſi foverint. Ad hos etiam cunctos, de quibus modo expoſuimus, homines pertinet conſtitutio D. MARCI, de quo ſup. §. XLVIII., corpori Juris inſerta. „ *Si quis aliquid*, ita eam exhibet TRIBONIANUS (*f*), *fecerit*, quo leves hominum animi ſuperſtitione numinis terrerentur, „ D. Marcus hujusmodi homines in inſulam relegari reſcripſit. „

LII. Id addi debet Magos ſibi vaticinia de ſucceſſione principum vindicaſſe, quapropter etiam in L. 7. *C.* de maleſ. *aruſpex*, *ariolus*, *augur*, *mathematicus aut enarrandis ſomniis occultans artem aliquam divinandi* e comitatu Cæſarum ejecti & puniti ſunt. Hujus exemplum habemus in Marcellino, dum (*g*) narrat de iis, qui per artes illicitas quærebant, quis VALENTI ſuccederet, miris cerimoniis magicis. Locum apponam, ex quo de tota re quivis prudens conjectari poterit. „ *Conſtruximus*, inquit apud eum Hilarius, ad *Cortinæ ſimilitudinem* „ *delphicæ* diris auſpiciis, de laureis virgulis infauſtam hanc menſulam, quam videtis (*h*): & imprecationibus carminum ſecretorum „ choragiisque multis, ac diuturnis ritualiter conſecratam movimus „ tandem. Movendi autem, quoties ſuper rebus arcanis conſulebatur, erat inſtitutio talis. Collocabatur in medio domus emacula-

---

(*d*) H. N. L. XXX. c. 2. De alia ſpecie nempe καλυβασια conſule DAN. HEINS. *Lection. Theocr.* c. VII. cf. CASAUBONUS ad Spartianum in vita *Juliani*, ubi vaticinia ex ſpeculis qualia enſes lucidi, ſeu, ſecures, pelves, cyathi &c. enumerat; quibus recenſendis immorari tædet. Vaticinationem ex pelvi late deſcribit PSELLUS de *dæmonibus* in fine.

(*e*) Sect. III. c. 16.

(*f*) Ex MODESTINI L. I. *de Pœnis*. *L.* 30. D. *de pœn.*

(*g*) L. XXIX.

(*h*) i. e. tripodem, cui ſuperimponebatur κυκλος circulus vel ὁλμος, *Polluce* teſte. Exhibet menſulam delphicam ex nummis SPANHEMIUS de *Us. & præſt. Num.* Diſſ. III. p. m. 197.

„ tæ odoribus arabicis (*i*) undique Lance rotunda pure ſuperpo-
„ ſita ex diverſis metallicis (*k*) materiis fabrefacta : cujus in ambitu
„ rotunditatis extremo elementorum viginti quatuor ſcriptiles formæ
„ inciſæ perite disjungebantur ſpatiis examinatæ dimenſis. Hac lin-
„ teis quidam indumentis amictus calceatusque itidem linteis ſoccis
„ (*l*), torulo (*m*) capite circumflexo, verbenas felicis arboris ge-
„ ſtans, litato conceptis carminibus numine præſcitionum auctore cæ-
„ rimoniali ſcientia ſuperſtitit. Cortinalis penſilem annulum librans
„ arctum ex carpathio filo perquam levi myſticis diſciplinis initia-
„ tum ; qui per intervalla diſtincta retinentibus ſingulis literis inci-
„ dens ſaltuatim heroos efficit verſus interrogationibus conſonos ad
„ numeros & modos plene concluſos : quales leguntur pythici , vel
„ ex oraculis editi Branchidarum. Ibi tum quærentibus nobis , qui
„ præſenti ſuccedet imperio , quoniam omni parte expolitus fo-
„ re memorabatur , & adſiliens annulus duas perſtrinxerat ſyllabas
„ ΘE cum adjectione literæ poſtrema ; exclamavit præſentium qui-
„ dam Theodorum præſcribente fatali neceſſitate portendi. Nec ul-
„ tra ſuper negotio eſt exploratum, ſatis enim apud nos conſtabat ,
„ hunc eſſe, qui poſcebatur (*n*). Aliud hujus rei exemplum recentio-
ribus temporibus exſtat apud NICOLAUM CHONIATEM , qui refert Andronicum Comnenum per artes magicas ediſcere cupiviſſe, quiſnam poſt ſe imperium obtenturus eſſet: Magumque ejus *Hagiochriſtophori-*

(*i*) Locum , ubi operatio magica fieri debebat , luſtrare ſolebant.

(*k*) ex philoſophia Pythagoræ (§. XIII. XLIII.)

(*l*) Veſtitus hic ægyptiacorum ſacerdotum erat. v. *Sent.* de vit. beat. c. 27. OBRECHT de *Nummo Domitiani Iſiaco* inter Academica p. 469.

(*m*) Torulus eſt cinnus parvus intortus, qui refert colore, vel habet implexum aurum. SCHEFFER *de torquibus* initio.

(*n*) SOZOMENUS L. 6. c. 35. notat Valentem ira commotum omnes huic actui cooperantes, quin etiam Philoſophos profeſſione artium magicarum infames & qui dumtaxat horum veſte utebantur , quod eos omnes ſuſpectos haberet , morte puniri juſſiſſe. Addit AM. MARCELLINUS L. XXIX. c. 1. multos ea occaſione bonos libros periiſſe; *congeſti*, ait, *innumeri codices & acervi voluminum multi ſub conſpectu judicum concremati ſunt, ex domibus eruti variis ut illiciti ad leniendam cæſorum invidiam , cum eſſent plerique liberalium diſciplinarum indices variarum &* JURIS.

tam a dæmonibus in aqua consultis (§. LI.) didicisse, a literis S. & I. illius inchoaturum nomen, qui Andronico succederet.

LIII. Claudam hoc caput insigni observatione de arte magica a C. Plinio Secundo facta (*o*). Hæc sunt ejus verba: *Hæc omnia* (intelligit totam artem magicam in complexu) „ *ætate nostra* princeps Nero vana falsaque comperit. Quippe non citharæ tragicique cantus libido illi major fuit, fortuna rerum humanarum summa gestiente in profundis animi vitiis. Primumque imperare diis concupivit (v. §. XVIII. XXX. L.), nec quidquam generosius voluit; nemo unquam ulli artium validius favit. Ad hæc non opes illi defuere, non vires, non discendi ingenium, aliaque non patiente mundo. *Immensum & indubitatum exemplum est falsæ artis, quam dereliquit Nero.* Utinamque inferos potius & quoscunque de suspicionibus suis deos consuluisset, quam lupanaribus atque prostitutis mandasset inquisitiones suas! nulla profecto sacra barbari licet ferique ritus, non mitiora, quam cogitationes ejus fuissent. Sævius sic nos replevit umbris (§. XXVII. XXXI. XXXII.). Sunt quædam Magis perfugia, veluti lentiginem habentibus non obsequi numina, ut cerni non possint (*p*). Forte hoc in illo? Nihil membris defuit. Nam dies eligere certos liberum erat (§. XXII. N. II.) Pecudes vero quibus nonnisi ater colos esset, (§. XLI.) facile. Nam hominem immolare (§. XXXIV.) etiam gratissimum. *Magus ad eum Tiridates* (Rex) *Armeniacum de se triumphum* (quod esset devictus & regno privatus a Corbulone duce Neronis Dio L. LXIII.) *afferens*, & ideo *provinciis* (per quas cum comitatu suo transiit) *gravis; navigare noluerat*, quoniam exspuere in maria, aliisque mortalium necessitatibus violare naturam eam fas non putant (Persæ ex instituto Zoroastris §. III.); magos secum adduxerat; magicis etiam cænis eum initiaverat.

(*o*) H. N. l. XXX. c. 2.

(*p*) Tale perfugium memorat Plinius etiam lib. XXVIII. 8. „ hienæ sanguine tactis postibus ubicunque magorum infesta„ri artes, non elici deos, nec colloqui „ sive lucernis, sive pelvi, sive aqua, sive pila, sive quo alio genere tententur. „

(Docebant nempe Magi quæ debeant comedi relationem habentia cum numinibus (§. XXXI. XLIX. L. & Plinius multis locis.) „ Non tamen, cum regnum ei daret, (redderet, Nero Tiridati regnum Armeniæ reddidit DIO *ibid.*) „ hanc ab eo artem accipere valuit. „ Proinde autem ita *perſuaſum ſit*, *inteſtabilem irritam inanem eſſe*, ha-„ bentem tamen quasdam umbras veritatis, ſed in his *veneficas artes* „ *pollere*, *non magicas* (§. XXXII. XXXIV.) Quærat aliquis, quæ „ ſint mentiti veteres magi cum adoleſcentibus nobis viſus APPION „ grammaticæ artis prodiderit cynocephaliam herbam, quæ in Ægypto „ vocaretur Oſirites, divinam, & contra omnia veneficia; ſed ſi „ ea erueretur, ſtatim eum qui eruiſſet, mori; ſeque evocaſſe um-„ bras Homeri (§. XXVIII.) ad percontandum Homerum, qua pa-„ tria, quibusque parentibus genitus eſſet; non tamen auſus profite-„ ri, quid ſibi reſpondiſſe diceret? „

CAPUT II.

CONTINUATIO INCEPTÆ HISTORIÆ CRITICÆ UNIVERSALIS.

LIV.

Ex enarrata hactenus Magiæ indole colligere licuit, qui fuerint olim, unde orti ſint, & qui hodie ſuperſtitibus quibusdam ex eorum doctrina abolita corollariis adpellari poſſint Magi. Sed nobis ante alia faciendæ ſunt ex demonſtratis quædam obſervationes, quibus cortina illa, quam intellectui obductam eſſe delphicæ æmulam cernimus, atque idearum confuſio, quæ Chriſtianorum ſcita cum idololatrarum ſententiis turpiter commiſcet, divellantur, poſtquam capite præcedenti ſedulo cautum eſt, ne ideæ recentiorum temporum in orbem veterem inferrentur. Hujus generis prima & maxima cautio eſt, ne cum clariſſimis alioqui Viris ex quadam incogitantia Magos idololatrarum pro Magis diabolicis habeamus. Præſtabitur id, ſi, quid ſenſu priſco dæmon, quid noſtro diabolus ſit, licet id jam

colligi poſſit ex dictis, adhuc tamen ulterius enodemus. Convertamus nos ergo iterum ad Magorum ſyſtema.

LV. Vidimus inter duo entia ſuprema, unum bonum, alterum malum ſemper intermedios tam bonos, quam malos ſpiritus exiſtere cogitatum fuiſſe (§. XII.), hos omnes ſine diſcrimine *dæmones* vocatos; (§. XIV. XV.); quibus nunc addere licet, quod uti Deus ſummus in theogoniis veterum ſatente Bruckero ſuppoſitus eſt, ita etiam ſupponatur *Vis* illa, uti eam Porphyrius indigitat (§. XXVI.), dæmonibus malis *præpoſita*, (*q*) adeoque de his ſupremis entibus nihil probetur, ſed ſimpliciter ſupponantur. Ad hæc I. ex hiſtoria philoſophiæ conſtat, (*r*) veteres idololatras eorumque philoſophos omnia ex *chao* & *nocte*, ſeu Deo ſummo infinita & increata materia circumſepto ejusque ſinu produxiſſe, unde anima mundi (§. VII.) & dæmones etiam mali (§. XV.) derivantur, cujus ſpecimen habemus in ſyſtemate Zorroaſtris (§. III.). II. Quidquid igitur divinitatis ita e chao illo effluxit, in quibus effluviis ipſi dii corporibus ſubtiliſſimis involuti prodibant (cf. §. XIV. XXVII.), id omne communi nomine ſtricte ſumto δαιμων, Latinis *deus* audiebat, & quicquid iterum dæmonibus illis poſt vitam adgregatum (§. XXIX.), ut heroes mali (§. IIX. N. II.). Porro ſciſcebant materiam ob mala in eadem latentia fuiſſe indomabilem, ita, ut ſit ipſum *fatum*, quod etiam diis ex ſinu dei ſummi materiæ ipſi adjunctis aliquando impoſſibile fuerit ſubigere. Ergo deos eidem adligari. (*s*). IV. Ceterum, licet eſſent ſpiritus quidam noxii, antithei, deo ſummo contrarii (*t*), poſſe eos tamen conciliari, placari, & ad quemvis effectum bonos (§. XVII.) reddi per obſervatam materiæ relationem, quæ cuique deo

(*q*) Eam Porphyrius in alio opere vocavit *Sarapin.* ap. Euseb. *præp. evang.* Lib. IV. c. 23. Judæi Cabbaliſtæ Belzebub dixerunt Act. Ap. XIX.

(*r*) v. vel ſola Gundlingiana P. XXII. XXIII.

(*s*) Gregor. Nazianz. *declam.* I. in Julianum. Silius L. XIII. v. 857.

—— *nulli divum mutabile fatum.* *Euſeb. Præp. ev.* L. VI. c. 2. add. *Max.* Tyrius differt. XI. §. 5. *Seneca* de providentia c. 5. Indicat *Lactant.* I. 15. init.

(*t*) Jamblichus εναντια πνευματα adpellat Sect. III. c. 13.

deo placuerat, cui ideo fuit ex ſinu dei ſummi inditus (per demonſtrata) quum mundus dæmonum plenus concipiatur, Sinas dæmonibus ſuis malis *plus numinis* tribuere diximus §. XV. (*u*)

LVI. DÆMONAS *grammatici dictos ajunt quaſi* δαημονας *id eſt peritos ac rerum ſcios* inquit Lactantius (*x*); a verbo δαιω *diſco*, *doceor*. Ergo etiam ſenſu latiori (LV. N. II.) dæmon dicitur Deus ſummus. Sic Platoni Deus eſt Μεγιςος δαιμων (*y*). Deinde vero quia & dii & dæmones intermedii (§. XII.) & animæ humanæ ex chao (§. LV. N. I.) effluxerant, tam iſti, quam animæ magnorum & præclarorum hominum (§. XII. N. I.) corpore ſolutæ, quæ ex Pythagoræ plurimorumque antiquorum (*z*) perſuaſione in homines iterum ex aere deſcendere dicebantur, dæmones audiebant, ſicut & de manibus dictum (§. XXIX.). Translate vox δαιμων indicat felicem ac beatum, & idem quod ευδαιμων. Quare Pythagoras dixit eum *eſſe felicem* (ευδαιμονειν), *cui bona anima advenerit* (*a*). Andromacha apud Homerum (*b*), dum Hectori marito valedicit, eum adpellat δαιμονιον, quod DACERIA vertit *principem magnanimum*. Apollonius a Philoſtrato dicitur vir divinus, δαιμονιος και θειος (*c*). Denique δαιμονια ſunt aliquando tantum *paradoxa*, ut advertit OLEARIUS (*d*). Haud adeo diſſimilem conceptum habet germanicarum nationum Taifel.

LVII. Quid igitur eſt cur ſtulta paganorum doctrina cum Chriſtianorum diſciplina confundatur? Cur Magis antiquis adfingatur idea diaboli? Quis audeat vel ſomniare Magos ad Chriſti præſepe accerſitos fuiſſe magos diabolicos (*e*)? Scriptor (*f*) quidam Bileamum pacti taciti cum diabolo incuſat; qui debuiſſet ex obviis

H

(*u*) LACTANT. *div. Inſt.* L. II. c. 14. „ dæmones putant eſſe deos. „

(*x*) *Inſt. divin.* L. II. c. eod. conſentit CHALCIDIUS *Comment.* in *Timæum* c. 7. §. 131. p. 328. EUSEB. *Præp. evang.* L. IV. c. 5. AUGUST. *C. D.* L. IX. c. 20.

(*y*) v. JULIUS POLLUX in *Onomaſtico*.

(*z*) LAERT. in Pythag. L. VIII. ſegm. 32. SEXTUS EMPIRICUS Lib. I. adv. Phyſic. §. 74.

(*a*) LAERT. ibid.

(*b*) *Iliad.* Lib. VI. ſub fin.

(*c*) ARISTOT. Rhet. L. 2. c. 23. §. 27. δαιμων ὀυδεν εςιν, αλλ' ἡ θεος, ἡ θεȣ ἐργον.

(*d*) ad PHILOST. *Vit. Apoll.* L. I. c. 2.

(*e*) v. TARTAROTII *Congreſſo* p. 412.

(*f*) Auctor *delle oſſervaz. ſopra la Magia dileguata* p. 77.

interpretibus discere, non nisi latissima significatione (v. inf. §. CLXXV.) eum in Vulgata (*g*) *ariolum* nominari, quem S. HIERONYMUS, S. PETRUS II. 2. v. 16., & tota Judæorum Synagoga *Prophetam* adserunt (*h*). An etiam Magi illi, quibus præfectus fuerat Daniel (§. V.), fuerunt diabolici? Quid plura? Deducta hactenus Magiæ historia, eos jam nunc ab hoc crimine, si quod foret, absolveret. Sed amplius nos instruit oppositio systematis Magorum (§. LV. LVI.) & doctrinæ Christi, aut Scripturæ. Illi dæmones ex chao (§. LV. N.I.) ab initio rerum factos adsumebant, prout Porphyrius & Psellus exponunt (§. XV.), nos docemur dæmones prius angelos bonos ex *nihilo* creatos fuisse, deinde ob spontaneum superbiæ peccatum ad tartara præcipitatos (*i*): illi dæmones omnes in effectu bonos (§. XVII.) fieri, atque ut futura ipsis revelent, conciliari posse, nos omnes dæmones natura sua post lapsum malos animabus inhiare nostris, nec bonos fieri, paucissima futura scire discimus. S. AUGUSTINUS (*k*): Nos autem sicut scriptura loquitur, secundum quam Christiani sumus, angelos quidem partim bonos, partim malos, numquam vero bonos dæmones legimus — — *Et hanc loquendi consuetudinem*, addit S. Doctor, *in tantum populi* usque quaque secuti sunt, ut eorum etiam qui pagani adpellantur, & deos multos ac dæmones colendos esse contendunt, nullus fere sit tam literatus & doctus, qui audeat in laude vel servo suo dicere, dæmonem habes: sed cuilibet hoc dicere voluerit, non se aliter accipi, quam male dicere voluisse, dubitare non possit „ in quo multum ab antiquitate recessum fuit (§. LVI. Illi denique dæmonibus manes adnumerabant (§. XXIX. XXX.), nos alio longe loco animas defunctorum habemus. Et quis ultra idololatrarum atheorumque doctrinas cum veritate divina contendere sustineat? Præcipue quod in

(*g*) Numer. XXII. XXIII.

(*h*) Tu vide Cl. FONTENU *dans l'Histoire de l'Academie Roy. des Inscr*. T. IV. art. I.

(*i*) ISAIÆ XIV. 2. MATTH XXV. 41. II. PETRI 2. v. 4. JUDÆ v. 6. AUG. de *Civ. Dei* L. XI. c. 33.

(*k*) de C. D. Lib. IX. c. 19. cf. ORIGEN. *Cont. Celsum* L. V. p. 234. EUSEB. *præparat*. L. IV. c. 3. ubi contendit vocem *Δαιμων* semper in malam partem sonare, undecunque demum ejus origo arcessatur.

S. S. nil nisi generalia de dæmonibus expressa sint, ethnici innumera de iis particularia garriverint? Eo tamen cogunt dæmonographi.

LVIII. Altera huic similis idearum permixtio est illa, qua recentiorum temporum scriptores discrimen inter Sagas & Magos effinxerunt; quare itidem hunc errorem retegere oportet, ut firmis fixisque rerum notionibus instruamur. Factum est, ut, quum superioribus seculis Germania malorum suorum pondere laboraret, quidam maturiori judicio perpendentes tot sagarum rogos undique ardentes omnibus ante seculis inauditos fuisse, facile sibi persuaderent, multos innocentes hac lue absumi. Multis ergo opitulaturi comminisci cœperunt differentiam inter Magos juste puniendos & Sagas, quas ab omni poena immunes pronunciabant, quod earum crimina in sola imaginatione consistere dicerent. Primus id discrimen, qui tum paullo acutior videri volebat, JOH. WIERUS WILHELMI ducis Cliviæ & Montium medicus protulit Libris VI. *de præstigiis dæmonum* an. 1556. editis ad *Cæsarem & omnes Orbis Christiani Magistratus* directis; quos inde sextum auxit, & prodire jussit Basileæ 1583. 4. (*l*) Wierii sententiam haud multo post suam fecit JOH. GEORG. GODELMANNUS in Academia Rostochiensi Jurium Professor, eamque primum an. 1584. 26. Febr. in disputationem deduxit publicam, quam thesibus LXXX. *de Magis Veneficis Maleficis & Lamiis* defendit *Marcus Burmeisterus* Hamburgensis (*m*); deinde vero libris tribus latius instruxit (*n*) idem Godelmannus. Hos antesignanos nostra ætate secutus est V. CL. HIERONYMUS TARTAROTTUS (*o*). Quem ante ipsam tamen editionem operis monuerunt egregii viri Comes Jo. RINALDUS CARLI Patavinus tunc artis nauticæ professor, nunc amplissimus Commerciorum Præses Mediolani, & Doctor ANTON. ROSSI, ille quidem:

(*l*) STOLLIUS Hist. der Medic. Gelahr. p. 188. adducit etiam versionem ejus operis germanicam de anno 1575. 8. Francofurti ad Moenum. Opera ejus omnia *Amstel.* an. 1660. 4. prodierunt

(*m*) Excusa est Frcf. ad Mœnum 4. plagg. 4. Inscribit eam GEORGIO Walch *Archiducis Ferdinandi quæstori & Consiliario Rotenburgi ad Nicrum.*

(*n*) Francoforti 1591. 4. Recusi Noribergæ 1676. 8.

(*o*) *del Congresso notturno delle lammie* Lib. II. c. 15 & 16. *Apologia del Congr.* p. 98.

frustraneum esse negare magiam in feminis, admittere in viris, quum idem diabolus sive feminis, sive viris dominari hac in arte supponatur, hic: laborem totum fore irritum, si non simul tota *superstitio magica*, uti eam vocat Tacitus (*p*), e mundo ejiciatur, monstrando Magicam artem esse *abortum superstitionis*, *ab impostura nutritum*, *& in sinu ignorantiæ adultum* (*q*), Magiam esse truncum, ex quo Sagæ propullulaverint. Illustris dein Maffeus ulterius frivolas Tartarotti contradictiones detexit (*r*). Tota demum conficta fuit ex eo differentia, quod in processibus sequioribus magicis feminæ ex debilitate sexus alia in se confiterentur, quam viri.

LIX. Nos omnia ex historia hoc loco firmabimus, quæ D. D. Carli, Rossi, & Maffei cum plurimis doctis viris pridem viderunt. Ostendemus apud antiquos nullam Sagarum magorumque fuisse differentiam, unde facile ad recentiora tempora conclusio fiet. Quum Magia sapientiæ nomine gentibus idololatris obreperet (§. IX.), hujusque sapientiæ & Viri & feminæ participes reddi vellent, invenimus profecto homines hujusmodi semper ab initio iis vocabulis indigitatos, quæ sapientiam exprimunt. Viri in Oriente Sapientum (§. V.) & Magorum (*Magus autem lingua latina est Sacerdos* (*s*)) nomine veniebant, quod dein ad Græcos & Latinos propagatum est. Latini feminas *Sagas* dixerunt, quæ vox mulieres, vetulas & prudentiam experientia adquisitam præferentes denotat. Cicero (*t*): „ Sagire sentire acute est; ex quo Sagæ anus, qui multa scire volunt, „ & Sagaces dicti canes. Et alibi: (*u*) „ Utrum philosophia dignius: „ Sagarum superstitione ista (somnia) interpretari, an explicatione „ naturæ? „ Apud germanicas nationes, quibus mulieres erant Sacerdotes (§. XVI.), occurrit vocabulum Häxe, Anglis antiquis *hag*, *hagg*, Anglosaxonibus *hægesse*, hispanis *hechizera*, quod ab *huge*, *hyge*, in veterum dialectis mentem animumque significante descendens,

---

(*p*) Annal. XII. 59.

(*q*) v. Epist. Professoris Carli *ad Tartarot. nel Congres.* p. 320. Et de D. Rossi v. ibid. p. 447.

(*r*) *Arte magica annichilata* Lib. I. c. 1. tot.

(*s*) Apulejus *Metam.* Lib. I.

(*t*) *de divinat.* L. I. c. 31.

(*u*) *ib.* L. II. c. 63.

mulierem ætate providam & usu sapientem, die weise Frau, qua denominatione Austriaci obstetricem significare solent, notat (*x*). Nos hodie interdum in bonam partem accipimus. Sane de vetula prudente eine alte Hexe, de quodam opere acupicto ein Hexenstich, de negotio intricato ein Hexenwesen &c. dicitur. Islandis mulier Saga audit *fiol-Kunni* i. e. multiscia, hodie *Wys-quinna*, i. e. mulier sapiens (*y*). Druides veterum Gallorum & Germanorum (§. XVI.), quos Plinius eorum magos dixit, & medicos (§. XLIX.), vocantur a voce *Draoi*, quæ in lingua hibernica Magum incantatorem designat, & numerum pluralem *Draoithe* format, unde Cæsar, & alii druides fecerunt (*z*). Femina saga Apulejo dicitur *Maga*, S. Damasceno loco infra citando μαγος γυνη eodem sensu. Apud Homerum vox Μαγος nusquam occurrit, sed in Odyssea tamen omnia artis magicæ effecta narrantur, *adeo ut totum opus non aliunde constet*, inquit Plinius H. N. XXX. 1. Nec vero ea plebi tam commoda vox Homero magis arrisit ac altera illa *Fortunæ*, quam, observante MACROBIO *Saturn.* V. 16. *nescire maluit, adeo ut hoc vocabulum τυχη in nulla Homerici voluminis parte reperiatur.*

LX. Aucta brevi in infinitum superstitione malitiaque hominum his mulierculis variæ aliæ ex rerum naturalium classe desumtæ adpellationes & apud græcos & latinos adfrictæ sunt. Primum de græcis terminis dicamus. Lamiæ vox ita communis facta est, ut passim mulieres sagæ ea denotentur. Vetustissimum id nomen esse patet ex Aristophane, qui suo æmulo *Cleoni*, λαμιας ὀρχεις ἀπλυτους *fœditatem lamiæ* (*a*) tribuit, ac iterum alibi lamiæ (*b*) meminit; cujus scholiastes (*c*) originem fabulæ, & quid sit *lamia*, declarat. „ Fertur, inquit, Lamia Beli & Libyæ fuisse filia, quæ ab Jove „ amatore suo ex Lybia in Italiam traducta sit, ubi & Lamia urbs „ ejus nomine ædificata dicitur. Illic ei natos filios Juno invidens „ eos sustulit. Lamia vero mortem liberorum suorum graviter fe-

(*x*) WACHTER. KEYSLER *Antiq. Septentr.* p. 149. Jo. HEUM. *Opusc.* p. 432.

(*y*) teste STIERNHIELMIO præf. ad *Ev. Gothic.*

(*z*) KEYSLER l. c. p. 37. Idem notat ex TOURNEFORTIO *Dervis* apud Turcas & nomine & re druides referre. *ib.* p. 152.

(*a*) in *Pace* v. 757.

(*b*) in *Vespis* v. 1030. & 1172.

(*c*) p. 358. *ed. Kuster.* Amst. 1710.

„ rens aliarum mulierum proles per invidiam ſurripiebat & enecabat. „ Inde eſt, ut nutrices, quum infantes terrere volunt, Lamiam contra „ eos advocent. Fingitur autem etiam Junonis juſſu ſomno caruiſſe, ut „ ſic dies noctesque in luctu perſeveraret, donec ejus miſertus Ju- „ piter exemtiles ei oculos fecerit, quos pro arbitrio vel deponere „ vel aſſumere poſſet. Fertur & poteſtatem ab Jove accepiſſe ſeſe, „ ut vellet, transformandi. Hoc vero loco tanquam monſtrum ali- „ quod & portentum Cleonem repræſentat Comicus. Etenim Lamiam „ animal eſſe ajunt ſilveſtre mali odoris, & immite. „ Idem ad *Veſpas v. 1030.* notat, habere illud magnum λαιμον, unde forte origo vocis, id eſt, guttur & gulam valde magnam & vaſtam; atque ex verſu *1172.* patet animal iſtud tanquam Chimæram ludum præbuiſſe comicis, ubi commentator monet ὅτι ȣκ ἐσαν την λαμιαν ὑποτιθεται, *quod poeta lamiam aliquod non-ens eſſe ſupponat.* Audivimus tamen divinum illum Apollonium (§. LVI.) Corinthum a lamiæ ſpectro liberaſſe (§. XXII. N. III.). Sed idem cum Ariſtophane ſenſerat Horatius, qui ſimul ad hiſtoriam Reginæ lybicæ alluſit his verbis:

> Ficta voluptatis caussa *ſint proxima veris;*
> *Nec quodcunque volet, poſcat ſibi fabula* (comœdia) *credi;*
> *Neu pranſæ Lamiæ vivum puerum extrahat alvo.*
> *Centuriæ ſeniorum agitant expertia frugis.*

Ipſum vero nomen Reginæ hujus deducitur a voce phœnicia *Laham* vel *Lahama*, quæ *devorare* ſignificat Bocharto teſte (*d*).

LXI. Occurrit & apud Græcos (*e*) Gorgo, de quo Alexander Myndius (*f*) refert, animal eſſe Lybiæ ſylveſtrem ovem ſimulans, uſque adeo tetro & pernicioſo halitu, ut quisquis occurrit, eum interimat, juba tanta, ut a fronte in oculos demittatur, qua vix ob gravitatem quaſſata & dimota quemcumque intuetur, adſpectu necet, perlato nativo veneno oculorum aciei. Aliud nomen Sagis

(*d*) v. Daceria ad *Odyſſ.* Lib. X. not. 17.

(*e*) Strab. L. I. p. 35. *Gorgoniam gemmam Typhoni reſiſtere affirmant.* Plin. H. N. L. XXXVII. 10.

(*f*) ap. *Athenæum.* L. V. p. 221.

adcommodatur, quo terriculamentum quodvis denotant, EMPUSARUM ſcilicet. Demoſthenes (*g*) Æſchinis matrem etiam vocat *ἐμπȣσαν*, quod eſſet meretrix, & adeo in omnes formas mutabilis. Unam ex Empuſis, mire id celebrante Philoſtrato (*h*), *ἁς λαμιας τε και μοϱμολυκιας ὁι πολλοι ἡγȣνται*, *quas Lamias vulgo & larvas adpellant*, arte ſua theurgica detexit rurſum Apollonius. Quum Empuſa Menippo Cynico philoſopho ſe nupturam eſſe fingeret, ipſaque die nuptiarum omnia ad nuptiale convivium requiſita adpararet, aurea pocula, argentum eſcarium, coquos & pincernas, omnia vero hæc, quia tantum ab Empuſa ficta erant, iterum cum ipſa diſparerent, Apollonius id ſpectrum (*φασμα*) comparere jubet. Lacrymas tum ſimulat ſpectrum, & „ *ne torqueret*, ſeſe neve, quid eſſet, fateri cogeret, „ oravit. At illo urgente, neque dimittente, Empuſam ſe eſſe faſ- „ ſum eſt; pulcris & juvenilibus corporibus paſci ſibi in more eſſe „ poſitum, quoniam integerrimus eorum ſit ſanguis (cf. §. XXXI. „ XXXII.). Explicat Apollonius Empuſas carnium maxime humanarum eſſe adpetentes & Veneris œſtro agitare eos, devorare quos cupiant. Geminum huic nomen eſt *μορμολυκειον* a *μορμω* Larva horrendo adſpectu, auſtriacis *momoo*, Belgis *Momaangeſicht*, & *λυκη prima lux ſolis ortum præcedens* (*i*). Medicina magica etiam morbum pectoralem præcipue infantium Sagis tribuit. Hinc vocantur *ἐφιαλται* (*k*), nobis Alp, Drud. Dicuntur & *φαρμακιδες* (*l*) a poculis venenatis (§. XXXVI.), unde Virgilius Eclogam ſuam octavam *Pharmaceutriam* inſcripſit.

LXII. Latinorum terminus eſt *Strix*, haud ſcio an a ſtridula voce (*m*), an a verbo antiquo *Strigo*, cujus præteritum eſt in *L.* 1. §. 3. *D. ad L. Corn. de Sicariis*, præcipuo ex effectu, quod ſtringere ſoleat; veluti Germanorum Greif. FESTUS *Paulli diaconi* habet, quod etiam græci ſimili termino a ſono deducto uſi ſint. *Striges*, ita le-

---

(*g*) Orat. *de Corona.*

(*h*) in *vit. Apoll.* L. IV. c. 25. p. 165.

(*i*) CHRYSOST. T. I. Opp. p. 164. πολλαι των μητερων ἐπειδαν μηδεν ισχυσωσι, παρακαλεσαι μορμολυκεια και φοβητρα κατασκευαζεσαι —

(*k*) STRABO L. C.

(*l*) PAUSANIAS L. IX. c. 11.

(*m*) OVID. *Faſt.* L. VI. v. 139.

gitur hodie, *aves noctu rnas græci, ut ait Verrius*, *στριγγας* *adpellant* (*n*). Habetur & ibi Exorcismus græcorum contra striges ita emendatus ab Andrea Dachery:

Στριγγ' αποπεμπειν νυκτινομαν στριγγα τ' αλαον
'Ορνιν ανωνυμον ωκυπορους επι νηας ελαυνειν.
Strigem averte noctu pascentem, fœdamque
Strigem avem feralem veloces in naves fuga.

Totam rem sic habe. Strix nihil esse videtur aliud, quam noctua; (*o*) eine Nachteule, Gallis *effraye* vel *fresaye*, & convenit cum caprimulgo, rumas pecudum sugente, αιγοθηλη, quod observavit I. C. Scaliger (*p*). Quum tamen eadem de aliis avibus alibi spargerentur, jam dixit Plinius (*q*): *quæ sit avium constare non arbitror.* Sane Busbequius (*r*) eam avim *caprimulgum veterum fuisse* credidit, quæ Constantinopoli erat a. 1560. *Coccigis magnitudine ac ejusdem fere coloris non magno rostro sed faucibus ita vastis & patentibus, ut cum diducerentur prodigiose hiarent, & quemvis magnum hominis pugnum caperent*, de qua ferebatur, quod *noctu volet & vaccarum mammas* sugat. Sed eadem fabula deinde ad homines adplicata est. Plautus, ubi inducit coquos, qui tam inepte Coquinam administrent, ut edulia ex iis herbis hominibus adponant, quæ naturæ humanæ male faciant, (*s*) ita jocatur:

— — — *cum condiunt*,
Non condimentis condiunt, sed Strigibus
Viva convivis intestina quæ exedint.
Hoc hic quidem homines tam brevem vitam colunt;
Cum hasce herbas hujusmodi in suam alvom congerunt,
Formidolosas dictu, non esu modo.

Ovi-

(*n*) Profert id nomen græcis usitatum seculo post Ch. VIII. Damascenus. v. inf. §. 119.

(*o*) Silius Lib. XIII. v. 597. de Styge:
Heic diræ volucres pastusque cadavere vultur,
Et multus bubo, *ac sparsis* strix *sanguine pennis.*

(*p*) ad *Arist. Hist. Anim.* L. IX. c. 30. Sect. CXXIIII.

(*q*) H. N. L. XI. c. 39.

(*r*) Epist. III. p. 180.

(*s*) *Pseudol.* act. III. scen. 2. v. 30.

Ovidius loco citato dicit ſtriges nocte pueros nutrice deſtitutos petere in cunis, ex eorumque viſceribus ſanguinem exſugere (*u*). Poſtea mulieribus Sagis adfictum, quod illæ arte magica, quæ omnia poteſt (§. XXIV. XXXIII.), in bubones vertantur, noctuque homines infeſtent. Apulejus credulitatem ſuorum & ſuperiorum temporum recenſet, dum Sagæ Pamphiles metamorphoſin ita deſcribit: „ Primum circa „ primam noctis vigiliam omnibus laciniis ſe deveſtit Pamphile, & „ arcula quadam recluſa pyxides pluſculas inde depromit, de queis „ unius operculo remoto, atque indidem egeſta unguedine diuque „ palmulis ſuis adfricata ab imis unguibus ſe ſe totam adusque ſummos capillos perlinit: *multumque cum lucerna ſecreto collocuta* membra tremulo ſuccuſſu quatit. Queis leviter fluctuantibus promicant „ molles plumulæ, creſcunt & fortes pinnulæ, duratur naſus incurvus, coguntur ungues adunci, FIT BUBO PAMPHILE. Sic edito „ ſtridore querulo jam ſui periclitabunda paulatim terra reſultat; mox „ in altum ſublimata forinſecus totis alis evolat (ad ſuum cupitum) „ (*x*).

LXIII. Ita jam habemus ſtriges ſagas; & quum empuſæ juvenum corporibus delectarentur (§. LXI.), æque narratum fuit ſtriges juvenibus inſidiari. Addiderunt his ſtrigibus, uti fabulatoribus ſolemne eſt miſcere omnia, feminini corporis reliquias, quibus venenum immittant, ubera. Hoc in ſenſu capiendus *Plinius*, ubi ait, (*y*) „ fabuloſum arbitror de ſtrigibus, ubera eas infantium labris „ immulgere. „ Seculo III. invenitur SERENUS SAMMONICUS in præ-

I

(*t*) *Horat.* Epod. V. v. 20. inſtrumentum veneficæ facit *plumam nocturnæ ſtrigis*.

(*u*) Metamorph. Lib. III. p. 138. Similes transformationes, ut id quoque notem, etiam a diis manibus produci poſſe veteres rebantur. Horatius Epod. Carm. V. v. 90. puerum ſagæ ipſius vitæ inſidianti minantem inducit:

Quin ubi perire juſſus exſpiravero
Nocturnus occurram furor,
Petamque vultus umbra curvis unguibus,
(Quæ vis deorum eſt manium)
Et inquietis aſſidens præcordiis
Pavore ſomnos auferam.

v plura hujus ſenſus veterum loca ap. MEURSIUM in *Comment.* ad *Lycophronis Caſſandram* v. 1225.

(*x*) H. N. Lib. XI. c. 39.

ceptis suis medicis (*y*) imitatione aliorum (§. XLVII.) contra nocturnos hos assultus remedia praescripsisse :

Praeterea si forte premit Strix atra (§. XLI.) *puellos*
Virosa immulgens exertis ubera labris,
Allia praecepit Titini sententia necti.

Seculo IV. poeta Christianus Ausonius supponit nostram fabulam, ubi de ea generatim Eidyll. XII. *de historiis* :

Nota & parvorum cunis muliebre scelus Strix.

Seculo VIII. Isidorus Hispalensis (*z*): *quidam asserunt Strigas ex hominibus fieri.* Praeterea vero quum hae mulieres se iisdem ac Magi criminibus aeque polluerent (§. XXXII. — XXXIV.) inde *maleficae*, *veneficae* (*a*) *incantatrices* (§. XLIII., a sorte praeside seu fato indagando *sortilegae* (*b*), demum a vaticiniis (§. XVI. XLIX. L.) communi *Vatum* nomine veniebant. Sicut porro a primis vocabulis Galli *enchanteresse*, *sorciere*, *venefice*, Itali *Strega*, *Stria*, *Maliarda*, *venefica* formarunt, ita a voce Vatis, quae ex lingua Celtica derivatur (*c*), Gallorum *Fee*, Italorum *Fata*, *fatuchiera* (*d*), *Versiera*, austriacorum Fee, (Feetaifel), & rursus Gallorum *Faerie* deduci debet. Porro postquam Striges Sagae cum larvis (§. XXIX.) comparatae (§. LXI.) sunt, & ex medicina superstitiosa (§. XLVIII.) eisdem morbus pectoralis attributus fuisset (§. LXI. in f.), etiam apud Latinos *incuborum* nomine comprehensae sunt (*e*).

LXIV. Sistamus paulisper in populo hebraeo. Notum est hunc populum ad Idololatriam semper pronissimum fuisse, adeo ut ipsius Theocratiae tempore saepius ad eandem prolaberetur Factum est inde, ut Deus in justam poenam decem tribus Israelitarum e *Sa-*

(*y*) cap. de *infantibus dentient, aut stryge vexatis.*

(*z*) *Orig.* L. XI. c. 4.

(*a*) Quintil. *Declam.* XV.

(*b*) Lucan Phars. IX. 581.

(*c*) Wachter Gloss. h. v. Keysler l. c. p. 33. — 36. 270. Revocandum huc nomen *Fatuae* ita nominatae, ut ait Lactant. I. 22. *quod mulieribus fata canere consuevisset.*

(*d*) cf. Tartarottus L. I. c. 5. §. 5. Inde barbari efformarunt vocem latinam: *affactoratrix.* Accursius ad L. 1. §. 2. de obs. par. & patron. cf. Hoffman. *Obs. J. G.* L. I. c. 4. Hispanis Saga dicitur *Broxa* originatione procul dubio Celtica, quum & Silesiis & Saxonibus inferioribus vocula Brefe idem significet.

(*e*) *Servius* ad Virgil. Æn. VII. v. 776.

maria propria tum eorum ſede a Salmanaſſare rege Aſſyriorum in Aſſyriam & Mediæ civitates deportari ſineret, ipſosque deinde duos reliquos tribus, Juda & Benjamin, a Nebucednazare captivitate Babylonica adfligi. Adparet inde facile populum rudem Deoque rebellem, poſtquam gentibus intimius miſceri cœpiſſet, earum doctrinas ex Magia & Aſtrologia profluas (XLVIII. in f.), quarum doctrinarum origines in rivulis ad Græcos & Latinos derivatis hactenus abunde perſpeximus, ambabus manibus amplexum fuiſſe. Habemus ejus rei veſtigium apud auctorem libelli TOBIÆ, qui C. III. & VI. ex vulgi aſſyrii fabulis & opinione inter hebræos jam irrepente (*f*) enunciat id, quod, ut ibi ex decurſu narrationis patet, factum eſt, nempe Deum quodammodo dæmoni imperaſſe, ne pateretur virum aliquem Saræ pudicitiam attentare, quod eam Tobiæ reſervatam vellet. Dicit enim dæmonem Aſmodæum (i. e. Ignem regni Mediæ ab *Eſch* ignis, & Medai,) quod ipſum nomen a Chaldæis hauſtum, ſeptem viros ſe cum Sara mixturos occidiſſe propterea, quod dæmon hic amore deperiret Saram. Multi id veterum (*g*) de dæmonibus incubis, uti textum Geneſeos VI. 2. ad quem tu vide CASSIANUM Collat. VIII. c. 20. & 21. ceperunt, qui ſcilicet Angelis & dæmonibus aliquod corpus ſubtile adſcripſerunt exemplo ORIGENIS (*h*); quam vero communem veterum idololatrarum philoſophiam fuiſſe vidimus, & heic videmus eſſe Aſſyriorum (§. XIV. XXVII. XXXI. XXXII.

(*f*) cf. cum aliis interpretibus Calmetum.

(*g*) PHILO de *Gigant.* JOSEPH. *Antiquit.* L. I. 4. JUSTINUS MARTYR, ATHENAG. *Orat. pro Chriſt.* CLEMENS ALEX. *Strom.* III. TERTULLIAN. *de Virg. vel.* & *de habit. mulier.* c. 2. CYPRIAN. de *diſcipl. & habit. Virg.* n. 54. LACTANTIUS II. 14. De Judæis cf. §. *66.* Apte PLUTARCHUS in *vita Numæ* T. I. p. *62.* connubia deorum cum hominibus inter antiquas valde fabulas Phrygum, Arcadum, & Bythinorum rejicit. Ulterius addit, *deo* & *dæmoni* (§. 56.) *humani corporis formæve, conſuetudinem aut gratiam ineſſe difficile eſſe creditu.* Ægyptios quidem diſtinguere ita, ut dicant *haud eſſe quidem impoſſibile, quin halitus dei* (πνευμα θεȣ) *appulſus mulieri indet principia generationis, viris autem nullum cum deo eſſe commercium corporis: eos tamen non perpendere, quod illud, quod miſcetur, ei, cui miſcetur, mutuam ſui præbeat communicationem.* PLINIUS H. N. L. II. C. VII. „ Matrimonia „ inter Deos credi tantoque ævo ex his neminem naſci - - - puerilium prope deliramentorum eſt. „

(*h*) *Cont. Celſum* V. 12. v. HUET. *Origeniana* lib. I. c. 2. cf. de Origene §. 12. 40.

LV.), qui omnes nec ipsum Ens summum sine materia concipere valebant (§. LV. N. I.), quos ergo incaute quidam antiqui Christiani secuti sunt. Rectum est in hac re Calmeti uno in loco judicium, „ si, inquientis, ad rectum examen eæ omnes vocarentur „ historiæ, quæ dæmonum impudentissimos per somnium cum viris „ ac mulieribus concubitus referunt, inveniretur sane hic effectus fuis„ se inconditæ & inordinatæ eorum virorum mulierumque imaginatio„ nis atque illusionis dæmonis, quam dæmonis ulla sensibilis corpo„ rea & realis operatio „ (*i*). Patescit vero, quod assumsimus, quasdam apud Hebræos a vicinis gentibus doctrinas inolevisse. Et hoc saltem de Israëlitis proprie dictis, nempe inter decem illos tribus exsistentibus Tobias prodidit, qui inde in aula Salmanasaris officiis functus est. Soluta per Cyrum captivitate soli fere *Judæi* qui tribubus Juda & Benjamin comprehendebantur, in Palæstinam patriam remigraverant (*k*).

LXV. In vacuas Israelitarum sedes Colonia interim Cuthæorum aliorumque populorum Orientalium deducta fuit, qui ab hoc novo incolatu *Samaritanorum* nomen accepere, fuitque deinceps Samaria Asylum Judæorum apostatarum (*l*). Orta inde est in Samaria relligio quædam ex Judaica, quod solum pentateuchum receperint, traditionemque omnem rejecerint, & ex gentili mixta, ex qua Christi tempore Simon ille Magus prodiit. Prosequenda ulterius gentis divino judicio exterminatæ historia. Multi ante excisam per Chaldæos Judæam inde profugerant ad Ammonitas, Moabitas (*m*), & quos heic præcipue contemplabimur, Ægyptios. Alteram Hebræo-

---

(*i*) ad Tob. VI. 15. Hoc judicium cum aliis sententiis, quas ad scripturam S. protulerat Calmetus nostro themati satis proficuas, nescio quo fato mutavit iterum in L. de *apparitione spirituum*, qui quidem tractatus ob indigestam fabularum molem tanto theologo indignus videtur.

(*k*) I. Esdræ c. 1. 2. Quodsi ad posteriores Hebræos respicias, adparebit solemne iis esse, ut morbos, & incommoda quorum latent causæ, diabolo deputent, ut suos esse insaniæ dæmones, suos esse surditatis, suos silentii, quibus homines insani, muti & surdi redderentur, crediderint. I. Reg. c. 16. v. 14. 23 Matth. IX. 32. Luc. XI. 14. Grot. ad Matth. IV. 24.

(*l*) Prideaux *histoire des Juifs*. T. II. p. 289 - 311.

(*m*) Isaiæ XVI. 4.

rum Coloniam in Ægyptum deduxit Alexander M., auxit belli jure Ptolomæus Lagi, & privilegiis plurimos insuper judæos eodem allicuit. In hac jam Palestra nefandis ex Philosophia gentili haustis erroribus divinam suæ gentis sapientiam, & divinam legem deturpare instituerunt, adscitis videlicet unde unde principiis Zoroastreis, ægytiacis, Pythagoricis, Platonicis, quæ omnes sectæ in Ægypto conjunctæ fuerant, nihilque aliud pro scopo habebant, quam ut animam mundi (§. VII.) variis emanationibus & explicationibus exornarent. Hæc impia philosophia sublimiorem legis patriæ cognitionem promittens nomine CABBALÆ in Palestinam a Simeone Schetachide translata fuit, qui eam inter judæos ibidem habitantes vulgavit (*n*). E quibus in promtu est, quomodo Magia inter Judæos, divinam olim gentem, æque ac inter gentes idololatras invaluerit.

LXVI. Itaque Cabbala, mixtura illa mirabilis stultissimarum opinionum cum doctrina vera & sapientissima inter alia docet, mundos esse quatuor, materialem, spiritualem, supermundanum & divinum, hos esse ortos emanatione ex Deo expellente e sinu suo radium magnum, nempe hominem primogenitum, (per quem intelligunt caussatum quoddam primum), operari hunc radium divinæ lucis in mundos omnes motu subordinato, Sephiras radios lucis divinæ esse per caussatum primum emanantes, quibus in quolibet systemate mundano omnia formentur, producantur, gubernentur eum in finem, ut regnum Dei i. e. evolutio Dei occulti manifestetur. Mundum spiritualem, seu *Briah* angelos continentem utentes corporibus igneis & æthereis, creari a sephiris superioribus conjungentibus se cum inferioribus, inito videlicet conjugio sephiræ *Bina*, quæ mas est, & *Malluth* quæ femina. Mundum supramundanum ex mundo Aziluthico emanare, qui substantias spirituales sed magis quam in divino limitatas contineat; mundum vero aziluthicum ex divino oceano effluxisse. In mundo Aziluthico emanationes di-

(*n*) V. BRUCKER. *Hist. Phil.*

rigi a ſpiritibus decem miniſtris, quorum iterum decem Angelorum turmæ miniſtræ ſint. His ſecundis miniſtris rurſus addunt miniſtros Sammaelem & omnes turmas ejus, quibus illi deſcenſuri in terram inequitent, qui ſpiritus mundi materialis ſint *maligni*, regnoque Dei oppoſiti, & corticibus emanationum, id eſt, nubibus circumdati. Poſſe hos per nomen *tetragrammaton*, cujus literis ſephiræ cujuslibet mundi tam in genere quam ſpecie contineantur, *adjurari*, eorumque conſilia impediri. Eorum deſiderium unicum eſſe adſimilari ſuperioribus ſephiris, hinc pugnare continuo *Sammaelem* contra *Seiranpin* ſive ſuperiores, *Lilith* feminam contra *Malchuth* inferiores ſephiras. Spiritus aëreos occupare locum inter ſummum & imum, & corpus habere patibile, ratione autem animæ paſſionibus ſubjectos eſſe. Adjiciunt animas omnes jam in Adamo præexſtitiſſe, quas Deus una ſimul creaverit. Malos dæmones dominatos eſſe in Adamum, ſibique animas ſuperinduiſſe. Denique Deitatis omnia plena eſſe; de quibus fuſe tractat Cel. Bruckerus.

LXVII. Hæc (§ LXIV. — LXVI.) præmittere oportuit, ut intelligeremus, quomodo in populum olim a Deo electum, poſtea vero ob contemtum divinorum præceptorum ab eodem Numine ſapientiſſimo derelictum, eidemque ac ceteras gentes, ſenſui reprobo (§. II.) datum, Magiæ opinio invecta fuerit, partim, ut ſequentia, quæ de nomine, quo certum ſpectrum Judæi deſignant, dicturi ſumus, plenius percipiantur. Occurrit apud Jesaiam c. xxxiv. v. 14. in verſione vulgata vox Lamia, ubi textus hebræus ponit Lilith. Omnes dæmonographi ſtatim heic deprehenderunt ſtriges & lamias ſagas. Sed boni hi homines præjudiciis vulgi occœcati, non perpendebant, quid dicerent (*o*). Lilith genuino ſenſu vocatur a Jesaia avis nocturna, quæ noctu volat & clamat, ſicut eruditiores Rabbini omnesque viri docti explicant; ac paraphraſis Chaldæa *Noctuam* interpretatur, Quæ verſio congruit intentioni Prophetæ, qui vivis coloribus prædicit vaſtitatem Bozræ & Idumææ, eamque tantam fore adſerit, ut ſolis noctuis aliisque ani-

(o) cf. Bossuet in *Apocalypſin S. Joannis* C. XVIII. v. 2.

malibus eremicolis servitura sit. Unde CL. TARTAROTTUS ad Vulgatæ (*p*) voce lamiæ utentis textum observavit, quod *Lamia* in significatione avis nocturnæ apud græcos non occurrat (§. LX.); multoque melius mentem Prophetæ expressurum fuisse vocabulum *Strix*, prout *Buxtorfius* reddidit; quare & HIERONYMUS (*q*) adnotavit solum Symmachum voce *lamiæ* usum esse, ex cujus versione eadem in Vulgatam migravit. Posteaquam vero infelix Judæorum populus Cabbalam excolere incepisset, vox LILITH malo dæmoni feminini generis (§. LXV.) adplicata fuit, prorsus ut latinorum strix ab avi ad homines & sagas (§. LXII.) venit. Stabilito autem semel sensu Cabbalistico innumera de Lilitha fabulati sunt recutiti. Communiter habetur pro spectro insidiante puerperis & infantibus recens natis, contra quod nomina trium Angelorum circulo inscribenda SENOI, SANSENOI, & SAMMANGELOPH suadent, quæ *illis tradiderit ipsa Lilith ea hora, qua voluerunt eam suffocare in mari.* (*r*). Notat KIRCHERUS eam totam consuetudinem ex Ægypto petitam fuisse, putatque etiam Lilith cum Alilath seu luna Arabum, & Proserpina Latinorum convenire; immo per Lilith significari TYPHONEM (§. XVIII.)

LXVIII. Ex his credo satis abunde patuit judicio gentium antiquarum nullam differentiam esse Magos inter & Sagas, neque nunc etiam, si illam diaboli in utroque sexu æqualiter operantis ideam sequi velimus, ullam quidem fingi posse. Mulieres illas antiquas jure *goetas* dixeris (*s*), quum & *theurgas* habeamus, ASCLEPIGENIAM Plutarchi Atheniensis filiam, SOSIPATRAM Eustachii Cappadocis Conjugem, ÆDESIAM Hermiæ Alexandrini filiam (*t*). Quædam adhuc nefandæ stultitiæ in utroque sexu exempla adjungamus. Vidimus supra defixiones in cera & viris & feminis Goetis tribui

(*p*) *Congresso* L. I. c. 1. §. 5.

(*q*) *Comment.* in *Jesaiam* L. X. c. 34.

(*r*) ap. KIRCHER. *Oedyp. Ægypt.* T. I. Syntagm. IV. c. 13. p. 321. BUXTORF. in *lexic. chald. Talm. Rabb.*

(*s*) Hinc etiam SAGA pro *lena* accipitur a grammatico *Marcello* I. 86. ubi interpretatur *virorum indagatricem ad libidinem*, quales Demostheni Empusæ sup. §. 61. quia & goetæ lenones erant. § 24.

(*t*) v. *Floerk.* de *crim. conj. spir.* p. 125.

(§. XXIV. XXXVI.). Ovidius idem de Medea Maga in Ep. Hypsipyles ad Jasonem:

Per tumulos errat passis discincta capillis,
Certaque de rapidis colligit ossa rogis.
Devovet absentes, simulacraque cerea fingit,
Et miserum tenues in jecur urget acus.

Nemo miretur apud antiquos hanc superstitionem inveniri, sed apud populos cognitione veri Numinis instructos id intolerandum videatur. Et tamen etiam auctum sacrilegio invenimus. Qui in *Liga* adversus Regem Henricum III. erant, his defixionibus licet frustra utebantur (*u*). „ Furent faites a Paris, sunt relationis citatæ verba, images „ de cire qu'ils tenoient sur l'Autel & les picquoient à chacune des „ quarante Messes, qu'ils faisoient dire durant les quarante heures „ en plusieurs paroisses de Paris, & à la quarantieme picquoient „ l'image à l'endroit du cœur disans à chaque piqûre quelque pa„ role de Magie, pour essayer à faire mourir le Roi. Aux pro„ cessions pareillement, & pour le mesme effet ils portoient certains „ cierges magiques, qu'ils appelloient par mocquerie cierges be„ nits, qu'ils faisoient esteindre au lieu, où ils alloient, renver„ sans la lumiere contre bas, disans je ne sçay quelles paroles, „ que des sorciers leur avoient aprises „ Credas te in orbem paganum delatum esse! Quæ heic missæ celebrari jubentur, ea temeritas jam a Concilio Toletano Sacerdotibus inhibita fuit, quum in ejus Cap. 7. dicitur: eos *Missam pro Requie defunctorum promulgatam pro vivis studere celebrare, ut is, pro quo id ipsum offertur sacrificium, ipsius Sacro-Sancti Libaminis interventu mortis incurrat periculum* (*x*). Subjungit, qui id pariter refert EDMUND. MERILLIUS (*y*), Sacerdotes id fecisse, dum Gothi eas partes cum Aquitania tenerent, ubi Me-

(*u*) v. Journal du regne du Roi Henri III. ad an. 1589. p. 121. edit. 1699.

(*x*) v. can. 13. C. 26. qu. 5.

(*y*) *Observ. Jur. Civ.* Lib. VIII. c. 4. p. 291. edit. Vindob. *Delrius D. M.* l. V. sect. 14. dicit eam Missam Belgis vocari *een moort-misse*.

Merillii adhuc tempore aniculæ infensiores, quibus irasceba ntur minatæ sunt, *se iis Missam curaturas*, quare opinatur vir doctus non sine ratione, Missam eas hanc defunctorum pro vivis intelligere. Idem profecto de iis, qui in *Liga*, sentiendum erit.

LXIX. Venimus ad *Fascinum*, græcis βασκανον, (z) qui habetur pro specie *obligationis*, aut *defixionis* magicæ, sed a veteribus effluvio ex oculis invidorum hominum fieri putabatur. HELIODORUS (*a*) id ita exprimit: „ Ubi aliquis livore percitus res pulcras „ intuetur, circumstantem aerem qualitate malefica replet, ac pro- „ prium spiritum acerbitatis plenum in proximum quemque contor- „ quet: Spiritus autem utpote subtilis ad spiritum usque & medullas „ ipsas pervadit, ac plerisque *morbus fit invidia*, *& proprium accepit* „ *nomen fascinationis* „. Hanc philosophiam illustrabant veteres exemplo amantium. PLUTARCHUS (*b*) inquit: „ Pulcrorum adspe- „ ctus quodque ex ipsorum oculis exit, sive id lumen sit, sive fluxus, „ amantes liquefacit, & consumit cum voluptate dolori conjuncta, „ id quod ipsi γλυκυπικρον i. e. dulce amarum vocant; neque enim „ vel ex contactu vel ex auditu contingit hominem adeo sauciari, „ atque adfici, uti si quos vel ipse adspiciat, vel ab ipsis adspicia- „ tur. „ Exornarunt eamdem ulterius poetæ, qui amantibus vim magicam adscripserunt. Unde Plinius, post commemoratum illum terrorem (§. XXXVI.) universalem a defixionibus magicis, subjicit: „ Hinc Theocriti apud Græcos Catulli, apud nos proximeque Virgi- „ lii incantamentorum amatoria imitatio „. Inde vero iterum immanis superstitio veterum, ut est superstitionis natura, quod modum unquam tenere nesciat (*c*). Varia enim contra effascinationes reme-

K

(z) Ego non vereor has voces derivare a Celtico fasچen, quod est *ligare*, *stringere*. VOSSIUS in *Etymologico* fascinare deducit a βασκανειν *invidere*, quod sit quasi φαεσι κτεινειν *oculis occidere*.

(*a*) *Æthiop.* hist. L. I.

(*b*) in *Sympos.* c. 7.

(c) His principiis usus PORPHYRIUS unde unde commenta ad Præceptoris sui PLOTINI commendationem a plebe obtinendam corradens narrat „ Olympium Ammonii di- „ scipulum ita odio in Plotinum exarsisse, „ *ut magicis incantamentis siderare eum con-* „ *tenderet*. Olympium autem suos conatus „ in seipsum reflecti persensisse, adeoque „ confessum esse, PLOTINI ANIMAM TAM

dia invexerant. Pueris ne nocerent invidi, res turpiculas a collo suspenderunt, *quæ amuleta a prohibenda fascinatione*, ait, Plutarchus l. c. *προβασκανια vocantur, putanturque adversus invidiam conferre, quod scilicet retrahatur visus per absurditatem, quominus innitatur adfectis.* Infantibus in cunis ne vel fascinum noceat, præfecerunt *Deam Cuninam* (*d*). Aniculæ suadebant ad avertendum fascinum numero impari despuere in sinum. Theocritus (*e*):

> Ὡς μη βασκανθῶ δε τρις εις εμον ἐπτυσα κολπον,
> ταυτα γαρ ἁ γραια με Κοτυτταρις ἐξεδιδαξεν.
> *Ut ne autem fasciner, ter in sinum meum despui,*
> *Hæc enim me anus Cotyttaris edocuit.*

Magi Hienæ suæ (§. XLIX.) frontis corium fascinationibus resistere dicebant; atque herbæ *satyrii* radicem (*f*). Denique his avertendis, uti ceteris malis suos deos averruncos, robigos, *αποτροπαιους*, ita *deum fascinum* attribuerunt. *Hic*, inquit Plinius (*g*), *Imperatorum quoque, non solum infantium custos, qui inter sacra romana a Vestalibus colitur, & currus triumphantium, sub his pendens, defendit* Medicus Invidiæ. Ceterum eo magis quid obnoxium fascino credebant, quo magis laudaretur. Virgilius Ecl. VII.

> *Aut si ultra placitum laudarit, baccare frontem*
> *Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro* (*h*).

LXX. Nihil magis veterum philosophiam deprimit, quam hæc de Fascino exposita; qui si adcuratissimam illam corporis animæque harmoniam perspexissent, melius ratiocinia sua instituturi erant.

„ INGENTEM HABERE POTENTIAM, ut ictus „ directos in eum statim in maleficos retorqueret. Plotinum vero mox Olympii maleficia animadvertisse, ac apud suos jactasse: „ Olympio corpus marsupiorum more contrahi, membraque inter se corporis omnia contrahi „ *Porphyr.* in *Plot. vit.* ap. Fabric. *bibl. gr.* L. IV. P. II. p. 110.

(*d*) *Lactant. div. Inst.* L. I. c. 20.

(*e*) *Idyll.* VI, 39.

(*f*) *Plin.* H. N. L. XXVI. c. 10.

(*g*) H. N. XXVIII. 4.

(*h*) cf. Vinc. Alsarii libel. *de Fascino & Invidia veterum* in Grævii Antiquit. Rom. T. XII. p. 894. J. B. Menkenii dissertatiunc. *de fascinandi vi, quam laudibus inesse crediderunt veteres.*

Hæc enim totam fascini fabulam solvit. Observaverant usu, solo obtutu & adspectu invidorum, aut aliquando ægrorum hominum quibusdam noceri. Sed simul observare potuissent id ex terrore, trepidatione animi, repræsentatione facultatis imaginativæ, non ex effluviis, nisi forte ab hominibus lue vel peste infectis, & tum non ex solis oculis sed præcipue ex aliis membris promanantibus fieri. Ceterum hæc omnia a nisu se conservandi, atque a *sensu* illo *morali* derivari (*i*). Et si verum est, *Eutelidem*, quod Plutarchus narrat, *quum sibi pulcher visus esset, propria specie captum in morbum incidisse, atque habitum bonum una cum pulcritudine perdidisse*, id non inde evenit, quod se, ut ille vult, ipsum fascinaverit, sed hunc potius effectum melancholiæ cujusdam & morbi exstitisse omnino credendum est. Quid autem si puero vegeto vetula tetrica, homo torvis oculis, quid si infantulo anus rancida occurrat? Quid si homini inimicus se in conspectum det? An non ille, cujus animus ideis rerum discernendis nondum adsuetus, radiis terriculamenti simul omnibus obruitur, in ipso systemate nervorum convulsiones patietur, hic vero, qui animæ suæ passioni non resistit, sanguinis effervescentias, animique angores sentiet? Cur non attenderunt oculis præcipue moveri posse adfectus, unde *oculorum loquela?* Ex harum observationum defectu leguntur antiquorum plures fabulæ de integris familiis (*k*) fascinantibus immo & de animalibus veneno oculorum nocentibus, uti sup. §. LXI. de Gorgone.

LXXI. Sed primam harum superstitionum in populis ethnicis sparsarum originem nobis retegit PLINIUS verbis sequentibus: „ Cur „ primum anni incipientis diem lætis precationibus invicem faustum „ ominamus? — Cur & fascinationibus adoratione peculiari oc- „ currimus? — Cur ad mentionem defunctorum testamur memo-

(*i*) MURATORIUS *della forza della fantasia* C. X. p. 139. bene carpit CL. SANTANDREUM, qui *en ses lettres au sujet de la Magie* vanissimo consilio scribit, spiritus, qui eo tempore ex corpore incantatoris exhalant, quando is homini nocere intendat, a phantasia vindicativa virtute mortifera imprægnari.

(*k*) ap. PLUTARCH. l. c. PLIN. H. N. L. VII. c. 2. GELL. *Noct. Att.* L. IX. c. 4.

„ riam eorum a nobis non sollicitari? Cur impares numeros ad „ omnia vehementiores credimus? — Cur ad primitias primorum „ omnia vetera esse dicimus, alia nova optamus? Cur sternutamen- „ tis salutamur? Quod etiam Tiberium Cæsarem tristissimum, ut „ constat, hominum in vehiculo exegisse tradunt? Et aliqui nomi- „ ne quoque consalutare religiosius putant? Quin & absentes tinni- „ tu aurium præsentire sermones de se receptum est? — Hæc in- „ stituere illi, qui omnibus negotiis, horisque interesse credebant „ deos, & ideo placatos etiam vitiis nostris reliquerunt „. Hæc non possunt de aliis institutoribus aptius intelligi, quam de Magis omnium, ut hactenus abunde demonstratum est, superstitionum auctoribus. Quod autem dictum est fascinum tribui hominibus invidis, non est id perpetuum. Nam & dæmonibus noxiis (§. XV.) & per consequens viris feminisque Goetis (§. LXVIII.) attributum invenias. Telchines παλαμναιοι a nocivo manuum opere dicti, Goetæ olim celebres (§. XLII.), quos fratres novem ex Actæonis canibus in homines versos, Rheæ comites, in varias se convertere species solitos fabulæ ferunt, proverbio locum dederunt, ut omnes fraudulenti & subdoli impostores ita nominarentur. Dio: ȣκουν αγαθον γε τι χωρει τελχις και βασκανος; *num igitur boni quid inest Telchini & invido?* Nazianzenus in epistola ad *Eustochium Sophistam*: 'ȣκ επαινω σȣ κοροπλαθȣς και τȣς Τελχινας, οις βαλλεις κακων τον ἀντιτεχνον, *non laudo tuos puparum artifices & fascinatores Telchinas, quibus parum recte adversarium impetis.* Eustathius ad *Iliad.* IX. τελχινας proverbio dici notat τȣς φθονερȣς και ψογερȣς, improbos & merita reprehensione dignos invidosque homines. Apud vulgum hodie nihil frequentius quam **verschreyen, verhexen, bezaubern.**

LXXII. Facile inde eruitur, quomodo aut quo in sensu S. Paulus quum objurgaret Galatas, vocem *Fascini* adhibere potuerit. Scribit enim Apostolus: (l) *O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati?* Per quæ verba in sensu populari non aliud voluit, quam quod ibidem alia phrasi enunciat (m): *Currebatis bene, quis vos impedivit veritati non obedire?* Quæ quidem omnia, si velle-

(l) ad *Galat.* III. 1. (m) *ib.* c. V. v. 7.

mus verba captare, ad imaginarias artes magicas redirent, quum & *defigere*, & *obligare* (§. XXXVI.) & *fascinare*, vel *impedire* per effluvia (LXIX.) idem essent quoad effectum. Sed quis tam stultus erit, qui viro sanctissimo has ideas adfingat? Immo per hanc phrasim, ineptiam, infantiam, & fatuitatem Galatarum designare voluit, quod non nisi *insensatis* fascinum adhaerere faciat. HIERONYMUS in hunc locum ita commentatur: „ DIGNE Paulo, qui etsi „ imperitus est sermone, non tamen & scientia, debemus expo- „ nere: non quod *scierit* esse fascinum, qui vulgo putatur nocere „ (§. LXIX. LXXI.), sed usus *sermone* sit *trivii*, & ut in ceteris, „ ita in hoc quoque loco verbum quotidianæ sermocinationis ad- „ sumserit. Dicitur fascinus proprie infantibus nocere, & ætati „ parvulæ, (Rationem hujus rei vid. sup. §. LXX.), & his, qui „ necdum firmo vestigio firmant gradum. Hoc utrum verum nec „ ne sit, Deus viderit. „ Quare heic S. Doctor ad providentiam Dei provocat? ideo, „ quia, ut mox addit, potest fieri, ut „ & dæmones huic peccato (superstitioni) serviant, & quos- „ cunque in Dei opere vel cœpisse vel profecisse cognoverint, „ eos a bonis operibus avertant (impediant). Pergit: „ Nunc „ illud in caussa est, quod ex opinione vulgi sumtum putamus „ exemplum, ut quomodo tenera ætas noceri dicitur fascino, sic „ etiam Galatæ in Christi fide nuper nati & nutriti lacte & so- „ lido cibo, nunc velut quodam fascinante sunt nociti „. S. CHRYSOSTOMUS acer superstitionum popularium investigator (§. XXXVII.) diserte vulgarem illam de Vetulis fascinantibus opinionem reprehendit Homil. VIII. ad *Coloss.* Porro, quid primi Christiani de fascino veterum censuerint, indicat TERTULLIANUS, ubi Virginibus officia circa oculos & aures in mentem revocat. (*n*) „ Vera, inquit, & tota & „ pura virginitas nihil magis timet, quam semetipsam; etiam fe- „ minarum oculos pati non vult, alios ipsa oculos habet. Confu- „ git ad velamen capitis, quasi ad galeam, quasi ad Clypeum,

(*n*) de *Virginib. Veland.* c. XV.

„ qui bonum suum protegat adversus ictus tentationum, adversus „ jacula scandalorum, adversus suspiciones & susurros, & aemula„ tionem, ipsum quoque livorem. Nam est aliquid etiam APUD „ ETHNICOS (§. LXIX.) timendum, quod *fascinum* vocant, (cape definitionem fascini!) INFELICIOREM LAUDIS ET GLORIÆ ENOR„ MIORIS EVENTUM. *Hoc nos interdum diabolo interpretamur* (in sensu nempe Hieronymi). *Ipsius enim est boni odium.* Interdum Deo „ deputamus, illius est enim superbiae judicium extollentis humi„ les, & deprimentis elatos. Timebit ergo Virgo sanctior vel in „ nomine fascini, hinc adversarium, inde Deum, illius lividum „ ingenium, hujus censorium lumen „.

LXXIII. His ita expositis tandem id effectum est, ut generalibus super theurgia goetiaque populorum idololatrarum observationibus subjectis historiam Magiae inter Gentiles claudere liceat. Verumenimvero denuo id menti infigendum est, totam Magiam sapientiae specie (§. IX. LIX.) (*o*) gentibus se commendasse, quum aliter ne fieri quidem posset, ut generaliter ab omnibus reciperetur. Ad quod magis firmandum id considerari debet, quod ars Magica ipsis diis adscriberetur, a Barbaris tamen potius deabus (§. XVI.) *Cestus Veneris* apud Homerum nihil aliud est, quam opus artis magicae, quo cuivis deo amor furiosus inspirari poterat. Juno eum mutuata exstinctos mariti sui amores resuscitavit; eaque fini goetis cestus hic deinceps serviit (§. XXIV.) (*p*). Venus Jasonem *incantationes* docuit (*q*). Iynx cestum Veneris Jovi offerens Junoni eas poenas luit, ut in avem mutaretur, quam inde Venus rotae quatuor radiorum adfigens artibus magicis destinavit (*r*). Apud Ovidium Juno magico actu per septem dies impedivit, ne *Alcmena* partui proxima Herculem eniteretur (*s*).

(*o*) Innuit hinc etiam SIMPLICIUS ap. *Th. Gale* ad *Jamblich.* Sect. V. c. 24. *artes magicas necessarias esse ad aperiendum id, quod deus aut non potuit, aut non voluit ad salutem hominis revelare.*

(*p*) Hunc cestum adductis auctorum locis eleganter declaravit, qui totam de Junone fabulam ex Homero germanicis edidit versibus hoc indice: die Listige Juno: & commentario docto instruxit CHR. HEINR. POSTEL. J. U. L. Hamb. 1700 8. p. 264. - 278.

(*q*) PINDAR. Pyth. Od. 4.

(*r*) v. PINDAR. & ibi *Jo. Benedicti* Notas.

(*s*) Metam. L. IX. v. 297.

— — — *dextroque a poplite lævum*
Pressa genu digitisque inter se pectine junctis
Sustinuit partus, tacita quoque carmina voce
Dixit —

PLINIUS hunc actum ab hac dea didicisse homines innuit, & etiam eo extensum, *ut hæc* (*t*) *in consiliis potestatumve fieri vetuerint majores, velut omnem actum impedientia* (*u*). PAUSANIAS (*x*) suo tempore statuas feminis sagis a Junone ad partum sustinendum subornatis positas superfuisse refert. Et quid aliud apud Homerum decantata illa *lingua deorum*, de qua tot frustranei & repetiti interpretum conatus? Certe non aliud quam lingua magica. Quum enim dii, summi magi (§. XLVIII. not. (*k*)) arte magica opus haberent, ut fatum solverent (§. XII. N. III. §. XXIII. in f.), cui adligabantur (§. LV. N. III.), profecto lingua quadam carere non poterant, qua incantationes, requisitum essentiale hujus artis, perficerent; licet & alias sermone indigerent, quum omnes haberent corpus subtile (§. LXIV.). Inde herba illa, cujus apud deos dumtaxat usitatum nomen a Magis receptum fuit deinceps (*y*), quam Mercurius Ulyssi contra summa Circes veneficia donaverat (*):

Μωλυ δε μεν καλεουσι θεοι, χαλεπον δε τ' ορυσσειν
Ανδρασι γε θνητοισι —
Moly vocant dii, difficilem autem fodi
Mortalibus —

LXXIV. Diis ita semper absque ulla hæsitatione ars magica adfingi, eamdemque ab iis edoctos esse homines (XIX. XL.) fingi poterat; sed quum nugax hæc sapientia deorum superorum inferorumque dominatrix inter homines subsistere non posset, quod hi dii

(*t*) intellige pectinatim kreuzweise digitos vel genua juncta.
(*u*) H. N. L. XXVIII. 6.
(*x*) Lib. IX. c. 11.
(*y*) PLIN. L. XXV. c. 4.

(*) Odyss. L. X. v. 305. De tota deorum lingua homerica vide POSTELLUM L. c. p. 366. -- 410. qui eandem probare conatur antiquissimam Celtarum esse linguam.

entia rationis essent, resque ipsa repugnaret, necessario deventum est ad varias ridiculas hujus sententiæ incrustationes partim ex emanationibus animæ mundanæ (§. VII §. XII. N. I.), ex qua dii innumeri subordinatione quadam procreati (§. XIV. §. LV. N. I.), unus alterum cogere posset (z), petitas, partim ex aliis imposturis & mendaciis, quibus & relligionem suam mire adjuvabant (§. XLII.), & progressum scientiarum omnium, quin culturam naturæ rationalis, qua pote, impedire studuerant homines huic arti dediti; quæ omnia late hactenus pro instituto patefacta sunt. Hæc profecto in genere de omnibus omnino gentibus idololatris adseri (a) possunt, quum apud illas omnes hucusque Magia reperta sit, quamvis in Oriente, Græcia & Latio philosophia Zoroastrea, Pythagorica & Platonica summa ingeniorum contentione exculta doctrinam magorum ad summum deduxerit apicem. Quare & nos, ne infiniti foremus, dialecticorum de d finitionibus præcepta secuti Magicam disciplinam in iis gentibus consideravimus, in quibus perfectionem suam adepta fuit, parum solliciti, quid quæque natio minus philosopha in universalibus Idololatriæ dictaminibus subsistens, vel stultius, vel impius, vel ineptius excogitarit, & ex iisdem principiis, & in eodem genere. Unde etiam *Theurgia* & *Goetia* in omni natione Magiæ litanti concipi poterit. Sic denique in omni gente ethnica *sacrificia magica* concipiemus, quæ tam arcte cum relligione connnexa sint, ut his sublatis ipsa relligio maximam partem labefactetur, quod Prætextatus Achajæ proconsul olim apud Græcos metuerat (§. XXXVIII.) Pythagoræ principiis (§. XXXI.) in Græcia diutius inhærentibus (b).

LXXV. Sicut autem cordati inter paganos viri propriam suam relligionem jure merito exsibilabant, ita & philosophi viderunt imaginaria illa arte magica ab hominibus eidem operantibus plus adhuc

---

(z) Hæc est responsio ad Lucani dubia proposita §. 110. & Porphyrii §. 19.

(a) Proclus *Theol. Platon.* L. VI. c. II. barbaram Philosophiam seu Theologiam eamdem cum græcanica existimat, mutatis nominibus.

(b) Inde ratio petenda est, cur Ill. Maffeus in rebuspublicis veteribus græcis nullas contra Magiam leges invenerit. *A. M. annich.* L. I. c. 5. n. 3. p. 42. cf. Liban. Sophistæ *declam.* XLIII.

huc incredulitatis relligioni ridiculæ addi. Jam HIPPOCRATES observaverat (§. XLV.) per eam potius *deos negari*, amplius autem deinde PLUTARCHUS in eleganti libello *de superstitione* deduxit: „*Non enim*, inquiens, *in hanc sententiam* homines venerunt, ut universum diis carere putarent, quod in cœlo, sideribus, tempestatibus, conversionibus & motibus solis circa terram, quibus dies & nox efficiuntur, aut alimentis animalium, frugumve proventibus culpandum aliquid, inordinatumve viderent, sed ridicula superstitionis opera atque affectus, verba, motus, præstigiæ, incantationes, circumcursitationes, tympanorum pulsationes (*c*), lustrationes impuræ, sordidæ castimoniæ, barbarica & injusta in templis supplicia, ac contumeliæ occasionem exhibuerunt nonnullis dicendi, præstare nullos esse deos, quam qui talia probent, iisque delectentur, adeoque sint contumeliosi, sordidi, & morosi. Nonne enim magis expediebat Gallis istis & Scythis (§. XXXII.) nunquam in mentem venisse aliquid de diis, nihilque eos de ullo numine imaginatos fuisse aut auditu percepisse, quam opinari deos esse, qui sanguine jugulatorum hominum gaudeant, idque esse perfectissimum sacrificium statuant? Nonne utilius erat Carthaginensibus &c. „. Quæ postrema verba etiam Magis adplicari debent, qui æque diis inferis sanguine humano litabant (§. XXXI. seqq.). Quid porro de scientiis? HIPPOCRATES, medicinam ab his impostoribus superstitiosam reddi (§. XLIV.), PLINIUS, ab iisdem provenire, ut herbis fides derogetur (XLIX.), CICERO (§. XLIV.), ab Haruspicibus, *Magorum fratribus* (§. LI.) totam corrumpi physiologiam conqueruntur. Astrologos, individuos Magorum Comites (§. XLVIII.), SEXTUS EMPIRICUS (*d*) injurios in vitam humanam adpellat, quod illi infinitarum superstitionum fabri rectæ rationis usum facere vetent.

L

(*c*) Eas tympanorum pulsationes intelligit *Plutarchus*, quæ fiebant ante aras, ubi pueri immolabantur, ne gemitus eorum a parentibus exaudirentur.

(*d*) L. V. adv. Matth. *init.*

LXXVI. Ex his omnibus hucuſque deductis eluxit, in quam ſcelerum, impietatis, blaſphemiæ, ſuperſtitionis, hypocriſis voraginem gentes ex neglectu veri Numinis delapſæ ſint, quomodo Idololatria ipſam rationem Magiæ Aſtrologiæque judiciariæ auxilio e ſede ſua deturbarit; quæ ex figmentis ingenii humani ſenſui reprobo relicti innumeris enata peccatorum catena easdem & a dei ſummi voluntate & a lege naturali averſas continuerit. Nos, quæ divina miſericordia eſt, veræ relligionis lumine colluſtrati, facile perſpicimus, quæ pro vera theurgia goetiaque ex ipſa illa ratione, quam gentes adeo deturparunt, habenda ſit. Quum enim rationi etiam ſine fide ſit ſatis improbabile genus humanum ſpiritus finitorum optimos maximos complecti, eadem oſtendit nobis agathodæmones exiſtere perfectiores homine, civitatis divinæ ſubditos (*e*); itaque ſi velis rationalis theurgus eſſe, eos proportionate amandos & honorandos eſſe, ut media providentiæ optima in Finitis, ſine adoratione tamen vel ſubtiliter tantum idololatrica; & cum agathodæmonibus i. e. eorum ſcopo te conſentire debere. Sique cacodæmonum, qui ſaltim rationi ſoli non repugnant (*f*), exiſtentiam & conatum obſcurandi gloriam divinam conceſſeris, intelliges profecto Goetiam, quidquid de illa dicatur, abominandam eſſe. Sed hæc toto cœlo diverſam apud gentes faciem habuerunt, quorum ſpiritus intermedii, idololatria & hominibus peſſimis gaudentes, cuncti ad cacodæmones referri debent (cf. §. XVII.). Vellem heic exſtare Chriſtiani illius librum memoratum Photio *βιβλιδαριον περι της ἐν Περσιδι Μαγικης, και τις ἡ της εὐσεβειας διαφορα, ἐν λογοις τρισι*, ubi nimirum oſtenderat, *quæ Magiæ Perſarum a pietate ſit differentia.*

LXXVII. Adparente Æterni Patris in carne humana Filio, & via generi humano ad rectæ rationis uſum per veræ relligionis manifeſtationem oſtenſa præcipuæ gentium næniæ vel penitus diſparuerunt, vel magna ex parte labefactatæ ſunt iis in populis, ad quos divina hæc ſapientia pervenit, ſalva quippe humani ingenii &

(*e*) v. Baumgart. *Ethica philoſophica* §. 391 — 394.

(*f*) cf. G. Ohm. Diſſ. *de Angelis malis ex lumine naturæ demonſtrabilibus.* Lips. 1704. 4. quatenus huc facere poteſt.

voluntatis libertate. Atque primum quidem gentibus hæc insinuata est nato Filio Dei ad ejusdem præsepe per Magos (§. LVII.) tres ex Oriente a stella per aerem terræ vicinum transeunte Bethlehemum delatos. Inde tamen Christus ipse pro Mago habitus est, quum gentibus talia videretur patrare mira, quæ ab iis semper arti magicæ adscripta sunt, dum nempe morbos sanaret, & dæmonia ejiceret, qualia eum in principe dæmoniorum (§. XLIII. XLVII. LV. N. I.) ejicere dicebant (*g*). Judæi adhucdum nugantur Cabbalæ practicæ scientia & nominis tetragrammati usu Christum miracula edidisse, turpissima & detestabili calumnia. Hinc vero, quidquid magni sibi habere videbantur, Christo opponere gentiles ausi sunt. Ergo theurgos (§. XXV.) in hanc rem dispexerant, qui singularis sanctitatis opinione cum diis superis conversari credebantur. Cujus præcipuum exemplum est inter Græcos Apollonius Tyanæus, & inter Latinos Lucius Apulejus, de quibus AUGUSTINUS *Epist.* 4. „ Apollonium „ nobis suum & Apulejum aliosque magicæ artis homines (*h*) in „ medium proferunt, quorum majora contendunt extitisse miracu„ la. Et iterum *Ep.* 5. Quis autem vel risu dignum non putet, „ quod Apollonium & Apulejum ceterosque artium magicarum pe„ ritissimos conferre Christo vel etiam præferre conantur? „ HIERONYMUS in Psalm. 81. *Non est grande facere signa; nam fecere signa in Ægypto magi contra Moysen, fecit & Apollonius, fecit & Apulejus.*

LXXVIII. Nos de utroque, quantum satis pro instituto, trademus, postquam generalem quamdam observationem inseruerimus. Quum & theurgi & goetæ ab eadem deorum catena penderent, amboque idem medium adhiberent (§. XL.), nonnunquam autem eumdem nocendi finem jactaverint (v. Platonis locum sup. in §. XIX.),

(*g*) LUC. XI. 15. MARC. III. 22. *Celsus* apud *Origenem* pariter Magum dicit. Platonici eum pro Theurgo habebant. Gentiles universim AUGUSTINO de *Concord Evang.* I. teste, *Christum nihil sensisse contra deos suos*, sed eos *potius magico ritu coluisse*, & *ope deorum suorum miracula edidisse* blaterabant. Quare, & eodem referente, fuere, qui librum *de Christi Magia* circumferrent.

(*h*) Proximus sapientia Apollonio habitus est MUSONIUS BABYLONIUS, philosophus Cynicus v. *Philostr. vit. Apoll.* L. IV. c. 35. T. I. *Opp.* p. 176.

haud mirum eſt theurgos ſæpius etiam commercii cum malis ſpiritibus & proprie noxiis (§. XV.) incuſatos fuiſſe. De eodem nocendi fine addam exemplum ex Auguſtino, qui ſimul eleganter Porphyrium convincit paganorum Spiritus omnes eſſe dæmones malos (§. LXXVI.). Hæc ſunt Augustini verba (*i*): „ Ipſam theurgiam, quam velut conciliatricem angelorum deorumque commendat (Porphyrius), apud tales poteſtates agere negare non potuit, quæ vel ipſæ invideant purgationi animæ (§. XVIII.), vel artibus ſerviant invidorum, querelam de hac re Chaldæi neſcio cujus expromens. *Conqueritur*, inquit, *vir in Chaldæa bonus, purgandæ animæ magno molimine fruſtratos ſibi eſſe ſucceſſus, quum vir ad eadem potens tactus invidia* (nota, quod hodie ſæpe inter ſuperſtitioſulos auditur) *contra-pactum* (*k*) *adjuratas ſacris precibus* (§. XXI.) *potentias alligaſſet, ne poſtulata concederent*. Ergo & ligavit ille, inquit, & iſte non ſolvit. Quo indicio dixit apparere theurgiam eſſe tam boni conficiendi quam mali & apud Deos (LXXIII.) & apud homines diſciplinam „. Subnectit ſanctus Doctor in cap. ſeq. „ Quis non videat hæc omnia fallacium dæmonum eſſe commenta, niſi eorum miſerrimus ſervus & a gratia veri Liberatoris alienus? Nam ſi hæc apud deos agerentur bonos, plus ibi utique valeret bonus purgator animæ, quam malevolus impeditor; aut ſi diis juſtis homo, pro quo agebatur, purgatione videbatur indignus, non utique ab invido territi, nec ſicut ipſe dicit, per metum valentioris numinis impediti, ſed judicio libero id negare debuerunt. Mirum eſt autem, quod benignus ille Chaldæus, qui theurgicis ſacris animam purgare cupiebat, non invenit aliquem ſuperiorem deum, qui vel plus terreret, atque ad benefaciendum cogeret territos deos, vel ab iis terrentem compeſceret, ut libere benefacerent (v. §. LXXIV.). Sic tamen theurgo bono ſacra defuerunt, quibus ipſos deos invocabat animæ purgatores prius ab illa timoris peſte purgandos. Quid enim cauſſæ eſt, cur deus potentior

(*i*) de C. D. L. X. c. 9.

(*k*) Horat. *Epod.* carm. 5. v. 71. *Ah ah ſolutus ambulat veneficæ Scientioris carmine.*

„ adhiberi poſſit, a quo terreantur, non poſſit, a quo purgentur?
„ An invenitur deus, qui exaudiat invidum, & timorem diis incutiat,
„ ne benefaciant, nec invenitur deus, qui exaudiat benevolum, & ti-
„ morem diis auferat, ut benefaciant? O theurgia præclara, o
„ animæ prædicanda purgatio! —— —— „ Videbimus in ſequentibus & Apollonium & Apulejum pro Goetis a vulgo habitos.

LXXIX. Apollonium Tyanæ Cappadociæ urbe, iisdem circiter, quibus Chriſtus, natum temporibus ex parte cognovimus §. XXII. N.III. LXI. &c.; luculenter depinxit V.C. BRUCKERUS (*l*), qui nobis hac in re otium fecit. Is Pythagoræ diſciplinam reſtituturus ad Pythagoræ exemplum iter philoſophicum inſtituit. Abiit itaque ab animalibus & vino abſtinens, diſcalceatus incedens, lineamque indutus veſtem, Ninum, ubi Damidem Ninium hominem nauci itineris ſocium adſcivit, ipſe omnium linguarum notitia inſtructus, adeo ut avium quoque & brutorum voces intelligeret (*m*). Babylonem ingreſſus Babylonis muros vidit altiſſimos, quos tamen jam devaſtatos tunc fuiſſe tradunt hiſtorici. In Indiam & Æthiopiam & ad Nili cataractas profectus vidit vincula in monte caucaſo, quibus Prometheus adfixus fuerat; in hoc itinere vidit feminam ex parte albam, ex altera nigram, venationi draconum interfuit, & lapide draconum potitus eſt. Invenit pygmæos, avem phœnicem, hirco-boves androphagos, ſciapodas, qualia olim de portentoſis Indiæ & Ægypti monſtris Cteſias hiſtoriæ Indicæ ſcriptor conſarcinavit; etiam demum arborem loquentem fecit. Satyri ſpectrum, præter illud Lamiæ (§. LXI.) depulſum vino inebriavit & manſuefecit. Sed ut omnes impoſtoris, quales magos fuiſſe oſtenſum eſt, partes expleret, Epheſi oraculorum communionem ſibi eſſe mentitus eſt, ex quo ſatis adparet, quod cum Sacerdotibus colluſerit; cognitionem medicinæ in templo Æſculapii hauſit, unde & Epheſi & alibi morborum remedia præſcripſit, & viſo Trophonio oraculo librum pythagoricum ex ſpecu fatidica retulit, qui poſtea

L 3

(*l*) In *Hiſt. Phil.* ex PHILOSTRATO.

(*m*) PACUVIUS ap. *Cicer.* de *divinat.* I. *Nam iſtis, qui linguam avium intelligunt, Plusque ex alieno jecore ſapiunt quam ex ſuo, Magis audiendum quam auſcultandum cenſeo.*

Hadriani bibliothecæ illatus eſt. Athenis eum ſacris Eleuſiniis initiare noluerunt, quod incantatoris a dæmonibus haud puri ſuſpicionem incurriſſet. Romam petiit, quum Nero ſuſpectos haberet philoſophos malarum artium, ideoque quosdam in vincula conjeciſſet, inde in Hiſpaniam conceſſerat, ubique autem populi animos ſeditione erga Neronem accendit, quod itidem ſub Domitiano, qui philoſophos ex orbe romano nuper proſcripſerat, curæ habuit. Obiit centenario proximus. Hæc & plura alia de eo in fabulam romanenſem compaginavit Philoſtratus ex *Damidis* N*inii* & *Mœragenis* relationibus. Lucianus Apollonium nonniſi impoſtorem vaferrimum & merito adpellat, gentiles autem eo gloriantes mendaciorum fraudum & contradictionum Eusebius (*n*) convincit. Philoſophiam ejus, quam diſcipulos ſuos docuit, cum Spinoziſtica convenire Bruckerus detexit.

LXXX. Lucius Apulejus Madauræ natus Philoſophus Platonicus, & poſtquam omne diſciplinarum genus Athenis didiciſſet, tempore div. Fratrum Advocatus Romanus, longam tum peregrinationem obiit ea fini, ut arcana relligionum pernoſceret. Quibus quum facultates conſumſiſſet, Æmiliæ Pudentillæ, viduæ prædiviti nupſit, unde a propinquis illius, qui bona Pudentillæ ſpe devoraverant, nunc tamen ab Apulejo marito poſſideri videbant, crimen ipſi Magiæ impactum fuit. Qua ratione olim perculſus Servilius Taurus Africæ Procos., cui quum hortis ejus Agrippina inhiaret, adcuſatorem ſubjecit Tarquitium Priſcum, qui pauca repetundarum crimina, ceterum magicas ſuperſtitiones objectaverat (*o*). Accuſatores Apuleji fuerunt Pudens ipſius privignus admodum puer, Sicinnius Æmilianus, & Herennius Rufinus, hic Pudentis ſocer, ille patruus ac tutor, argumentis his uſi: I.) quod ei viro elegantis formæ Æmilia Pudentilla duorum filiorum Pudentis & Pontiani prædefuncti mater, quatuordecim fere annis jam vidua nupſerit, ac ſi ceſtu Veneris ex ſtinctas in ea amoris flammas reſuſcitaſſet. (§. XXIV.) Cui ex communi de Magis ſuſpicione (§. XXXI. ſeqq.) Æmilianus ad-

(*n*) Lib. *adverſus Hieroclem.*

(*o*) Tac. *Annal.* XII. 59.

didit Apulejum privigni Pontiani ſui necem procuraſſe, a quo tamen accuſationis capite metu ſubſcriptionis in crimen deſtitit. 2) Quod miſer quidam Thallus morbo comitiali tam vehementer infectus, ut ter quaterve de die corrueret, aliquando ipſo forte præſente decidit; quaſi Apulejus dæmonem ipſi immitteret (§. XLIV.). 3) Quod certum genus piſcium per ſervos pretio quæſierit, ad experimenta ſcilicet naturæ, quia ipſe de piſcibus græce ſcripſit. 4) Quod quædam ſacrorum crepundia lineo texto involuta, puriſſimo, ut ipſe Apulejus ait, rebus divinis velamento, ritu ſacerdotum Iſiacorum (§. LII. not. l.) domi adſervarit, quæ forte ex itinere ægyptiaco & græco retulit (*p*). Quæ omnia quamvis per ſe ineptiſſima Apulejus doctiſſima elegantiſſimaque oratione apologetica pro integritate pudoris ſui diluit coram CLAUDIO MAXIMO Procos., licet, ut ibidem loquitur, *ipſum jam crimen fruſtrata expectatione omnium per anileis fabulas deflagraverit.*

LXXXI. Superſunt ejusdem Apuleji Metamorphoſeon Libri XI., qui non aliud ſunt, quam ludificatio & perpetua Satyra in artem magicam, ſimili fine inter ethnicos compoſiti, quo inter Gallos hodie *l'hiſtoire des imaginations de Mr. Ouſle*, & contra fabularum romanenſium auctores donquixoti liber inter Hiſpanos commendatur. Operæ pretium eſt, ut hos Apuleji libros magnam partem ex Luciano deſumtos percurramus. Curioſus artis magicæ diſcendæ fingit ſe Theſſaliam petiiſſe. Heic vero mox intelligo me declarare debere, quare Theſſaliam eligat. Hæc namque credebatur artem magicam produxiſſe, quæ ideo etiam, ut Scholiaſtes HORATII ad *Epod.* V. obſervat, *inventum theſſalum* dicebatur; ſagæque paſſim tantum *theſſalæ mulieres* Græcis & Latinis audiunt. Scholiaſtes EURIPIDIS (*q*) conſignavit Lacedæmonios ex Theſſalia magos exorciſtas (§. XLIII.)

(*p*) Adde ejus accuſatores *macilentam vel omnino eviſceratam formam diri cadaveris prorſus horribilem & larvalem* ei fabricatam ſeu ſceletum objeciſſe, quaſi id eſſet DÆMONIUM, quos tamen Apulejus ita revincit, ut oſtendat ex parva Mercurii ſtatua, quam penes ſe habuerat, per mendacium adverſariorum effictum fuiſſe ſceletum. *Opp.* p. 315. *Hoccine eſt*, ait, *quod appellitabatis, dæmonium?*

(*q*) In *Alceſt.* in fin. Citat in eam rem Plutarchum ἐν Ὁμηρικαῖς μελέταις.

(*οιτινες καθαρμοις τισι και γοητειαις τα ειδωλα επαγουσι τε και εξαγουσιν*) accersiisse, qui idolum vel spectrum Pausaniæ e templo Minervæ proturbarent. Plinius (*r*) ambiguus hæret, unde Magiæ notitiam in Thessaliam pervenisse adserat. Addit: „ Orphea putarem e pro„ pinquo primum intulisse ad vicinos usque superstitiones ac Medici„ næ profectum, si non expers sedes ejus tota Thrace Magices „ fuisset „. Mirum est eum non fuisse recordatum Medeæ uxoris Jasonis Thessaliæ regis, quam ita a suo nomine adpellavit filius ejusdem Jasonis Thessalus (*s*). Medea ex Colchide ad Pontum Euxinum oriunda, Colchi vero populus, ut olim ita hodie immanis & barbarus, origine sua ex Ægypto omnium superstitionum Sentina deductus. Itaque proculdubio saltim Medea gentilitiam artem seu hoc relligionis paganæ condimentum Thessalos in summa perfectione edocuerit. Quod deinde Plinius tradat expertem Magices Thraciam esse, magis adhuc videtur historiæ repugnare, quod Thracia nomen suum trahat a Thrace Nympha incantamentorum & veneficiorum peritissima, Saturni uxore. (*t*)

LXXXII. Venit igitur in Thessaliam philosophus platonicus, ad civitatem Hypatam, apud Milonem, sordidum fœneratorem, divertens, cujus uxor Pamphile *Maga primi nominis & omnis carminis sepulcralis magistra credebatur, quæ surculis & lapillis* (§. XXXIX.) *& id genus frivolis inhalatis omnem istam lucem mundi sideralis imis Tartari & in vetustum chaos* (§. LV. N. I.) *submergere noverit* (*u*). Heic illum quidem Byrrhena quædam primas civitatis femina, monuerat, ne fideret Pamphilæ, quæ quum *quemquam conspexerit speciosæ formæ juvenem, venustate ejus sumitur, serit blanditias, invadit Spiritum, amoris profundi pedicis æternis alligat; tum minus morigeros & viles fastidiens in saxa & in pecua & quodvis animal puncto reformat, alios vero prorsus exstinguit*. Apulejus nihilominus *formidines pueríleis* excutiens ex animo Fotidem Pamphiles famulam sibi conciliat, ut sibi, *quæ sola mortalium novit secreta, miranda heræ suæ* adaperiat, *quibus obaudiunt Manes, turban-*

(*r*) H. N. LXXX. c. 1.
(*s*) Diod. Sic. L. IV. c. 56.
(*t*) Stephan. Byzantin in Θρακη.
(*u*) *Met.* Lib. II. p. 116.

bantur sidera, coguntur numina, serviunt elementa (x). Quadam die Fotis indicat dominam suam, quod nihil etiam tunc in suos amores ceteris artibus promoveret, nocte proxima in avem sese plumaturam, atque ad suum cupitum sic devolaturam. Fotis philosopho nostro *puerile* offert *Corollarium*, ut scilicet ab omni fascino tutus esset (§. LXIX. seqq.), & sic circa primam noctis vigiliam ad superius illud cubiculum, quo in solitudinem semper abstrusa Pamphile *solebat secum hujusmodi sacra perficere, suspenso & insono vestigio* ascendit, *ubi per rimam ostiorum* videt Pamphilen in bubonem *magicis suis artibus reformatam* evolare (§. LXII.). Jam simili desiderio tentus philosophus, *externatus animi atque attonitus vigilans somniabat defrictis adeo diu pupillis, an vigilaret, scire quærebat.* Tandem reversus ad sensum præsentium rogat Fotidem, ut sibi etiam *unctulum* ex pyxide impertiretur. Illa utpote amica Apuleji diu renitebatur, ne illum deberet alitem videre; tandem expugnatur spe ea, *quod sibi domina singula monstraverit, quæ rursus possint in facies hominum tales figuras reformare. Specta*, ait, *quam parvis quamque futilibus tanta res procuretur herbulis.* ANETHI *modicum cum* LAURI *foliis immixtum rore fontano datur lavacrum & poculum. Hæc idemtidem adseverans summa cum trepidatione irrepit cubiculum, & pyxidem depromit arcula.* Hanc Apulejus amplexus ac deosculatus prius, utque prosperis faveret volatibus deprecatus, haurito plusculo uncto corporis membra perfricuit. Sed præter spem misellus loco avis fit asinus.

LXXXIII. *Ego vero*, inquit de se, *quamquam perfectus asinus & pro Lucio jumentum sensum tamen retinebam humanum.* Fotis deprecata & plangens suum errorem, quo ex similitudine pyxidum decepta fuit, ei suadet, ut sicubi posset, rosas tantum demorsicaret, quo facto pristinam speciem recuperaturus sit. Ille itaque *demussata temporali Contumelia* durissimo suo casui serviens, in stabulum Milonis ad equum suum, quo antea Thessaliam petierat, concedit. Interim Latrones adveniunt, spoliant Milonis domum, omnia diripiunt, & asinum Lucium cum reliquis jumentis evehunt. In ipso hoc itine-

M

(x) *Met.* L. III. p. 136.

re hortulum prospexit, satis amoenum, in quo *præter ceteras gratas herbulas rosæ virgines matutino rore fluebant*, ubi is Fotidis consilii memor se reformare volebat, sed, dum jam labiis undantibus adfectat, consilium capit longe salubrius, ne si rursum asino remoto prodiret in Lucium, evidens exitium inter manus latronum offenderet, *artis magicæ suspicione, vel indicii futuri criminatione.* Addit alibi (*y*) se unico isto solatio ærumnabilis deformitatis suæ recreatum fuisse, quod *auribus grandissimis præditus cuncta longule etiam dissita facillime sentiebat.* Sic asinus philosophus variis dominis venditus, multas verberum & famis injurias perpessus, vidit latronum impunitas factiones, adulteriorum, homicidiorum, libidinum non naturalium catervas, partuum enecationes, Magorum & Magarum prætensas artes, superstitiones & imposturas, sacrificulorum lucripetarum nefanda crimina, inter quæ ea eminent, quæ *lib. VIII. & IX.* de deæ Syriæ mystis commemorat, cetera vidit enormia scelera, quibus projecta ac furiosa mortalitas scatebat, Thessaliamque plenam sordidissimorum, quales Magos fuisse vidimus, hominum.

LXXXIV. Demum ab uno dominorum Cenchreas usque aufugit, ubi circa primam noctis vigiliam experrectus luna in plenilunio existente, *& fato tot tantisque suis cladibus satiato augustum specimen deæ præsentis deprecari* statuit, atque postquam se prius per maximum lavacrum septemque in mare immersiones, *quod eum numerum præcipue relligionibus aptissimum divinus ille Pythagoras prodidit*, purificasset, deam præpotentem apprecatur, ut eum conspectui suorum reddat. Medio inde *pelago venerandos diis etiam vultus attollens* emergit divina facies, ac toto dehinc corpore perlucidum simulacrum excusso pelago coram constitisse ei visum est, his superdictis: (*z*) „ En adsum tuis commota „ Luci precibus rerum natura parens, elementorum omnium domi„ na, seculorum progenies initialis, summa numinum, regina Ma„ nium, prima coelitum. —— Me primigenii Phryges Pessinunti„ cam nominant deum matrem, hinc autochthones Attici Cecro-

(*y*) *Met.* L. IX. p. 224. (*z*) *Met.* L. XI. p. 259.

„ piam Minervam, illinc fluctuantes Cyprii Paphicam Venerem, „ Cretes sagittiferi Dictynnam Dianam, Siculi trilingues Stygiam Pro- „ serpinam, Eleusinii vetustam Deam Cererem, Junonem alii, Bellonam „ alii, Hecatem isti, Rhamnusiam illi, & qui nascentis dei solis inchoan- „ tibus radiis illustrantur, Æthiopes, Ariique, priscaque doctrina „ pollentes Ægyptii cerimoniis me prorsus propriis percolentes, „ adpellant vero nomine Reginam Isidem. Adsum tuos miserata „ casus &c. „. Executioni datis illis, quæ dea jusserat, redit in hominem, ergo & a mystis Isidis magno adparatu in Collegium Pastophororum & ab Osiride adsumtus est. Idem vero Osiris, *deus deum magnorum potior & majorum summus & summorum maximus & maximorum regnator*, philosopho nostro per quietem præcepit, ut nunc incontanter gloriosa in foro Romano redderet patrocinia, *nec extimesceret malevolorum disseminationes.* Sic denique vaticinium illud eventui datum, quod de proventu suæ peregrinationis Corinthi, qui arcana fatorum stipendiis emerendis edixit, Chaldæum Diophanem sibi præsignificasse refert, *nunc gloriam satis floridam*, *nunc historiam magnam & incredundam fabulam*, *& libros facturum* (*a*). Id adhuc notari debet deam Lunam ab Apulejo his verbis invocari: „ quæ fatorum „ etiam inextricabiliter contorta retractas licia, & fortunæ tempesta- „ tes mitigas, & stellarum noxios meatus cohibes „ quibus illa tacite *maga* fata scilicet solvens (§. LXXIII.) & *Genethliaca* Porphyrii testimonio (§. XLVIII. not. *k*) convenienter declaratur.

LXXXV. Ad finem seculi post Ch. N. secundi alia quæpiam secta rursum enata est, quæ doctrinam magicam in Oriente multum adjuvit. Sunt hi ZABII, qui ex Persicæ vel Zoroastreæ relligionis reliquiis & veteri Astrolatria admixta philosophia orientali novum inter Saracenos sive Arabes theologiæ systema architectati sunt, quod ii ex traditionibus Judæorum nonnullis augentes, nomine sibi a Sabio Sethi filio ad emendicandam antiquitatem imposito exornarunt (*b*). Homines videlicet docuerunt apud Deum mediatoribus opus habere,

(*a*) Met. L. II. p. 120. (*b*) BRUCKER. *H. Ph.*

hocque officio fungi ſubſtantias immateriales, inviſibiles, itaque etiam mediatores viſibiles debere adhiberi, tales autem eſſe vel ſacella vel ſimulacra. Sacella eſſe ſeptem planetarum corpora viventia & rationalia, aſtra eſſe deos; planetarum domos, manſiones & conſtellationes eſſe obſervandas, temporibus, perſonis, & regionibus adſignandas, quibus rite obſervatis ſpiritus mediatorii conciliari, Taliſmanes fundi, juxta figuras ſingularum planetarum ſimulacra e proprio metallo conflari, & incantamenta cuivis ſideri grata perfici queant. En iterum ſyſtema Magorum proportionale! (§. XXV.) Hæc excogitata ſunt denſiſſimis ignorantiæ temporibus ante Islamiſmum, id eſt, conditam Muhammedis relligionem, quem Islamiſmi ſtatum ipſi ſcriptores Arabes ſtatui ignorantiæ, quæ prius regnaverat, opponunt. Quum tamen Muhammedis adventu nihil in eruditione populi emendaretur, quod is eſſet illiteratiſſimus, ſecta Zabiorum ultra etiam duravit. Immo Zabiis, ſicut Judæis & Chriſtianis, modo in Deum vitamque futuram credant, vitam æternam promittit Muhammedes (*c*). Quum vero Sabiorum adpellatio Arabibus ſit admodum generalis, adeo ut in Hiſtoriis ſuis Perſas veteres, Chaldæos, Aſſyrios, Græcos, Ægyptios, Indos, omnes dicant fuiſſe Sabios, antequam Judaiſmum, Chriſtianiſmum aut Muhammediſmum amplecterentur (*d*), idololatræ vero partem relligionis ſuæ maximam in Magia ponant (per demonſtrata), diſpaleſcit Sabios nonniſi priſcam gentium harum Theurgiam & Goetiam nova & ſatis ſtulta veſte induiſſe.

LXXXVI. Primi Chriſtiani libertate ingeniorum immani ſuperſtitione hactenus depreſſorum reddita facile has gentilium machinationes & fraudes perſpexerant, remque eo deducebant, ut ipſi gentiles his invigilarent, ac Imperatores frequentius in illos populorum ſeductores inquirerent, qui magiæ profeſſione fatuos ineſcabant. (*) Teſtatur id Eusebius (*e*) Seculo IV. cujus verba ex latina verſione ſunt „ homines id genus quam plurimos, qui ſingularem

(*c*) *Al Corani Cap.* II. *commate* 59.

(*d*) v. Herbelot, *Bibliotheque Orientale.*

(*) cf. Leges Impp. chriſtianor. c. I. enotatas.

(*e*) *Præp. Evang.* L. IV. c. [illegible]

„ numinis adflatum præ ſe ferrent, quos iſti præcipuos & ſacrorum „ interpretes & theologos & prophetas haberent, non ſolum antehac „ ſed nuper etiam noſtraque memoria divinæ hujus ſapientiæ nomine „ clariſſimos (ἐπι τῃ θεοσοφια ταυτῃ βοηθεντες), quum ad romana tri- „ bunalia rapti eſſent, quæſtionum vi adactos univerſum hoc frau- „ dis genus ad homines decipiendos comparatum declaraſſe, totum- „ que negotium præſtigias eſſe arte compoſitas faſſos fuiſſe. Atque „ hi omnem molitionis occultæ rationem, totamque maleficæ artis „ ludificationem verbis ipſiſſimis, quibus rem ante patefecerant, „ in acta publica retulerunt; ſicque juſtas exitialis fraudis pœnas „ luentes quidquid latebat evulgarunt — Sed quales enim iſti erant? „ Cave tu mihi abjectos, neſcio, quos & obſcuros cogites; alii quippe „ ex præclara illa nobilique philoſophia prodierant, hominum eo- „ rum ex grege, qui pallium aſſidue terunt, ac ſublato ſupercilio „ ceteroque cum faſtu inambulant (nos pythagoreos & platonicos fuiſ- ſe ex ſuperioribus conjicimus). Alii ex ipſis antiochenæ civitatis ma- „ giſtratibus ac primoribus erant, qui ſævientis in nos perſecutio- „ nis tempore noſtris ex injuriis auctoritatis plurimum ac ſplendo- „ ris quæſierunt &c. „ Concludit ex his & aliis Euſebius ad totam Gentilium relligionem & oraculorum fallaciam ac vanitatem, quæ ſingula per magiam & Aſtrologiam animata fuerunt.

LXXXVII. Atque tandem, ut in hac gentium idololatrarum athearumque cauſſa concludamus, genuinamque Patrum de his affaniis mentem ſtrictim exponamus, conſiderabant illi ſecundum ductum rationis (§. LXXVI.) theurgiam ut palliatam goetiam: utramque igitur abominabilem; theurgiam vero tamquam radicem goetiæ ex profeſſo oppugnandam ſumſerant; præ ceteris EUSEBIUS & AUGUSTINUS. Docuerunt ergo Magiam non amplius admitti, ſed *puniri poſt evangelium* (*f*); ſpiritus illos ethnicorum intermedios nihil juvare, alium quærendum eſſe purgatorem, *Jeſum Chriſtum eſſe principium, cujus incarnatione purgemur* (*g*), non teletis (§. XVIII.); hunc

M 3

(*f*) TERTULLIAN. de *Idololatr.* v. inf. §. 187.

(*g*) AUG. de C. D. L. X. c. 24.

esse mediatorem; stultum esse deos passionibus objici, immo ridiculum (*h*). Nominatim Eusebius: „ Tu deos appelles istos, qui „ vel ejusmodi figurarum, linearum, imaginumque machinis deduci, vel coronarum & florum ex terræ visceribus erutorum illecebris vel barbaris quibusdam omnique significatione carentibus sonis & vocibus inescari, adeoque abjectissimorum etiam hominum arbitrium sequi nutumque soleant, ut quibusdam quasi vinculis servorum instar mancipiorumque constricti ne integram quidem ac liberam solvendi expediendique sui potestatem retineant? Tu bonos etiam dæmones arbitreris eos, qui vi tantum ac necessitate ducantur? Quid enim caussæ est, quam ob rem inviti ac repugnantes non sua ipsi sponte hominibus auxilio suo indigentibus opem ferant? Nam si beneficii conferendi gratia tamquam boni advenirent, aut si ab iis in animum utilitatis aliquid proficisceretur, eos utique bonum illud ultro complecti, beneficiisque suis indigentium occupare vota, non vero usque dum cogerentur, expectare oporteret. Sin autem nihil omnino boni aut utilis totum istud habet, eoque præter illorum voluntatem sensumque contingit, quis deos appellet eos, qui quod nec honestum, nec utile, efficiunt? „. Non esse mediatorem nisi Christum pulcherrime docet Augustinus (*i*), dum vitam suam recolens ita ad Deum exclamat: „ Quem invenirem, qui me reconciliaret tibi? Ambiendum mihi fuit ad Angelos? Qua prece? Quibus Sacramentis? Multi conantes ad te redire neque per se ipsos valentes, sicut audio, tentaverunt hæc, & inciderunt in desiderium curiosarum visionum, & digni habiti sunt illusionibus. Elati enim te quærebant doctrinæ fastu, exserentes potius quam tundentes pectora, & adduxerunt sibi per similitudinem cordis sui conspirantes, & socias superbiæ suæ potestates aeris hujus, a quibus per potentias magicas deciperentur, quærentes mediatorem, per quem purgarentur, & non erat. Diabolus enim erat transfigurans se in Angelum lucis. Et multum illexit superbam carnem, quod carneo

---

(*h*) v. August. sup. §. 19. in f.

(*i*) *Confess.* L. X. c. 42.

„ corpore ipse non esset. —— Mediator autem inter Deum & homines „ oportebat, ut haberet aliquid simile Deo, aliquid simile hominibus, ne „ in utroque hominibus similis longe esset a Deo, aut in utroque deo similis longe esset ab hominibus, atque ita mediator non esset. „ Ex quibus & aliis pluribus, quæ Eusebius (k) & Augustinus (l) late adversus Porphyrium disputant, insimul pellucet Patres sub theurgia vi vocis & theurgiam stricte dictam (§. XVIII.) & goëtiam (§. XVII. XXVI.) complexos fuisse; eoque nomine cum illa hanc refutasse; & in hoc sensu *theurgiam* pariter *Magiæ* nomine indigitasse. Quum enim ethnici per hos deos sive inferos sive superos, id est, spiritus intermedios omnia se efficere, ac etiam salutem suam promovere posse contenderent, omnes vero hi spiritus mali dæmones a christianis haberentur, ipsi vero gentiles per eos & mala & bona irrogari posse dicerent, adeoque eosdem æquipararent (§. XVII. XXIV. LXXVIII.), patet paganos illos imprudenter Christianis tela, quibus ipsimet confoderentur, suppeditasse, totamque illorum doctrinam sibi non constare; Patres vero recte generali illo nomine stultitiam totam idololatriæque fraudes detexisse.

CAPUT III.

DE MAGIA AD CHRISTIANOS SPECIATIM TRADUCTA.

LXXXVIII.

Demonstravimus Magiam in sinu idololatriæ & ignorantiæ radices egisse, quinimmo in præcipuum relligionis gentilis fulcrum adolevisse, hoc est, ejus relligionis, quæ nihil fuerat, quam complexus

(k) In *Præparatione Evangelica.*

(l) In libris de *Civitate Dei.*

ſabularum, fraudum, ſuperſtitionum, ſcelerum in virtutes transformatorum, quibus Sacrificuli & gentium philoſophi ad plebi illudendum, ad ſuam utilitatem, ad Regum nutum abutebantur, ut adeo hæc ars eam relligionem & produxerit, & exornarit. Miſertum eſt generis humani VERBUM, quod CARO FACTUM eſt, *deſpiciens tempora ignorantiæ* (*m*), mundumque ex miſeriarum multiplicium abyſſo educere conſtituerat, & divina lege ſua illuminare. Sublimavit Chriſtus naturam humanam per Sanctiſſima Eccleſiæ ſuæ myſteria, & homines ad verum rectæ rationis, quam gentes hactenus nimis, quaſi omni conatu depreſſerant, diabolo valde adlaborante, uſum. Quum autem ipſam ſuam relligionem Sanctiſſimam non unico impetu omnibus gentibus impertire voluerit, gentes etiam non niſi per ſpiramenta temporum hujus divini beneficii participes redditæ ſunt. Atque in hoc ſenſu accipiendum, quod ſcribit Theophilus Alexandrinus (*n*): *quum idololatria Chriſti majeſtate deleta ſit, indicat & parentem ſuam artem magicam ſecum pariter diſſolutam.*

LXXXIX. Christus ipſe, divinus magiſter a ſtultis gentibus Magus habitus eſt (§. LXXVII.) (*o*). Dicebant enim Judæi, qui jam in fanaticiſmum philoſophiæ Orientalis prolapſi fuerant (§. LXV.), quando dæmonia ejecerat, eum talia inveniſſe, quibus Princeps dæmoniorum, quem vocabant *belzebub*, adeo conciliaretur, ut virtute ſua cogeret ſubalternos ſpiritus excedere (§. LXXIV.), quos meliora edocturus oſtendit ipſis, hanc eorum doctrinam cum re ipſa pugnare. Ait enim (*p*): „ Omne regnum in ſeipſum diviſum
„ deſolabitur, & domus ſupra domum cadet. Si autem & Satanas
„ in ſe ipſum diviſus eſt, quomodo ſtabit regnum ejus? Quia dicitis
„ in belzebub me ejicere dæmonia? „ Quaſi diceret, explicante GRO-

(*m*) Act. Ap. C. XVII.

(*n*) in Ep. *ad Ægypti Epiſcopos*, quam traduxit Hieronymus T. I. *Opp.* p. 570.

(*o*) Hoc vero eo minus mirandum, quod ethnici etiam cuncta, quæ occulta vi pollere videbantur, Magiæ adſcribere ſoliti ſint. Sic Plinius relligionem moſaicam vocat *magices factionem* H. N. XXX. 1. *Zoſimus* Osium Epiſcopum cordubenſem adventantem in aulam Conſtantini M. compellat *Magum Ægyptium*. Justinus Patriarcham Joſephum in Ægypto *magicas artes ſolerti ingenio percepiſſe* ait. Hiſt. philip. L. XXXVI. c. 2.

(*p*) Luc. XI. 17.

GROTIO, *sapere dæmones constat; at qui sapiunt, hoc agunt, ut res suas stabiliant, quod nisi concordia fieri non potest; non dissident igitur dæmones, quod tamen necesse esset, si alter alterum cogeret, ut vos populo persuasum vultis.* Ipsum autem hoc vult etiam verus Christi discipulus divus PAULUS, quum Timotheum monet, ut Ephesios hortetur, *ne aliter docerent neque intenderent fabulis & genealogiis interminatis* (q). Ubi per genealogias interminatas nihil aliud intelligit, quam emanationes illas ex anima mundana sub variis nominibus innumeras (r), quæ summa gentibus per tot secula Theologia & sapientia visa fuit, quæque ipsam illam doctrinam generavit, qua docebant, deum unum cogere alterum (§. LXXIV.). Timendum profecto magnopere fuerat, ne quidam ex primis Christi fidelibus generationem Filii ab æterno Patre æternam, & processionem S. Spiritus a duabus personis divinis per emanationes illas ineptas seducti contaminarent. Quumque omnis Idololatria una cum Magia ex cultu spiritum intermediorum orta sit (§. IV. XXX. XLVIII.) & inde perpetuum acciperet nutrimentum, S. PAULUS iterato Colossenses graviter (s) adhortatus est: „ „ Videte ne quis vos decipiat per philosophiam & inanem fallaciam „ secundum traditionem hominum; nemo vos seducat volens in *humi-* „ *litate & relligione angelorum*, quæ non vidit ambulans frustra infla- „ tus sensu carnis suæ; & non tenens CAPUT, ex quo totum corpus „ per nexum & conjunctiones subministratum & constructum crescit „ in augmentum Dei „. Quibus monitis consequenter primorum Christi fidelium Ephesi recens conversorum *Multi, qui antea fuerant, curiosa* (græce περίεργα (t) *sectati*) *contulerunt libros* (i. e. magicos, astrologicos, augurales, somniorum interpretationes fatidicos &c. quibus omnis delira gentium de emanationibus philosophia explanabatur)

(q) I. ad *Timoth.* I. 3. 4.

(r) cf. GUNDLINGIANA. P. XXXIII. Num. II.

(s) Ad *Coloss.* II. 8. 18. S. PETRUS ejusmodi doctrinas *doctas fabulas* adpellat II. *Petr.* I. v. 16.

(t) AUGUST. de *C. D.* L. X. 16. *Respondeant theurgi vel potius periergi. Hoc enim sunt illæ omnes artes vocabulo digniores.*

& combusserunt coram omnibus, *& computatis pretiis illorum invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium* (*u*).

LXXXX. Simplicitati nativæ cœlestis hujus doctrinæ gentes non tamen adquiescebant; atque inprimis Magi, veteres illi gentium seductores, vehementer se diviniori huic objiciebant philosophiæ. Memorantur in Actibus Apostolorum duo ejusmodi homines. Primus est vir *quidam magus pseudopropheta*, *Judæus, cui nomen erat* Bar-Jesu, quem Apostoli in Papho repererunt sibi adversantem, communi nomine Elymam vocabulo arabico *magum* significante dictum (*x*), ideo forte, quod fuerit unus ex Magis Arabiæ, quorum meminit Plinius, & ex quibus *Hippocum Arabem* nominat (*y*). Is Sergium Proconsulem a Pauli prædicatione avertere conabatur, eum itaque Paulus pro merito *omni dolo & omni fallacia plenum*, *filium diaboli*, *omnis justitiæ inimicum nominat*. Alter est Simon Samaritanus (§. LXV.) (*z*), de quo relatum est, quod se *pro virtute Dei magna* plebi commendaverit credulæ, quam in Samaria *multo tempore magiis suis dementasset*, unde patet eum fuisse goëtam; qui, ut hoc genus hominum undique auctoritatem sibi adserere tentabat, in speciem rogavit se baptizari, sed dein ausus est ipsos tentare Apostolos, quorum miracula nonnisi ridicula impietate negari posse viderat, ut sibi potestatem per manuum impositionem Spiritus Sancti gratiam elargiendi *venderent*, de qua *nequitia* correptus a Petro & vitæ malæ admonitus timens suæ conscientiæ se Apostolorum precationibus commendavit (*a*). In hoc autem uno totam Magorum nationem perspicere licet.

LXXXXI. Demonstravit Bruckerus Simonem hunc orientali Ægyptiacaque philosophia imbutum se pro principali quadam emanatione sive virtute divina substantiali venditasse, quæ demersum in materia (v. §. LV. N. III.) & a dæmonum malorum potestate cruciatum hominum genus liberatum & ad summam felicitatem reductum

---

(*u*) Act. Ap. c. XIX. v. 19.
(*x*) Act. Ap. XIII. 6. 7. 8. 10.
(*y*) H. N. L. XXV. 2. XXX. 1.
(*z*) Act. Ap. VIII. 9. 10. 11.
(*a*) *Ib.* v. 18. 19. 24.

tamquam neceſſaria ad homines ex hoc miſeriæ barathro educendos, miſſa ſit, quam ob cauſſam HELENAM virtutem divinam, recipiendæ illi principali virtuti deſtinatam ſibi conjunxerit. Sicut vero ſceleſtiſſimum hunc fuiſſe impoſtorem pallio quodam philoſophiæ uſum id oſtendit, quod Helena illa publicum fuerit proſtibulum (*b*), ita eundem goëtarum artes ex aſſe calluiſſe ſequentia, quæ in *Epitome Clementina* (*c*) narrantur, evincunt. Referunt enim ibi Nicetas & Aquila S. Clementi, ſe antea Simoni amicos nunc damnata Simonis impietate ab eo receſſiſſe „ quod cum pueri animam a ſuo corpore „ ſeparaſſet infandis quibusdam adjuramentis (ἀπορ῾ρ῾ήτοις ὁρκοις τισι), „ ſibi futuram adjutricem ad eorum, quæ ipſe vellet, repræſenta„ tionem, puero in imagine delineato, conſecratam haberet imagi„ nem in quadam interiori æde, in qua ipſe ſomnum caperet (*d*) „. Declaraverat illis Simon, quod anima defuncti non miniſtret, ſed aliquis dæmon, qui ſe animam eſſe ſimulat. Ad hoc mirati Nicetas & Aquila neque ſe amentiorem unquam ſermonem audituros ſperaſſe dicentes, quærunt, „ ſi dæmon fingit ſe animam mortui eſſe, qui„ nam erat animæ uſus, ut a corpore ſepararetur? Et qua ratione „ uno adjurato alter non adjuratus tamquam veritus obedit? „ Inſiſtunt quod illis aliquando Simon dixerit: animam completo ſuper terram tempore, quod in corpore peractura erat, ad inferos vadere, animas autem eorum, qui propria morte obierint, in inferis cuſtodiri & non facile venire permitti, (cf. ſup. §. XXVIII. ſeqq.) *ab Angelis*, quod addunt Recognitiones Clementis (*e*), *qui eis præſunt*.

LXXXXII. Deinde ibidem recenſetur Simonem extremum judicii diem de ſe futurum non credidiſſe, neque animas eſſe im-

N 2

(*b*) TERTULL. de *anima* c. 34 RECOGNIT. CLEM. lib. II. n. 12. AUGUSTIN. de *Hæres.* I.

(*c*) *Epit.* N. XXVII. XXXI. XXXII. p. 758.

(*d*) Lucidius id effertur CLEMENTIN. *Homil.* II n. 26. *dicens ſe aliquando puerum hunc ex aëre formaſſe divinis converſionibus, & imagine ejus depicta rurſus aëri redidiſſe.* Divinas converſiones ita explicat *Simon* in *Recognit. Clem.* L. II. n. 15. *aërem vertens in aquam & aquam rurſum in ſanguinem carnemque ſolidans novum hominem puerum formavi* &c.

(*e*) Lib. II. num. 13.

mortales. Sed tamen Aquila illum propriis verbis convincit. Ait: „ Cuperem a te id unum discere Simon, sive anima sit, sive dæmon „ id quod adjuratur, cujusnam tandem metu adjurationes non con„ temnit? „ Et Simon, pœnas, inquit, persoluturam se anima intelligit, si non obtemperet. Itaque resumit Aquila „ si anima adjurata „ venit, etiam judicium fiet. Si ergo animæ sunt immortales, om„ nino & judicium erit. Quamobrem si eos quoque, qui in malam „ actionem sunt adjurati, tumque non obtemperaverunt, condem„ nandos ais, quomodo tu non timuisti eos cogere, cum, qui cogun„ tur, propter contumaciam puniantur? Nam te jam non esse mul„ tatum pro iis, quæ designasti, mirum non est, cum judicium non„ dum sit, ut tu quidem pœnas des eorum, quæ coegisti, quod au„ tem coactum est, veniam accipiat, quia malo facinori adjuramen„ tum prætulerit. „ Quibus auditis ira percitus Simon mortem, nisi tacerent, minatus est. Interroganti autem Clementi, quæ mira Simon patret, addunt Nicetas, & Aquila: facit, ut statuæ ambulent, in igne se volutans non uritur, interdum volat, ex lapidibus panes facit, serpens fit, in capram transformatur, duas facies ostendit, in aurum convertitur, portas occlusas aperit, facit, ut in domo vasa sponte ferri ad ministerium videantur &c. Tu dices hæc omnia esse ficta, & in apocryphis tantum reperiri, quæ de mortalitate animæ differantur, non convenire cum philosophia Simonis. Ego vero repono discursum hunc quidem cum S. Clemente esse effictum, sed materiam substratam ex rebus ipsis & traditione non vana desumtam; nebulones ejusmodi goëticos non in una philosophiæ mansisse secta, aut cohærenter cogitasse, sed mox hoc, mox illud pro vario circumstantiarum concursu adoptasse, modo suas deceptiones implerent, modo sua dicta quacunque methodo auctoritatemque salvarent. Quod additur de miraculis Simonis, ex superioribus constat, ea semper a goetis fuisse jactata, plebemque credulam etiam sæpe assensum iis adcommodasse. Quæ omnia si combinentur, abunde elucebit, quomodo Simon, versipellis hic Circulator, *magiis suis dementarit* populos, quibus quum omnes omnino arietes verita-

ti admoverentur, recte ſcripſit IRENÆUS (*f*), quod *omnes, qui quoquomodo adulterant veritatem*, & *præconium eccleſiæ lædunt*, *Simonis Samaritani Magi diſcipuli* & *ſucceſſores ſint* (*g*).

LXXXXIII. Non potuit fieri, quin de tam inſigni impoſtore gentiles triumpharent, eumque Apoſtolis & reliquis Chriſtianis opponere molirentur, a quibus tamen ipſe pudore ſuffuſus receſſit (§. LXXXX.). JUSTINUS MARTYR (*h*) teſtatur Romæ adeſſe ſtatuam ei poſitam cum inſcriptione hac SIMONI DEO SANCTO: & TERTULLIANUS gentilibus exprobrat (*i*): *Simonem magum ſtatua* & *Inſcriptione ſancti dei inauguratis*; cum quo conſonat EUSEBIUS (*k*). ILL. MAFFEUS poſt RIGALTII, PETAVII, VALESII, PAGII conjecturas probare intendit (*l*) Juſtinum ex ignoratione latinæ linguæ SEMONEM SANCUM *deum fidium* Sabinorum, cui ſtatuam poſitam eſſe conſpexerit, confudiſſe cum Simone Mago, exque illo ſcripſiſſe reliquos Patres. Negaverant locum habere conjecturam hanc BARONIUS (*m*), HAMMONDUS (*n*), GUIL. SPENCERUS (*o*) aliique. Si, quod res eſt, dicendum ſit, ego non video, cur S. Juſtinus tam craſſæ negligentiæ arguendus ſit, qui neque ſciverit Adverſariorum ſuorum nomina, quaſi ſe cachinnis propinare voluiſſet rem ſui temporis adumbrans. Quid de Tertulliano & Euſebio dicemus? An comprobatum eſt eos ex Juſtino ſapuiſſe? Poterat igitur eſſe, quod Romani Simoni, qui ſe virtutem divinam eſſe jactaverat (§. LXXXXI.), apotheoſi quadam divinitatem tribuerint, quum certe paganorum dii heroes præſtigiis variis hunc honorem meriti eſſent, ut ſupra de Othino apud Germanos dictum (§. XVI.), atque de Apollonio Tyanæo

(*f*) *contra hæreſes* Lib. I. c. XXVIII. al. XXX.

(*g*) cf. PERTSCH diſſ. de *crimine Simoniæ*. ACTA ERUDIT. 1712. p. 181. &c.

(*h*) *Apol.* II. *pro Chriſtianis* ad Imp. Antoninum n. 26.

(*i*) *Apolog.* c. XIII.

(*k*) *Hiſt. Eccl.* L. II. c. XV. & XVI.

(*l*) *Arte mag. dileg.* n. 12. p. 33. *Arte mag. annichil.* L. III. c. 5.

(*m*) ANNAL. ad An. 44.

(*n*) diſſ. I. c. 9. *adv. Blondellum* de Epiſcop. jure.

(*o*) *Not.* ad Lib. I. Origenis cont Celſum. add. LAUR. COZZA Comment. in S. Aug. L. de *hæreſibus*. T. I. Romæ 1707. fol. ubi multa de Simone.

constat aliunde. Nec juvat Maffei effugium, non fieri probabile Judaeo homini Romae divinos honores attributos esse. Longe enim est alia ratio Simonis habenda, qui non ut Judaeus, sed ut Magus praecipuus eo honore mactatus est, magos vero illos in praecipuo honore habitos, qui ex Orientalibus plagis advenerant, quarum populi semper ex antiqua quadam traditione habebantur diviniores, ex superioribus patuit. Poterat fieri, ut Christiani deinceps statuam illam seu mavis lapidem abolerent, ut adeo hodie *Simonis Sanci* licet, nulla tamen in lapidibus *Simonis Sancti* memoria supersit (*). Cotelerius denique notat (*p*), recte a S. Irenaeo (*q*) publicam Simonis statuam secerni *ab imagine privata Simonis specie Jovis, quam Simoniani cum imagine Selenes seu Helenae facta in figuram Minervae adorabant.* (*r*)

LXXXXIV. Nihil vero magis Simonianorum ingenium exornavit, quam historiam volatus, quem occasione habiti a duce suo cum Petro congressus (§. LXXXX.) effinxerunt, cui tamen fidem apud veterum neminem conciliare poterant, quum ea dumtaxat & varie admodum in supposititiis, quorum seculum II. & III. feracissimum erat, libris legeretur, ut eam ex Patribus nemo ante Arnobium sub initium seculi IV. adoptaverit. Narratur in *Constitutionibus Apostolicis* (*s*), sublestae fidei opere, Simonem Romae e publico theatro a daemonibus, quos Sulpicius (*t*) restringit ad duos, *Hegesippus*, *Abdias* (*u*), & Patres Sextae Trullanae Synodi in alas ad Icarium modum aptatas transmutant, conscensis

---

(*) Succurrunt aliae diis adscitis factae inscriptiones. Lipsius ad Tacit. *Ann.* XII. 32. adfert talem.

CAMVLO. SANC (l. sancto)
FORTISS

Th. Gale ad Antonini *iter Britanniarum* Londin. 1709. 4. editum p. 33. in Cumbria inventam aliam.

DEO SANCTO BETALVCADRO.

(*p*) ad *Recogn. Clem* L. II. n. 9. p. 506.

(*q*) *cont. haeres.* L. I. c 20.

(*r*) Addit *Cotelerius* se id monere ob S. Augustinum, qui L. *de Haeres.* minus distincte loquatur, dicens: „Jovem se credi „volebat, Minervam vero meretricem quamdam Selenen, quam sibi sociam scelerum „fecerat, imaginesque & suam & ejusdem „meretricis discipulis suis praebebat adorandas, quas & Romae tanquam deorum simulacra auctoritate publica constituerat."

(*s*) L. VI. c. 9.

(*t*) Hist. Sacr. L. II. c. 28.

(*u*) De Abdia conf. Verf von den österr. Gel. p. 166.

quadrigis igneis, aut fabricato curru secundum Arnobium L. II. & Præfationem Arabicam Concilii Nicæni, *in altum sublatum volasse per Aerem dicentem se in cœlum ascendere, indeque suis bona suppeditaturum*; quem D. PETRUS precibus suis præcipitem dederit superatis malis illis dæmonibus; cui iterum D. PAULUM adjungunt *Sulpicius* & CYRILLUS HIEROSOLYMITANUS *Catechesi VI.* In *Recognitionibus Clementis* congressus solius Petri cum Simone & quidem Cæsareæ non Romæ instituitur, nec volatus fit mentio. Lepidum est, quod a larvato *Marcello* tamquam Petri discipulo refertur, post Neronis atque Simonis cum Petro & Paullo dialogum Simonem petiisse, ut e ligno excelsa in Campo Martio turris exstruatur, unde Angelos ad se in cœlos portandum conjurare queat. Die igitur sequenti Nero cum senatu ordine equestri & toto populo inspectans Simoni turrim laureato adscendenti adstitisse dicitur; Simon vero cœpisse volare. Interim tantisper Nero & Apostoli colloqui finguntur, atque tandem S. Petrus conjurans dæmones Simonem præcipitem agit, ita, ut is cadendo viam sacram attingeret. Videmus heic in limosis istis fontibus ultimos conatus *artis magicæ* i. e. mendaciorum hæreticorum semi-paganorum, quibus hæretici primis seculis, ut latius mox liquebit, fideles a vera Relligione avertebant, & sibi miracula adserere tentabant. Recentiores quidam ut historiolam de Simone Mago defenderent, accersivere Icarum, de quo SUETONIUS refert (*x*), eum inter Pyrrhicharum ludos, ope certe cujusdam machinæ, volatum tentasse coram Nerone, *sed primo statim conatu juxta cubiculum* (i. e. pegma illud & papilionem, in quo Nero spectator cubans aderat) *decidisse, ipsumque* Neronem *cruore respersisse.* Quanto autem satius erat! hortatu D. AUGUSTINI (*y*), qui monuerat HANC OPINIONEM *quidem esse plurimorum, sed perhibere eam esse falsam plerosque Romanorum,* profundius in fabellæ natales inquirere, & putidos fontes retegere, unde licet, non quidem nulli hauserint, & ex illis profecta quædam traditio aliis imposuerit, non tamen ullatenus veritatis indolem fabella adipisci potuit.

(*x*) in Nerone C. XII.

(*y*) Ep. LXXXVI. *ad Casulanum.*

LXXXXV. Perpendendum erat, veterem hanc fuiſſe goetarum fabulam, & ſimulationem volandi arte ſe pollere. Teſtes ſunt dii veterum, *ſummi*, quod audivimus, *magi* (§. LXXXIV. in f.), quibus nihil frequentius apud Poetas quam volatu hinc inde transferri. Et quum goetæ a diis edocti eſſent (§. XL.), quidni & ipſi hac arte debuerunt eſſe præditi? Hinc jam ABARIDI philoſopho hyperboreo (§. XVI.), licet is ante Pythagoram vixerit, ea ars tamquam Pythagoræ, qui pariter a gentilibus thaumaturgo JESU CHRISTO veri Dei filio malitioſe oppoſitus fuerat, coævo a Platonicis ſequioribus adficta fuit. Narrat enim JAMBLICHUS (z) Abarin Apollinis (i. e. Solis quem germanicæ nationes (a) coluerunt) Sacerdotem quum ad Græcos luſtrandæ a peſtilenti lue patriæ cauſſa mitteretur, ſagittam ex dei templo accepiſſe, qua per flumina, ſaltus, vias, vectus, peſtes depellere, ventos arcere & luſtrationes peragere potuerit, eademque die & Metaponti in Italia & Tauromænii in Sicilia conſpectus ferebatur. Hodiedum in imperio Suecico *Scipio Runicus* patrio ſermone Runſtaff notus eſt, cui inſidentes ſe pro lubitu volare gentiles Gothos ebuccinaſſe animadvertit RUDBECKIUS (b). Maleficas mulieres ſtriges *volaticas* eſſe dictas auctor eſt FESTUS (c). Unde niſi quod ars ipſarum volandi peritiam, quali Maga Apuleji prædita fuit (§. LXXXII.), videretur præſtare? Hinc & Simon goeta in libris Clementinis *ſæpius* ſeu *interdum volaſſe* aliquot in locis traditur. Fanaticiſmo hoc eouſque incaluit phantaſia iſtorum hominum, ut, quod fieri inſanis adſolet, ipſis aliquando mortis cauſſam præberet. Iſta de THEODOTO Montani ſocio EUSEBIUS tradit (d). „Theodotum multus rumor prodit adeo factum „amentem, ut ſeipſum erroris ſpiritu perſuaſerit in cœlos exaltari „& aſſumi atque ita in auras jactatum peſſime interiiſſe.„

LXXXXVI. Ut rem ſtringamus, animadvertendum eſt Simonem omnibus iis rebus inſtructum fuiſſe, ex quibus hucusque cuncta

---

(z) in *vit. Pythag.* n. 92.
(a) v. Ep. mea de *ritu ignis in Nat. S. Joh.* p. 31. ſeqq.
(b) *Atlant.* T. II. c. VI. p. 502.
(c) *voc. Striges.*
(d) Hiſt. eccl. V. c. 16.

ĉta gentilium deliria impia profluxiſſe deteximus. Nam & JACOBUS THOMASIUS (*e*) demonſtravit eum duo principia (§. II.) adſtruxiſſe, & ex BRUCKERO vidimus Philoſophiam eum *emanationum ex Uno* (§. VII.) probe caluiſſe. Jam ut porro progreſſum artis magicæ inter Chriſtianos ab hæreticis, qui ſub tam vetuſto gentium errore malitias abſcondere geſtiebant, procuratum diſtinĉtius rimemur, lubet prima Eccleſiæ ſecula percurrere. Simoni ſucceſſit MENANDER, qui eamdem fabulam egit, immo EUSEBIO ex IRENÆO teſte (*f*) ad *portentoſa mendacia* „aliquid etiam adjecit, ſeipſum videlicet jam eſſe dicens cœlitus ex inviſibilibus ſeculis ad ſalutem hominum miſſum ac docens, non poſſe quemquam aliter etiam angelos mundi hujus opifices vincere, niſi primum ad hoc magica experientia a ſe tradita & baptiſmate ab ipſo accepto inducatur, quem ſi qui ſortiantur, ſempiternam immortalitatem etiam in hac præſenti vita adquirant.„

LXXXXVII. A Menandro, quod idem ſcribit EUSEBIUS „(*g*), biceps & ſerpentina vis progreſſa duarum hæreſum, idque inter ſe variantium, duces conſtituit SATURNINUM ſcilicet natione Antiochenum, & BASILIDEM Alexandrinum, quorum alter per Syriam, alter per Ægyptum hæreſum Deo odibilium dogmata conſtituerunt. Saturninum Irenæus pro maxima parte eadem cum Menandro nugatum, Baſilidem vero ſecretiorum quorumdam dogmatum prætextu cogitationem in infinitum extendiſſe, & ſibi ipſi impiæ hæreſis portentoſas fabulas eſſe commentum indicat. — Subjicit autem & Irenæus duorum iſtorum temporibus vixiſſe CARPOCRATEM alterius hæreſis quam Gnoſticorum nominant parentem, & SIMONIS *præſtigias non occulte*, *ſicut ille*, ſed jam manifeſte tradendas eſſe judicarunt, ita, ut de philtris curioſitatis, quæ ab his perficiebantur, deque quibusdam ſomniorum artificibus & *aſſeſſoribus dæmonibus* (*h*), & aliis conſimilibus inductionibus

(*e*) *Origin. hiſt. phil. & eccl.* §. XXX.

(*f*) Hiſt. eccl. L. III. c. 26.

(*g*) ib. L. IV. c. 6.

(*h*) Sermo de his pariter in *Clementinis.* Et CARPOCRATIANI dicebant artem magicam palam eſſe exercendam per *dæmones paredros.* Aſſeſſores & auxiliarii hi dæmones tam diis, ut miniſtri, quam hominibus malis adſtare dicebantur. EUSEB. IV. c. 7. & ib. VALES. IRENÆUS I. 9. SALMAS. ad SPART. *Adrian.* c. 14.

„ veluti de rebus magnificis tantum non gloriarentur. Consequen-
„ ter etiam docuisse oportere eos, qui perfectionem mystagogiæ ipsorum
„ consequi velint, *quævis turpissima* operari, eo quod mundanos, sicut
„ illi dixerunt, principes (§. XIV.) alia ratione evasuri non sint, ni-
„ si per hujusmodi *arcanam operationem cunctis debita persolvantur* „.

LXXXXVIII. Habemus ergo initio Seculi II. Basilidem, Saturninum, Carpocratem, quorum omnium hæreses in Magorum scita desinebant. Et Basilides quidem *deum summum esse* dixit *nomine Abraxan*, inquit Tertull. *de præscript.* c. 46. Ab hoc *νοῦν* seu mentem esse creatam, inde verbum, infinitos dein angelos, a quibus 365. cœli, mundusque in Abraxæ honorem instituti sint. Talem Angelum fuisse Christum ab Abraxa missum. Quum autem a Basilidianis nummi quidam spargerentur, quos produxit Fulvius Ursinus, quibus inscriptum est Abrasax, Baronius (*i*) contendit deum hunc ita nominandum esse, licet alii ex Patribus aliter scribant, & Augustinus hoc modo doceat numerum 365. in eo nomine contineri, quod nempe *α* & *β* 1. & 2., *ρ* & *α* 100. & 1., *ξ* & *α* 60. & 1. *ς* 200. denotet. De iis nummis sive Gemmis Jo. Macarius, & Chifletius in *Abraxa Proteo* disquisiverunt. Sunt vero gemmæ magicæ, plebi decipiendæ confictæ, quod Magi insolita deorum nomina semper adfectarint (v. §. XLVII.). Harum inscriptio a Rainaldo Carli ita illustratur (*k*). Referunt videlicet eæ in una parte inscriptionem ΙΑΩ ΑΒΡΑCΑΞ, vel ultimum nomen simpliciter; in altera symbola varia, *Osiridi*, *Mitræ*, *Jovi* attributa. Putat igitur Vir doctus, quum Basilides fuerit ex Ægypto, hæc autem regio exteris gentibus & Arabibus scateret, Basilidem istud nomen ex Arabica lingua traxisse, ubi يبرسز *Ibrasiz* significet *eum qui non offendit*, seu *qui est bonus*, vel etiam *optimum*, بِ vero Arabicum etiam indistinctim referatur ad *i*, *a*, vel *e*, ut in Ibraim pro Abraim, vel Abram. Deinde Iao, quod ex hebraico descendit, redditur *Enti*. Unde Basilides per eam inscriptionem voluit has gemmas dicatas esse *Enti bono*, quam ejus discipuli symbolis, quæ in variis nationibus deum bonum repræsentabant, ad-

(*i*) Annal. ad An. 120.

(*k*) Com. Carli *lettera al Sign. Tartarotti nel congresso Nott.* §. 32. 33. p. 333. Romani dixissent eadem significatione: *Deo Optimo Maximo*: ut opponatur *Deo Pessimo Maximo*. §. 12. 17.

plicavere. Nec Basilidianos nullam fecisse fidem elucet ex SERENO SAMMONICO, qui conum ex ABPACAΔABP chartæ inscriptum hemitritæo depellendo valere ait, si amuletum hoc collo ægrotantis adpendatur; plane uti dein TRALLIANUS sub Justiniano florens suum *Jao Sabaoth* deprædicaverat (§. XLVII.).

LXXXXIX. Reperimus eodem seculo MARCUM, qui Valentini discipulus novam sectam condidit, *magicæ imposturæ*, ut ait IRENÆUS (*l*), *peritissimus Anaxilai Ludicra* (v. §. XVI. not. *r.*) *cum nequitia eorum, qui dicuntur Magi, commiscens.* Hic mysterium SS. Eucharistiæ a se & suis, qui præcipue mulieres erant, confici dicebat. *Pro calice enim vino mixto* (ita verba Irenæi græca ab Epiphanio conservata redduntur (*m*)) *fingens se gratias agere & in multum extendens sermonem invocationis, purpureum & rubicundum adparere facit, ut putetur ea gratia ab iis, quæ sunt super omnia, suum sanguinem stillare in illius calicem per invocationem ejus, & valde concupiscere præsentes ex illo gustare poculo, ut & in eos stillet, quæ per* MAGUM *hunc vocatur Gratia. Rursus mulieribus dans calices mixtos ipsas gratias agere jubet præsente se. Et ubi hoc factum est, ipse alium calicem multo majorem, quam est ille, in quo illa seducta* (mulier) *Eucharistiam fecit* (ηὐχαριστησε), *proferens & transfundens ita ait &c.* Denique Magi Simonis secta his placitis maximum sibi conciliabat vigorem. Quum enim ii, qui dicebantur Magi, ab ea, quam §. XXXVIII. not. q. exposui, doctrina paullatim deflecterent, atque adeo non modo *Ahoros* & *Biæothanatos* i.e. animas, quæ immaturæ & violentæ morti, sed & illas, quæ leto naturali succubuissent, se evocare pollicerentur, id ipsum sibi Simonis adseclæ vindicabant. Quæ cuncta TERTULLIANUS (*n*) recte intellectus docet, cujus inter alia hæc sunt: *Publica jam literatura est, quæ animas etiam justa ætate sopitas, etiam proba morte disjunctas, etiam promta humatione dispunctas evocaturam se ab inferum incolatu pollicetur. — — Ecce Simonis hæreticos hodie tanta præsumtio artis extollit, ut etiam prophetarum animas ab inferis movere se spondeant. Et credo, quia mendacio possunt.*

(*l*) *cont. hæres.* L. I. c. 8. & 9.

(*m*) EPIPH. hæres. XXXIV.

(*n*) de *Anima* c. 57. ubi addit rationem cur hæc tradant; *ne facile credamus animas universas ad inferos redigi, ut & judicii & resurrectionis fidem turbent.* add. sup. §. XCI. XCII.

C. Succeſſu temporis circa medium ſeculi III. Simoniani ipſi quidem deſiiſſe viſi ſunt. Origenes (*o*), ubi Simonem cum notis illis impoſtoribus Juda Galilæo & Theoda (*p*), nec non Dositheo componit, qui poſtremus ante natum Chriſtum ex Judæo Samaritanus (§. LXV.) origo Sadducæorum extitit, arbitratur ſuo tempore jam non plures quam triginta Simonis ſectatores toto in orbe ſupereſſe. Interim tamen ſemina doctrinæ magicæ non interierunt. Facit idem Origenes (*q*) mentionem hæreticorum *Ophianorum*, qui ſeptem principales Spiritus, cœli Janitores, conſtituerunt, precumque formulas, quibus hos ſub certis nominibus invocarent, commenti ſunt. Sed addit: „ Sciendum tamen, quod, qui hæc compoſuerunt, neque Magiam callentes, neque Sacras Scripturas dignoſcentes commiſcuerunt omnia; ex Magia *Jaldabaoth*, *Aſtophæum*, *Horæum*, ex hebraicis Scripturis *Jaoja*, quem hebræi nominant *Sabaoth*, *Adonæum*, *Eloæum*, quæ de ſcripturis deſumta nomina ſunt ipſius unius Dei „. Inde vero Manichæi exſurrexerant, qui jam non una aliqua hæreſi contenti omnium ſectarum virus in ſe derivarunt, de quibus vere Leo M. ſeverus eorum caſtigator (*r*): „ Quod in paganis profanum, quod in Judæis carnalibus cœcum, „ quod in ſecretis magicæ artis illicitum, quod denique in omnibus „ hæreſibus ſacrilegum aut blaſphemum eſt, hoc in iſtos quaſi in „ ſentinam quamdam cum omnium ſordium concretione confluxit „. (*s*) Palpamus nunc ab omnibus hæreticis impoſturas veterum Magorum conquiſitas eſſe. Sed ne ignoremus, quomodo illi de certitudine artis magicæ diſcipulos ſuos convicerint, vetat auctor Operis illius, quod ſeculo III. ex nugis a ſemichriſtiana philoſophia & hæreſi præcipue Ebionitica profectis compilatum *Clementina* inſcribitur. Is igitur, ut græcum textum omittam, Clementem cum Appione loquentem inducit (*t*). Clemens elegantiſſimæ mulieris amore captus a Veteratore quodam ſibi promiſſum eſſe refert, quod is artibus magicis ef-

---

(*o*) *Cont. Celſum* L. I. n. 57.

(*p*) v. Act. Ap. V. 36. 37.

(*q*) *Cont. Celſ.* L. VI.

(*r*) Serm. V. *de jejunio.*

(*s*) cf. pariatorem L. L. Moſaic. & roman. Tit. XV. *de mathematicis & Manichæis:* quorum duorum nominum conjunctio alias mira videri poſſet. Epiphanius *hær.* LXVI. teſtatur Manichæos dæmonas invocaſſe & adoraſſe.

(*t*) *Homil.* V. §. 5. 6. p. 656.

fecturus sit, ut intra septem dies mulieris compos fiat. Subdubitans Clemens ait: „ ignosce mihi *non penitus credenti Magiam existere.* Multos quippe jam expertus sum multa pollicitos ac mentitos. Attamen movet me ac in spem adducit promissio tua. Vereor autem, dum cogito forte dæmones interdum Magis ad mandata non obedire. Respondet Appion: mihi concede, ut hæc plus quam tu cognoscam. Ne tamen nihil videaris ex me audivisse de eo, quod dixisti, dicam, qua ratione cogantur dæmones obsequi mandatis Magorum. Nam sicut fieri non potest, ut miles duci contradicat, & sicut ipsi duces non possunt Imperatori non obtemperare (si quis enim propositis resistat omnino pœnas solvet), ita fieri nequit, ut dæmones Angelis ducibus suis non subserviant, per quos adjurati cedunt trementes, ut qui bene noverint se, si discesserint, omnino puniendos. Ipsi quoque Angeli per Deum a Magis adjurati obediunt, ne inobsequentiæ rei pereant. Nisi enim cuncta anima & ratione prædita justitiam Numinis præviderent, oriretur confusio, omnibus nempe mutua seditione laborantibus „. Ita tenebriones hi tradita gentilium cum christianorum dogmatibus commiscuerunt (*u*).

CI. Innotuit ex his, quo modo in primæva CHRISTI Ecclesia plebs a paganismo recens conversa in gentilium placitis de arte magica per subnascentes hæreses pedetentim detineri & confirmari potuerit. Dispiciemus nunc, quæ Imperatores & Præsules Christiani impiis his nugis opposuerint. Atque heic statim se offert omnium Conciliorum, quorum supersunt acta, post Apostolorum tempora antiquissimum, nempe ILLIBERITANUM, quod in Illiberi civitate Betycæ in Hispania juxta Granatam provinciæ celebratum est ante Nicænum, sub Constantii & Galerii Imperio, quodque BARONIUS

(*u*) Adcommodate PORPHYRIUS *de vita Plotini* c. 16. versus finem Seculi III. scribit: *Erant Christiani eo tempore multi tum alii tum ex antiqua philosophia egressi hæretici* ADELPHII, ACYLINIQUE *sectatores, qui* ALEXANDRINI LIBYCI, PHILOCOMI, DEMOSTRATI. LYDI *plurimos libros circumferebant & revelationes quasdam* ZOROASTRIS, ZOSTRIANI, NICOTHEI, ALLOGENIS, MESI *aliorumque ejusmodi palam ostendentes & deceperunt multos, & ipsi decepti jam fuerant.* In FABR. *Bibl. græc.* L. IV, c. 26. p. 118.

ad An. CCCV. refert. Censebat illud necessarium esse publice gravissimas pœnas in eos statuere, qui hujus erroris vestigiis inhærerent. Duo præcipue ejus Canones huc pertinent. Canon VI. ita habet: „ Si quis maleficio interficiat alterum, eo quod sine idololatria perficere scelus non potuit, nec in fine impertiendam esse illi communionem „. Canon LXII. „ Si augur aut pantomimi credere voluerint, placuit, ut prius artibus suis renuntient, & tunc demum suscipiantur, ita ut ulterius non revertantur. Quod si facere contra interdictum tentaverint, projiciantur ab Ecclesia „. Non fuit hactenus satis intellectum, quæ concilii gravissimi mens in his canonibus condendis fuerit. Ivo (*x*) & Burchardus (*y*) in transscribendo primo Canone substituerunt vocem *veneficio* in locum vocis *maleficio*. Hæc substitutio male habet Ferdinandum Mendozam in doctissimo ad id Concilium Commentario (*z*). Garcias Loaysa maluit ex alio codice legere *per malitiam*. Sed salva res est. Constat ex superioribus *Magiam*, *maleficium*, *veneficium* idem esse. Mentem vero Concilii ita interpretari debemus, ut generaliter omnem Magiam, quod ex Can. LXII. confirmatur, & præcipuum ejus præceptum aut secretum, id est, adhibitam in Sacrificio magico *interfectionem hominum*, quod ea sine idololatria non perageretur, Christianis interdicat, & duplex hoc scelus omnimoda etiam Sacrosancti Corporis privatione puniat. In posteriore Canone Mendoza loco *auguris* legit *aurigam* cum emendatioribus, ut ait, codicibus (*a*). Sunt aurigæ, quales in L. ult. C. J. de Malef. vocantur *agitatores*, i. e. illi, qui in agonibus equis certabant, quique se artibus Magicis sæpe victoriam & metam obtinuisse dicebant equos aliorum simul currentes in cursu sistendo, quos irrisit supra Philostratus (§. XXIV.). Nobis ad finem concilii expiscandum indifferens est hæc vocis controversia. *Sed & Auguria vel auspicia sive somnia vel divinationes quælibet secundum morem Gentilium* damnantur in Concilio Ancyrano An. CCCXIV.

CII. Constantinus M. postquam ad fidem se catholicam converterat, nihil prius aut antiquius habuisse videtur, quam infan-

(*x*) P. X. c. 145.

(*y*) L. VI. decret. c. 26.

(*z*) Prodiit is cum Loaysæ & Gundisalvi Tellez additionibus Lugd. 1665. f.

(*a*) Et conciliis Arelatensibus I. & II. quæ *agitatores* cum *theatricis* jungunt.

das paganorum superstitiones evertere. Verum lente admodum res processit, quod ea in publica corruptione parum efficere potuerit, ut adeo leges prius quam post octo conversionis suae annos de his latae non reperiantur. Quum haruspicinam, Magiae ramum insignem, quae tantas in Gentilium animis radices egerat, ut ii conquererentur, novam Christianorum relligionem caussam esse omnium, quae Romani paterentur, malorum, & *ob haec maxime*, ut ait OROSIUS L. VI. c. 15. *quod extis vaticiniisque cessantibus futurae clades, quia praesciri nequeunt, non vitantur*, penitus abolere non posset, haruspicinam eatenus saltim inhibuit, ut sacrificia domestica & privata divinationi exercendae vetaret, poena ignis haruspici, consultori bonorum ademtionis & exilii mulcta intentata, sed tamen publica permitteret, ut vel publicus pudor eos a scelestis retineret moribus. Ea de re duae ejusdem anni CCCXIX. constitutiones exstant, scil. Lex I. & II. *C. Th.* de mal. & math., e quibus interpolata est L. III. *C. J.* eod., quae erronee subscriptum praefert annum CCCXII. omittitque etiam verba finalia legis I. cit. *superstitioni enim suae servire cupientes potuerunt publice ritum proprium exercere.* Procedente tamen tempore divinandi curiositas prohibita est haruspicina penitus a Constantino sublata, teste scriptore vitae Constantini, & aliis. Sunt enim Haruspices *magorum fratres* (§. LI. LXXV.). Immo JUVENALIS Sat VI. v. 552. haruspices & *Armenios* & *Comagenos* inducit rimantes *interdum exta pueri*, scil. utero exsecti. Deinde filiis suis CRISPO & CONSTANTIO COSS. a BASSO P. U. an. CCCXXI consultus, quomodo homines Magorum nomine noti tractandi essent, an indiscriminatim poenis olim statutis (*b*) subjiciendi forent, rescripsit Aquilejae d. 23. Maji: *Scientiam* (est haec lex IV. C. J. l. III. C. Th. de malef.) eorum qui contra hominum salutem, aut, quae hanc continet, pudicitiam, *moliti detegentur* (nota *magos moliri* h. l. & l. 5. seq. Conf. inf. §. CX.), *severissimis* illis *le-*

(*b*) Poena magorum erat exustio, quam exposui §. 38. not. *u. Conscios artis magicae*, i. e. qui sciebant alios artem exercere, nec impediebant, nec revelabant, *summo supplicio adfici placuit, id est, bestiis objici aut cruci suffigi*, ait PAUL. *Recept. sent.* l. V. tit. 23. n. 17. Sola scientia prohibita erat *ibid.* n. 18. Nam & discere & docere capitale est l. 8. *C. J. de malef.* TERT. *de idolol.* c. 9. AM. MARCELL. L. 26. c. 3. scribit eum qui filium mago erudiendum dederat, capite punitum esse, uti & adolescentem, qui librum magicum descripserat l. 28. Ita eo de crimine transigere nefas. cf. nos inf. §. CXLIV.

gibus vindicandam esse, quæ scientia Hieronymo *parens idololatriæ*, Tertulliano *secunda idololatria* dicitur; ceterum *nullis criminalibus implicanda* esse ab iisdem aut aliis curationi corporum adplicata *remedia*, *aut agrestibus locis* (in pagis) *innocenter adhibita suffragia*, *ne maturis vindemiis imbres metuerentur*, *aut* eæ *ventis grandinisque lapidatione quaterentur*, quæ verba procul dubio erant fere ipsius porrecti a Basso libelli. Criminantur eam ob rem Constantinum, quasi in hoc loco vestigium ipse superstitionis gentilis animo hærere prodiderit. Sed facile absolvitur, si perpendamus Constantinum in medio hominum gentilitatis erroribus immersorum conversatum eos non potuisse, nec debuisse ad omnem una lege revocare frugem. Non igitur probat hanc stoliditatem, quemadmodum nec extispicinam, licet eam in publica luce tractari concederet, adprobavit, verum externæ in republica saluti prospiciens opinioni populari, quum aliter non posset, frena laxavit (*c*). Sed hæc ex Theurgorum & Goetarum promissionibus, quibus modo bona modo mala minabantur, originem traxit, nihilque nisi vana superstitio est. Itaque quod ecclesiæ intererat, jubebantur *Sacerdotes admonere fideles populos, ut noverint magicas artes incantationesque quibuslibet infirmitatibus nihil remedii posse conferre* (*d*). BARTOLUS haud inepte eam legem in *foro civili* obtinere posse tradidit, in conscientiæ foro non æque.

CIII. Porro CONSTANTII A. & JULIANI C. prima a. 357. cura fuit, *haruspices*, *mathematicos*, *augures*, *chaldæos*, aut *magos* consulendi curiositatem sub gladii pœna vetare (*e*). Hinc illud edictum ad populum, quod nos primi explicavimus, alterum denique in sepulcri violatores evulgare. v. sup. §. 38. Constantii frater patruelis, ejus primum imperii consors, deinde & an. CCCLXI. successor JULIANUS, quum adolescens Byzantii, Nicomediæ & Athenis a MARDONIO SCYTHA eunucho matris suæ, LIBANIO rhetore, MAXIMO EPHESIO philosopho & aliis JAMBLICHI sæpissime allegati discipulis erudiretur, jam vivo patre suo paganica sacra colere, &, ut ait MARCELLINUS, *Mercurio occulte supplicare* cœpit fingendo interim se *cultui christiano adhærere*, sed mortuo eo, *plane absolutis de-*

(*c*) cf. nos inf. L. II. §. XXXVIII. cf. EUS. *præp. ev.* l. III. Constantino coævus.

(*d*) v. GRAT. can. 15. c. XXVI. q. 7.

(*e*) v. L. 4. C. *Th.* & L. 5. C. *J.* de malef.

decretis aperiri templa, arisque hostias admoveri, & reparari deorum statuit cultum, apostata inde cognominatus, de quo quædam notanda sunt. Maximus Ephesius, qui ob magicas artes atque imposturas postea est a Valentiniano Imp. capitis supplicio multatus, Julianum eam impietatem edocuit, ut NAZIANZENUS (*f*), qui Julianum nostrum Athenis viserat, ait, ὁση τε περι ἀστρονομιαν και τας γενεσεις και φαντασιαν προγνωσεος τερατευεται και την ἑπομενην τουτοις γοητικην, *quæ & in astronomia, & natalitiis & specie divinationis ludificatur, horumque comitem Goetiam.* Hunc autem philosophum quanti semper fecerit, epistolæ ad eum honorificis verbis ab Imperatore conscriptæ declarant. Credo facile, quod in hac accusatione Patres goetiam pro theurgia sumserint, quum revera idem sit (§. LXXXVII.), Julianus vero apud ethnicos scriptores pro theurgo habeatur. LIBANIUS in ejusdem *oratione parentali* deorum familiarem fuisse ridiculis verbis deprædicat: „ Quis tot jejunia cum voluptate, ut cum diis versari posset, instituit? Id itaque, quod Poetæ fingere solent, revera ei obtigit, comamque ejus *eorum aliquis*, qui cœlitus descendunt, *tetigit*, & postquam ultro citroque verba quædam essent permutata, abivit. Et reliquas quidem ejus cum diis conversationes commemorare nimis esset prolixum; in Casium vero montem ad Jovem Casium, cum circa ipsam meridiem ascendisset, vidit Deum, eoque viso sese erexit, & monitum ab eo accepit, cujus ope denuo sibi structas insidias evitavit „. Discimus vero ex ipso JULIANO (*g*) eum statuisse primarium quemdam deum, qui Νοητον & archetypum solem ediderit, cujus imago sit solaris globus, deus in sensibilibus.

CIV. Ceterum non est mirandum talia de Juliani congressibus cum diis memorari. Præter Platonem ille Pythagoram venerabatur, narratque Socrates (*h*) eum Pythagorea quadam μετεμψυχωσει se Alexandrum credidisse. *At enim pythagoricos mirari oppido solitos, si quis se negaret unquam vidisse dæmonem* (§. LVI.). *satis, ut reor, idoneus auctor est Aristoteles* (*i*). Quia igitur homo spurcissimus nugis his impiis se totum dederat, adeo ut Christianam relligionem (*k*)

P

(*f*) Orat. I *in Julian.* add. CHRYSOST. *de S. Babyla.* CYRILLUS L. VI. *contra Julian.*

(*g*) Orat. in *Regem Solem.*

(*h*) In *Hist. Eccles.*

(*i*) Sunt hæc verba Apuleji *de deo Socratis* p. 53.

(*k*) In *Misopogone.*

'αϑεοληλα adpellet, facile adcommodanda fides Libanio, qui ipſum nocturna ſacrificia a Conſtantio (*l*) abolita revexiſſe diſerte teſtatur (*m*). Jovianus, qui Juliano ſucceſſit, etſi fervens chriſtianus, nihilominus ἐϑελοϑρησκειαν ſeu pagani cultus libertatem, rerum neceſſitati cedere coactus, invexit, quo nomine a Themistio (*n*) multis commendatur. Valentinianus ſenior pariter inter relligionum diverſitates medius legibus *in exordio imperii* ſui datis unicuique, *quod animo imbibiſſet, colendi liberam facultatem* dedit, ut totidem verbis ipſe profitetur (*o*). *Nocturna* tamen *ſacrificia & nefarias* ea comitantes *preces*, quin ipſos *magicos adparatus* graviter inhibuit a. CCCLXIV. (*p*). Jac. Gothofredus ut hanc pluresve alias explicaret leges, latam ſacrificia inter nocturna & diurna diſtinctionem facit. Vane omnino. Nos enim & certis principiis & exemplis adſtruximus, ſacrificia quæ noctu tantum peragebantur, magica fuiſſe. Sed præterea notavimus §. XXXVIII. Valentinianum monente Prætextato Achajæ proconſule vitam propemodum Græcis omnibus adimi, ſi caſtiſſimi myſteriorum ritus delerentur, animum ab ea lege revocaſſe. A. CCCLXXI. haruſpicinam ceterasque a Majoribus paganis conceſſas relligiones, puta *hariolorum*, *augurum*, & id genus ſe minime ſecundum ſuas imperii exordio datas leges reprehendere ait, nec *haruſpicinam ullum cum maleficiorum cauſſis habere conſortium*, id eſt, ſe haruſpices haudquaquam Goetarum pœnæ ſubjicere, ea tamen cautione, ut ne *nocenter exerceatur* (*q*). Rationem hujus legis facile conjicies ex §. CII. Valentem Valentiniano in imperio conſortem relligionis cujuscunque amplectendæ liberam pariter feciſſe poteſtatem ſcribunt Theodoretus & Themistius (*r*). Commiſſus ei fuerat Oriens. Quum itaque Antiochiæ mathematici quidam, ſeu ut Marcellinus ait, *fatorum per genituras interpretes* (*s*) de futuro Valentis ſucceſſore inquirerent, publice is & privatim die noctuve peragi eum tractatum ſimilesque alios mathematico & doctori & conſultori & diſ-

---

(*l*) L. 5. C. *Th.* de paganis.

(*m*) Orat. *in Juliani necem.*

(*n*) Orat. XII. quæ ὑπατικος inſcribitur. Adde Symmachum in *relat. ad Valentinianum Junior.*

(*o*) in L. 9. C. *Th.* de malef.

(*p*) in L. 7. C. *Th.* de malef.

(*q*) L. cit. 9. C. *Th.* eod.

(*r*) Ille in *hiſt. eccl.* L. V. c. 20. hic in *Oratione*, quæ a *Duditio Epiſcopo* tantum latine edita eſt.

(*s*) Gellius l. I. c. 9. *Vulgus, quos gentilitio vocabulo Chaldæos dicere oportet, Mathematicos dicit.*

cipulo per Orientem capitali pœna prohibuit in L. VIII. *C. Th.* de malef. Cujus poſtrema verba legem VIII. *C. Juſt. eod.* conſtituunt, cui tamen perperam adſcriptus eſt annus 365. Etenim oſtendit GOTHOFREDUS eam legem ad MODESTUM P. P. miſſam nonniſi anno 370. edi potuiſſe, quod Modeſtus eo demum anno præfecturam gerere cœperit. Alia profecto occaſione eam fuiſſe legem dictam concipi haud poteſt, quam ſub illum jam alibi deſcriptum (§. LII.) mathematicorum tractatum, quem præter Ammianum eccleſiaſticæ hiſtoriæ Scriptores memorant, quo ſcilicet gentiles principis Chriſtiani pertæſi ſuarum viciſſim partium Imperatorem avidius expetentes imperaturi poſt Valentem nomen explorare moliebantur. GRATIANUM denique iisdem Valentiniani & Valentis veſtigiis inhæſiſſe exſequitur Gothofredus.

CV. Interim Synodus Laodiceæ urbe Phrygiæ Pacatianæ ex celebriorum Criticorum ſententia An. CCCLXIII. habita Magiæ opinionem & ejus fontes in ſpirituum intermediorum cultu eradicare intendit. Cavit enim Can. XXXV. ſeu CXXXVIII. ſecundum collectionem & interpretationem DIONYSII EXIGUI: „ Quod non „ oporteat Chriſtianos Eccleſiam Dei relinquere & ire atque ange- „ los nominare, congregationes facere, quæ interdicta noſcuntur. „ Si quis igitur inventus fuerit huic occultæ Idololatriæ ſerviens, „ ſit anathema, quia derelinquit Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum „ Filium Dei, & ſe Idololatriæ tradidit „. Sic legit THEODORETUS, cujus verba ad exſcriptum ſupra (§. LXXXIX.) S. PAULI locum ſic habent. „ *Qui legem defendebant* (intellige Judæos cabbaliſtas §. LXV. LXVI.) *etiam ad angelos colendos inducebant*, di- „ centes legem per eos datam. Manſit autem hoc vitium in Phry- „ gia & Piſidia. Quocirca Synodus quoque hæc convenit Laodi- „ ceæ, quæ eſt Phrygiæ metropolis, legeque prohibuit, ne preca- „ rentur angelos, & ne relinquerent Dominum noſtrum Jeſum Chri- „ ſtum „. Addidit Synodus in Can. XXXVI. quem inſeruit Gratianus (*t*): *Non oportere ſacris officiis deditos, vel Clericos, Magos, aut*

(*t*) can. 4. C. XXVI. q. 5.

incantatores existere, *aut facere Phylacteria* (i. e. amuleta), *quæ animarum suarum vincula probantur*, *eos autem*, *qui talibus rebus utuntur*, *projici se ab Ecclesia jussisse*. Quid porro Theodosius M.? Is complanatæ ab antecessoribus suis viæ insistens omni denique quocunque nomine veniret cultu, cunctisque deorum cerimoniis personis omnibus & locis per universum Orientem interdixit a. CCCXCII. (*u*), atque ita jam non minus *turis*, το λιβανωτον, quam *sacrificiorum* usum, το θυειν (*x*), quæ adhuc antea permiserat (*y*), penitus inhibuit. Memorabilia inprimis in ea lege hæc sunt verba: „ Quod si quispiam „ immolare hostiam sacrificaturus audebit, aut spirantia exta consule- „ re, ad exemplum majestatis reus licita cunctis accusatione delatus „ excipiat sententiam competentem, etiamsi nihil contra salutem prin- „ cipum aut de salute quæsierit; sufficit enim ad criminis molem na- „ turæ ipsius leges velle rescindere, illicita perscrutari, occulta re- „ cludere, interdicta tentare, finem quærere salutis alienæ, spem „ alicui interitus polliceri „. Mirabitur, qui nostra perlegit, quam pulcre heic Theodosius artem magicam depingat.

CVI. Aliquot annis ante nempe an. CCCLXXXIX. Valentinianus *junior*, Theod. & Arcad. per occidentem jusserant (*), ut *quicunque maleficiorum labe pollutum audierit, deprehenderit, illico* judicio *communem salutis hostem* sistat. Subdunt: *Quod si quisquam ex agitatoribus*, *id est, aurigis* (§. CI. inf.) *seu ex quodlibet alio genere hominum contra hoc interdictum venire tentaverit, aut clandestinis suppliciis etiam manifestum reum maleficæ artis oppresserit*, *ultimum supplicium non evadat*. Ex quibus verbis adparet, quod cives romani sibi ipsis jus dixerint, & scurras illos magos confecerint, partim sibi & suis prolibus perversis suasionibus, partim vitæ insidiantes. Ad finem Seculi IV., de quo hactenus a §. CI., rejeci ego Canonem celeberrimum, qui ab aliis Concilio Ancyrano, ab aliis Damaso Papæ tribuitur, a quibusdam vero vel ex legibus Francorum, vel ex aliquo suppositio S. Augustini libro excerptus dicitur (*z*). Quidquid sit, monstrat is evidentissime, quomodo S.

(*u*) L. 12. *C. Th.* de pag. sacrif.
(*x*) Libanius orat. *de templis*.
(*y*) L. 7. 8. 9. *C. Th.* de pagan. sacrific.
(*) L. 11. *C. Th.* & L. 9. *C. Just. de malef.*
(*z*) v. Tartar. *Congress.* L. I. c. 5. §. 11. L. III. c. 8. §. 3.

Mater Ecclesia se superstitionibus in fidelem populum intrudentibus semper magno zelo opposuerit. Relatus is fuit primum a REGINONE (*a*) initio Seculi X., deinde a BURCHARDO WORMATIENSI (*b*), tum ab IVONE (*c*), & demum a GRATIANO (*d*). Ex eodem refutat fabulas similes in Anglia Seculo XII. vigentes JOANNES SARISBURIENSIS (*e*) Episcopus Carnotensis. Repetitus est a S. ANTONINO (*f*), & CONCILIO PROVINCIALI *Treviris* a. MCCCX. celebrato (*g*). Ita vero infit: „ Episcopi, eorumque ministri omnibus modis elaborare studeant, ut perniciosam & a diabolo inventam sortilegam & magicam artem ex parochiis suis penitus eradicent; & si aliquem virum aut mulierem hujuscemodi sceleris sectatorem invenerint, turpiter dehonestatum de parochiis suis ejiciant. Ait enim Apostolus: hæreticum hominem post primam & secundam correptionem devita &c. Subversi sunt, & a diabolo captivi tenentur, qui relicto Creatore suo diaboli suffragia quærunt, & ideo a tali peste debet mundari Sancta Ecclesia. Illud etiam non est omittendum, quod quædam sceleratæ mulieres retro post Satanam conversæ, dæmonum illusionibus & phantasmatibus seductæ, credunt & profitentur se nocturnis horis cum DIANA Dea paganorum, vel cum HERODIADE, & *innumera multitudine mulierum* equitare super quasdam bestias & multarum terrarum spatia intempestæ noctis silentio pertransire, ejusque jussionibus velut dominæ obedire & certis noctibus ad ejus servitium evocari. Porro Canon addiderat: *innumeram multitudinem hac falsa opinione deceptam esse, & errore paganorum* involvi, itaque admonendam plebem hæc esse omnia phantasiæ per diabolum, qui eas mulieres per infidelitatem subjugaverit, delusæ; si quis vero id revera credat contingere, fidem hunc catholicam perdidisse &c. „

CVII. Quid umquam sapientius, quid historiæ convenientius dici poterat? Quis non videat hæc omnia impia fuisse corolla-

(*a*) *Collect.* L. II. c. 364.
(*b*) Lib. X. c. 1.
(*c*) Part. XI. c. 30.
(*d*) Can. 12. C. XXVI. q. 5.
(*e*) *de nugis Curialium* L. II. c. 17.
(*f*) *Hist.* tit. II. c. 4. §. 6.
(*g*) ap. MARTENE *Anecdot.* T. IV. col. 257.

ria ex gentilium traditis C. I. & II. expoſitis, quibus ſi Chriſtiani per easdem ſtultas opiniones adſimilentur, quidni fides vera perdatur? Sed video me eſſe coactum hujus Canonis ſenſum uberius exponere, quod is hodienum ad ſuas a quoque opiniunculas detorqueatur. Primo loco animadvertendum hoc in Canone, qui numquam in ſua tota ſerie & connexione prælucente hiſtoria expenſus fuit, totam artem magicam, i. e. colluviem hanc omnium fœditatum ſuperſtitionum, & deliriorum ingenii humani peſſimorum non alibi quam in paganiſmo, tetra illa generis humani a vero numine alieni ſcena, enatam ejici; illos vero recte hæreticis comparari, qui gentiles doctrinas cum Chriſtianis miſceant (§. CIV.). Fit tranſitus ad præcipuam tum in plebe fabulam ex paganiſmo ſuperſtitem ex artis magicæ commentis productam. Ethnici enim, quum per artem magicam dicerent fata ſolvi (§. XII.), ſe omnia transformare murmure quodam (§. XXIV. not. *y*.), lunam præſidem artium magicarum plerique adfirmarent (§. XLI.), per artem magicam convivia inſtruerentur, quod de Empuſis (§. LXI.) & de Simone Mago (§. LXXXXII.) relatum, Goetarum denique communis ſermo eſſet ſe pro lubitu vi quadam hominibus ſuperiore volare (§. LXXXXV.), quid mirum, ſi infinita quædam fabularum congeriés etiam inter plebem Chriſtianam reperiretur? Igitur diaboli conamen erat mulieres recens converſas in talibus fabulis continere, ut eas a Chriſti fide iterum abduceret. Quid Canon noſter? *Omnis*, ait, *qui talia & his ſimilia credit, fidem perdidit.* Et recte omnino. Non habet eas pro Sagis, vel magis in adfic͡to his vocabulis recentiori ſenſu, ſed ſimpliciter mulieres, quæ hæc a paganis ſparſa, ab hæreticis per varias ratiunculas confirmata (§. C.) CREDUNT, eſſe idololatras & priſcæ paganorum fœditati proximos declarat (*h*). Summa itaque Canonis eſt, quod ars magica nihil poſſit, & qui ejus vim credit eſſe aliquam, eum *errore paganorum involvi*, ſeu, quod idem eſt, falſo de Deo

(*h*) Guilielmus *Epiſcopus Pariſienſis* Seculo XIII. longam diſſertationem de iisdem ævi ſui fabulis ſed adhuc auctis inſtituens concludit tandem, *Ad nudum dicam, pene omnes reliquias idololatriæ retinuit & reſeravit iſta fatuitas.* de Univerſo L. II. 2. cap. 22.

conceptu imbutum, *aliquid divinitatis aut numinis extra unum Deum arbitrari*, id est, *a recta fide deviare.*

CVIII. Quæ mens Canonis, ut eo luculentius pateat, adscribam ejus expositionem a prudentissimo Viro ANTONIO FLORIO (*i*) Vicario foraneo & Archidiacono Tignalensi adlatam ex idiomate italico a me conversam. Pugnat is pro ILL. MAFFEI sententia contra adversarium quemdam Canonis sententiam tantum in eos ferri adserentem, qui credant, quod striges sagæ modo exposito & velocitate maxima nocturnum iter peragant. FLORIUS ita insurgit. „ Qua ratione his volatibus adhibere fidem peccatum est ? Est id „ forte ob quasdam particulares suppositas actionis circumstantias ? „ Minime gentium ; sed ideo, quod non oporteat credere vel „ ullam rem virtute artis magicæ viribus humanis superiorem effici „ posse. Igitur æquale peccatum erit credere, quod aliquid vi „ humana majus Magi ope diaboli possint. Deviare a recta fide, „ quod in Canone dicitur, profecto non consistit in eo solo, quod „ credatur inequitari posse bestiis & longissimum iter noctu relegi, „ consistit autem in credendo, quod striges Sagæ virtute diaboli „ ipsis obedientis facere quamdam miraculi speciem queant. Enimvero „ qui credit, quod Magi possint aliquem susurris occidere „ absque eo, quod alicui venenum præbeant ; qui credit, quod „ figuris & signis adhibitis possint exanimem reddere puerum alias „ vegetum, qui credit, quod, quantumvis distent, possint conjugatis „ potentiam generandi auferre; qui credit, quod possint tempestates „ aere sereno excitare ; qui credit, quod Simon volaverit „ per aera inspectante omni populo ; an is res minus mirabiles „ credit, quam ille, qui sibi persuadet mulieres noctu a diabolo „ formam bestiæ induto transportari ? Minime id quidem. Unde, sicut „ peccatum est huic transportationi fidem præstare, ita & peccatum „ erit omnibus similibus affaniis aurem præbere. Qui mihi „ non credit, credat, quæso, Canoni ipsi, qui rationem peccati adsignat. „ Quando enim quæro, id fieri dicit, ut, qui *hæc vera esse*

(*i*) *Arte magica distrutta* p. 35. 36. ed. in Treato 1750. 4.

„ *credunt, a recta fide devient?* Tum, *cum aliquid divinitatis aut numinis ex-*
„ *tra unum Deum arbitrantur eſſe.* Ecce, quod peccatum non naſcatur ex
„ illa ſpeciali transportationis diabolicæ circumſtantia credita, ſed ex
„ eo, quod ſpecies deitatis, id eſt, vis ſupernaturalis miraculoſa aliis,
„ quam Deo ſummo attribuatur, id quod tamen ſemper fit, quando
„ creditur, per Magiam res quasdam ſupra naturam effici poſſe. Sed,
„ quum tantopere adverſarii contendant a venerando illo Canone id
„ dumtaxat ut grave peccatum prohiberi, ne credatur cum Herodia-
„ de obambulationem fieri, pace illorum dixerim, Canonem eos non
„ legiſſe. Si dignabuntur eum legere, invenient, quod fere hoc ip-
„ ſum, ne illorum erronea opinio umquam naſceretur, cautum fuerit,
„ dum in eodem ſubditur: *Omnibus itaque publice annunciandum eſt,*
„ *quod, qui talia & his ſimilia credit, fidem perdidit.* Obſervent, ve-
„ lim, probe illud, non ſolum dici, *qui credit talia*, ſed amplius, &
„ *his ſimilia*; quare non modo ille fidei chriſtianæ renunciat, qui cre-
„ dit noctu diabolo inequitari; ſed qui fidem præſtat omnibus ſimi-
„ libus nugis, quæ ſpondent majora viribus, induſtriis & qualita-
„ tibus humanis. Videant nunc adverſarii, quam bella ipſis relligio
„ ſit arti magicæ credere; non vero reſpondebunt huic Canoni, nec
„ ſe aliter expedient quam per Magiam „.

CLX. Dixi ſupra (§. CVII.) præcipuam fuiſſe inter mulieres fabulam eam, quæ in Canone rejicitur; nam & alias plures ejusdem momenti viguiſſe inter eas non ſinunt nos dubitare data principia, aut clauſula illa: *& his ſimilia* (*k*). Exemplum nunc addam ex APULEJI metamorphoſibus (*l*). Narratur ibidem de ſaga, quod ea amatorem ſuum unico verbo mutaverit in feram Caſtorem, quod Cauponem vicinum atque ob id æmulum deformarit in Ranam, & nunc ſenex ille dolium innatans vini ſui adventores priſtinos in fece ſubmiſſus officioſis ronchis raucus appellet &c. Quod noctu clauſas januas reſeret, fractis & evulſis funditus cardinibus (*m*); quod ſo-

(*k*) Refer eo ſuperſtitionem late patentem de qua PETRONIUS *Satyr.* c. 134. *Quæ ſtriges comederunt nervos tuos?* & cf. inf. §. CXVII.

(*l*) Lib. I. p. 106.

(*m*) Adde, quod *amatoris ſui uxorem*, *quod in eam dicacule probrum dixerat*, *jam*

ſomno oppreſſum Socratem quendam occiderit per jugulum ſiniſtrum capulotenus gladium totum ei demergens & cor ex imis viſceribus proferens, qui nihilominus altero die iterum ſurrexerit. Sagam tamen vulnus ſpongia offulciiſſe hoc ſuperdicto: *Heus tu ſpongia cave in mari nata per fluvium tranſeas.* Quæ quum fuerit defixio magica, ratio obſcura non eſt, cur ibidem addatur, quod poſtquam Socrates cum contubernali ſuo altero die manſionis pretio apud hanc ſagam perſoluto iter iniret, & ſiti preſſus, ex proximo fluvio eam levare vellet, *jugulo ejus vulnus dehiſcit in profundum patorem, & ſpongia repente de eo revoluta* corpus exanimatum in flumen pæne cernuaſſet, niſi contubernalis id ad ripam ſuperiorem attraxiſſet. Hanc fabulam cum aliis diu inter Chriſtianas adhuc mulieres ſe ſuſtinuiſſe liquet ex BURCHARDO, qui ob eam Canonem pœnitentialem factum refert. „ *Credidiſti*, legitur apud illum (*), *quod multæ mulieres retro Sa-* „ *tanam converſæ* credunt & affirmant verum eſſe, ut credas in quie- „ te noctis ſilentio, cum te collocaveris in lecto tuo, & marito tuo „ in ſinu tuo jacente, te, dum corporea ſis, januis clauſis exire „ poſſe, & terrarum ſpatia cum aliis ſimili errore deceptis per- „ tranſire valere, & homines baptizatos & CHRISTI ſanguine redem- „ tos ſine armis viſibilibus, & interficere, & *de coctis carnibus eorum* „ *vos comedere*, & in loco cordis eorum ſtramen aut lignum, aut „ aliquid hujusmodi ponere, & comeſtis iterum vivos facere, & „ inducias vivendi dare. Si credidiſti, *quadraginta dies*, i. e. carri- „ nam in pane & aqua cum *ſeptem ſequentibus annis* pœniteas „. Demum illud, ut adnotetur, ſupereſſe video, quod de HERODIADE in Canone noſtro habetur, intruſum eſſe ab IVONE & GRATIANO ex

Q

---

in ſarcinam prægnationis obſepto utero, & repigrato fœtu perpetua prægnatione damnavit, ut ea jam octo annorum onere diſtendetur. Eo alludit JUVENALIS Sat. VI. v. 594. ubi de Sagæ artibus:

Sed jacet aurato vix ulla puerpera lecto,
Tantum artes hujus, tantum medicamina poſſunt.
Quæ ſteriles facit, ATQUE HOMINES IN VENTRE NECANDOS
CONDUCIT. *Gaude infelix, atque ipſe bibendum*
Porrige quicquid erit. Nam ſi diſtendere vellet
Et vexare uterum pueris ſalientibus, eſſes
Æthiopis fortaſſe pater — —

(*) Lib XIX. *de pœnitentia*, ſive *medicina animarum*.

ævi ſui narratiunculis, quum aliis locis alias quasdam choragii hujus, quod, BURCHARDUS ait (*), *vulgaris ſtultitia Holdam* (*n*) *vocat*, præſides conſtituerent, *Abundiam*, *Satiam*, *Benſoziam*, *Minervam*, & alias pro phantaſiæ arbitrio (*o*); in Reginone vero tantum DIANA memoretur.

CX. Pervenimus ad ſeculum V. in quo etiam variæ barbaræ nationes Chriſtianæ factæ caput extulerunt, & exemplo monſtrarunt artis magicæ commenta ſemper cum idololatria fuiſſe conjuncta. Quæ immanes ſuperſtitiones in oriente a paganiſmo fuerint reliquæ hoc ſeculo & ad finem prioris, percepimus ex divo CHRYSOSTOMO eas confutante (§. XXXVII.). Idem S. Doctor alibi (*p*) refutat antiquam fabulam (§. LXIV.), quam & aliqui ſuo tempore deprædicabant, de *dæmonibus incubis*, de qua ita habet: „ Quanta non dementia plenum fuerit dicere: angelos ita dejectos, ut cum mulieribus rem haberent, & incorporea illa natura copularetur corporibus? An non audis Dominum dicentem de Angelorum ſubſtantia, *in reſurrectione neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei* (*q*). Neque enim poſſibile eſt incorpoream naturam talem unquam concupiſcentiam habere „. Concludit: „ Quis etiamſi valde inſanus comprobaret hæc blaſphema verba multæque dementiæ plena (το βλασφημον τȣτο ῥημα και πολλης γεμον της ἀνοιας) quod incorporea & Spiritualis natura Corporis complexum ferret? „ Hoc ipſum Angelorum cum mulieribus commercium S. PHILASTRIUS

(*) Decret. L. X. cap. de arte Magica.

(*n*) Mire & miſere ſe torquet TARTAROTTUS *Congr.* lib. I. c. 4 §. 5. in origine hujus vocis & ſignificatione indaganda. Ego nihil aliud eſſe cenſeo quam auſtriacorum Halte, ruſticis Hoald, gregem, turbam, Tataris Horde. Scio hanc ultimam vocem, quum in prima editione illuſtrationis dumtaxat cauſſa poſuiſſem, me e germanico deducere quosdam conjicere potuiſſe, quod nunc præcautum volo. Eſt autem Turcis & Tataris recepta vox *Ordu*, *Ordy*, *Jurty*, quæ *caſtra* & *turbam* ſubindicat. Itaque ab illis ad nos pervenit, quemadmodum vocula Barake tentorium notans ab Arabibus nobis tradita eſt. Quid quod ipſa *Tatarorum* & *Kalmakorum* nomenclatio ex ultimo Oriente in linguas europæas manavit? v. Cl. FISCHER Quæſt. Petropol. *de origine Tatarorum*.

(*o*) *Tatar.* ib. lib. I. c. 5. §. 3. 4. 6. 7. Striges Ferrariæ dominam curſus edicebant eſſe *Sapientem Sybillam Barth. Spina* in *Mall. Maleſic.* T. II. P. I. p. 67. p. 20. Olim in paganiſmo ſibi perſuadebant itinere aëreo ad montes lucosque, in quibus Germani ſuos locaverant deos, ferri.

(*p*) *Homil.* XXII. *in genes.* n. 2. T. IV. *Opp.* p. 196.

(*q*) *Matth.* XXII. 30. *Luc.* XX. 35.

Episcopus Brixensis (*r*) Chrysostomo coævus *mendaciis paganorum & poetarum de diis deabusque transformatis* adjungit; confirmans plane principia nostra (§. LXIV.). Atque revera tales concubitus deorum cum hominibus leguntur in APULEJI Metamorphosibus, apud Poetas passim & LIVIUM, ubi Scipionis Africani conceptionem refert L. XXVI. c. 19. Non prætereundum hoc in opere est, quod AUGUSTINUS in libros de C. D. retulit (*s*). Refert is gentiles, quum veræ fidei interitum vehementer optassent, tanto religionis christianæ mediis in persecutionibus vigore stupefactos, versus tandem quosdam græcos sparsisse, qui Petrum maleficiis id egisse docerent, ut CHRISTI nomen porro adhuc, non tamen diutius, quam per 365. annos coleretur. Post alia præclare prolata exclamat: *Isti dii qui sunt, qui possunt ista prædicere, nec possunt avertere, ita succumbentes uni malefico, & uni sceleri magico, quo puer ut dicunt anniculus occisus & dilaniatus & ritu nefario sepultus est, ut sectam sibi adversariam tam prolixo tempore convalescere — & ad suorum simulacrorum templorum sacrorum oraculorum eversionem pervenire permitterent!* LUD. VIVES & COQUÆUS suis adnotationibus hæc mire obscurant, mentemque S. Patris longe post se relinquunt. Nos haud difficulter adsequimur. Dicebant scilicet gentiles isti Christum esse innocentem, Petrum fuisse Magum, licet alii Christum potius pro Mago haberent (v. nos §. LXXVII. not. g. & §. CLXXXII.), itaque Magia sua effecisse, ut Christus a mundo diligeretur. Quum vero cultus hujus exitum multi scire desiderarent, celebrato ii sacrificio magico eos versus tamquam sibi a diis manibus revelatos adseclis suis facile persuaserunt. Hoc uno exemplo MOLIMINA, quæ Augustinus alibi vocat (*t*), MAGICARUM ARTIUM discimus, quibus tamen nihil, quod intentum fuit, umquam effectum est.

CXI. Quo magis miror viros non indoctos S. Augustinum in Patronum suæ sententiæ advocare ex eo solo, quod is (*u*) ex *creberrima fama* narret, *Silvanos*, *Panes & Faunos*, *quos vulgo incubos*

Q 2

(*r*) *de Hæresib* C. CVII.

(*s*) de C. D. lib. XVIII. c. 53.

(*t*) de doct. Christ. lib. II. c. 19.

(*u*) de C. D. lib. XV. c. 23.

vocant, improbos sæpe extitisse mulieribus, & earum appetiisse ac peregisse concubitum, & quosdam dæmones, quos dusios Galli nuncupant, hanc assidue immunditiam & tentare & efficere; qui tamen duabus vicibus, primum quidem (*x*) quæstionem de commercio spirituum *in medio relinquit*, & in hoc de quo agimus loco iterato protestatur *se nihil audere temere definire.* Ego etsi admitterem Augustinum his aurem præbuisse, non video quale inde argumentum cogere adversarii queant, quum novum non sit homines etiam magnos *creberrima fama*, cujus originem non indagant, in transversum raptos esse. Etiamsi id FACTUM credidisset Augustinus, non esset mihi relligio idem negare, probe memor, Augustini modestum animum alias offendi, quem ille his verbis expresserat (*y*): „ Neque enim, ait, quorumlibet disputationes velut scripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat salva honorificentia, „ quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare „ atque respuere, si forte invenerimus, quod aliter senserint, quam „ veritas habet divino adjutorio vel ab aliis intellecta vel a nobis. „ Talis ego sum in scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meo- „ rum (*z*) „. Non adhibuit hanc cautionem D. THOMAS, qui ex Augustino dæmonum cum mulieribus consuetudinem stabilitum ivit (*a*). Tam parum vero ea credenda forent, quam quod S. AMBROSIUS scribit (*b*): „ Homo quem Lupus prius viderit, conticescit, & antici- „ patus obtutu nocentis licet clamandi voluntatem habeat, non ha- „ bet tamen vocis ministerium, despicitque eum lupus tanquam vi- „ ctor vocis oblatæ. Et hæc ratio naturalis. Lupus radiis oculo- „ rum suorum immissis homini ejus spiritus visibiles desiccat in instan- „ ti, quibus desiccatis siccantur arteriæ, & sic raucus efficitur in- „ strumento vocis obligatius impedito „. Quem locum ad explicandam dæmonum naturam adhibens CANTIPRATANUS concludit (*c*): „ Si ergo luporum natura talem violentiam per solum contuitum ha-

---

(*x*) Ib. lib. III. c. 4.

(*y*) Ep. CXI. vet. edit. nov. CXLVIII. ad *Fortunatianum.*

(*z*) Locum hunc Augustini Canonibus inseruit GRATIANUS c. 10. dist. IX.

(*a*) *Summæ* Part. I. q. 51. Art. 3. ad 6. cf. *Tartar. Congr.* lib. II. c. 1. §. 13. 14. 15. Adde quæ infra ex *S. Damasceno* occurrunt §. 118.

(*b*) Hexaem. lib. VI. c. 4.

(*c*) *De bono universali* lib. II. c. 57. p. 565. edit. Colvener.

„ bere probatur, quin potius natura dæmonum, quæ multo ſubti-
„ lior ſagacior & potentior eſt, poterit præſentia ſuæ malitiæ vo-
„ cem obligare in homine, viſumque pariter & auditum „.

CXII. Haud abſimile judicium de S. HIERONYMI, ocelli Patrum, mente ferendum eſt, neque probaſſe dicendus narratiunculas, quas in vitis PAULLI EREMITÆ MALCHI & HILARIONIS profert. Jubet in priori Vita Hippocentaurum monſtrare Antonio viam, quæ ad Paullum ducat, addens ſe non ſcire, an is hippocentaurus fera eremi monſtroſa, an illuſio diabolica fuerit. Deinde Satyrus, homo cornibus & pedibus caprinis inſtructus, eidem ſancto, quis eſſet, interroganti hæc reſpondet: „ Mortalis ego ſum, & unus ex accolis ere-
„ mi, quos vario deluſa errore gentilitas Faunos Satyroſque & Incu-
„ bos vocans colit. Legatione fungor gregis mei. Precamur, ut
„ pro nobis communem dominum depreceris, quem in ſalutem mundi
„ olim veniſſe cognovimus „. Hieronymus tamen hunc ſatyrum pro naturali beſtia habet, quia adducit exemplum ſimilis animalis Alexandriam conducti temporibus Conſtantini. Poſt hunc diſcurſum gaviſus narratur Antonius, *quod beſtiæ Chriſtum loquantur*, animalque mox aufugiſſe. Inde quum Antonius, ut adſiſteret morituro Paullo, adveniſſet, deinde eo fatis functo omnia deficerent, quibus pro eo ſepulcrum effoderet, accurriſſe dicuntur duo Leones, quales lacrumati, *quomodo poterant*, ungulis terram excavant, & manus pedesque Antonii lambere incipiunt, ex quo ille intellexerit *benedictionem eos a ſe petere*. Quis hæc ſingula tam illuminati Eccleſiæ doctoris ſerio dicta credat? Ipſe ſanctus doctor longe alia nos docet (*d*), his verbis: „ Dum
„ eſſem, ait, adoleſcens, immo pene puer, & primos impetus laſcivientis
„ ætatis Eremi duritia refrænarem, ſcripſi ad avunculum S. Helio-
„ dorum exhortatoriam Epiſtolam plenam lacrimis &c. Sed in illo
„ opere pro ætate tunc luſimus, & calentibus adhuc rhetorum ſtudiis
„ atque doctrinis quædam ſcholaſtico flore depinximus „. Sed quis non veſtigia horum ſtudiorum in vita Paulli deprehendat, quam non

(*d*) In Ep. *ad Nepotianum*.

nisi uno anno serius post Epistolam ad Heliodorum scripserat (*e*)? Accedit, quod PETAVIUS observaverit (*f*) Hieronymum in Paullo perplexe loqui, adeoque non satis curium veritatis his in vitis, supposito quod eae genuinus ejusdem partus sint, prouti nunc leguntur, fuisse, ubi eum apertissimi cujusdam anachronismi convincit. Paria de artibus magicis enarrantur in vita Hilarionis, ubi sculptae laminae (*g*) proferuntur, quae habeant vim excitandi amoris furiosi, & animalia loquentia quotidie eum accedentia, & multitudo spirituum, qui, Hilarione per insulas Archipelagi tendente, ex urbeculis & pagis ad ripas occurrentes clamoribus exultarint. Videtur profecto illo tempore id contigisse saepius, ut tales res, non indagata satis veritate, in exercitium Styli conscientiae fiducia deducerentur, quando etiam S. Patres a Juliano apostata pueris in scholis Christianorum, gentiles ne enarrentur scriptores, inhibitum fuisse, aegre tulerunt, ut animadvertit Vir summus DION. PETAVIUS (*h*); quare, ut idem addit, *Decretum illud Juliani S. Gregorius Nazianzenus* ἀλογιας *taxat*, & *Patres ipsi multa gentilium veterum imitatione scripserunt eodem, qui in illis appetitur, Lepore sermonis ac venustate condita* (*i*).

CXIII. Sed indagemus porro, quid leges publicae hac in re statuerint. Licet ARCADIUS & HONORIUS diversas constitutiones (*k*) adversus sacrificia & cultus gentiles ediderint, tamen unica saltim constitutio HONORII anno CCCCIX. adversus mathematicos Roma & civitatibus omnibus pellendos, *codicibus erroris proprii sub oculis Episcoporum incendio concrematis*, legitur (*l*): ubi nomine mathematicorum generali non solum genethliacos, sed haruspices ex libris haruspicum, ἐκ των ἱερατικων, sacra facientes intelligendos esse, ex Zosimo, qui hujus legis promulgatae occasionem refert, pluribus ostendit GOTHOFREDUS. THEODOSIUS junior in paganos superstites dae-

(*e*) v. MAFFEI *arte mag. annichilata* lib. I. c. 6. p. 53.

(*f*) *Ration. temp.* P. I lib. VI. c 4.

(*g*) Apulejus *literatas laminas* suae sagae attribuit Metam. III. p. 137.

(*h*) In praef. ad *Juliani Imp. Opera.*

(*i*) Io. PET. DE LUDEWIG Diss. *de scholis Christianorum clausis sub Juliano.*

(*k*) Exstant hae L. 13. seqq. *C. Th. de pagan. & sacrif.* & nonnullae in C. *Just. eod.*

(*l*) L. 12 C. *Th. de malef.* & L. 10. C. *Just. de Episcop. audient.*

moniis ſacrificantes varias leges promulgavit, & quidem capitali pœna ab anterioribus ſtatuta Imperatoribus abrogata bonorum proſcriptionis & exilii pœnam ſubſtituit an. CCCCXXIII. (*m*), mortis tamen pœnam poſtea de novo reduxit an. CCCCXXVI. (*n*). Novum aliquid de Magis ſignificat LEO, dum *in ſuis quidem locis unicuique dummodo ſine ſceleratis ac puniendis Sa r ficiis aut alia qualibet arte legibus odioſa theſaurum quærere permittit* an. CCCCLXXIV. (*o*). Videmus ergo magos ſe hominibus etiam per id commendaſſe, quod ipſis theſauros ab antiquo depoſitos detegere ſe poſſe pollicerentur. Deſcribit talem LUCIANUS (*p*), quem vocat *cultorem impoſturarum & Ludificationum, præſtigias & communia mirifica rationemque inveniendorum theſaurorum profitentem.* Exſtirpata igitur ſic ſatis arte magica tamen adparet eam adhuc in quibusdam ſuis ramulis ad theſauros adplicatam & a multis exercitam viguiſſe, unde & a LEONE vetatur cum omnibus ſuis comitibus per verba: *& arte qualibet legibus odioſa.*

CXIV. Devolvimur ad leges nationum barbararum, quæ hoc quinto ſequentibusque ſeculis ad regimen politicum civium attentiores factæ ſunt. LEX SALICA Francis adhuc ethnicis conſcripta, & LEX RIPUARIA illos, qui per ligaturas, *per venenum*, *ſeu per aliquod maleficium res vel homines perdiderint*, pecuniaria ſumma condemnant. In lege Salica nominatim ille, qui alterum *Hereburgium clamaverit* (*q*), *hoc eſt*, *ſtrioportium aut qui æneum portare dicitur*, *ubi ſtriæ concinunt*, non poſſit tamen eum de his convincere, in multam 2500. denariorum condemnatur (*r*). Deinde illi, qui *mulierem ingenuam ſtriam aut meretricem* (v. inf. §. CXXXI. init.) eſſe convincietur, neque rurſus eam convincat imputati ſceleris, pœna 7500. denariorum ſolvendorum injungitur. Si autem *Stria*

(*m*) L. 23. *C. Th. de pagan. & ſacrif.*
(*n*) L. ult. *C. Th. eod.*
(*o*) L. un. *C. Juſt. de theſauris.*
(*p*) in *Alexandro.*
(*q*) Helvetiis hodieque reliquum eſt nomen Herberger a latino *herbarius*, qui homines ſuperſtitionibus ſuis huic voci pro mago ſumtæ anſam in medio ævo dederunt.
(*r*) vid. *Pactus Legis Salicæ* juſſu *Karoli* M. an. 798. conſcriptus ap. BALUZ. *Capit. R. F.* T. I. p. 322. Cap. LXVII.

hominem comederit, (*s*) & hujus rei convicta ſit, ut 8000. denarios ſolvat. Ita barbari fabulas inter ſuos exſtirpare conati ſunt, & ſi quæ ſub illarum prætextu ſcelera realia contingerent, quibus externæ ſaluti noceretur, ſimul hæc puniebantur. Secundum leges WISIGOTHORUM in Hiſpania *malefici & immiſſores tempeſtatum, qui quibusdam incantationibus grandinem in vineas meſſesque mittere* PERHIBENTUR, *& hi, qui per invocationem dæmonum mentes hominum conturbant, ſeu qui nocturna ſacrificia dæmonibus celebrant, ducentis flagellis* publice verberari præcipiuntur, & *decalvati deformiter decem convicinas poſſeſſiones circumire cogi, ut eorum alii corrigantur exemplis.* Porro jubent, hos, qui ejus furfuris homines conſuluiſſe reperiantur, & qui reſpondeant de morte vel vita alterius, ingenuos quidem flagellis cæſos in ſervitutem redigi bonis omnibus fiſco delatis, ſervos vero diverſo genere pœnarum adflictos in transmarinas partes vendi. Severiorem capitis pœnam ſtatuit THEODERICUS rex Oſtrogothorum (*t*): „ Si quis „ pagano ritu ſacrificare fuerit deprehenſus, arioli etiam atque „ umbrarii, ſi reperti fuerint, ſub juſta æſtimatione convicti capite „ puniantur; *malarum artium conſcii, id eſt malefici*, nudati rebus „ omnibus, quas habere poſſunt, honeſti perpetuo damnentur exi„ lio, humiliores capite puniendi ſunt „.

CXV.

(*s*) De eſu humanarum carnium Magis frequentato cf. §. 122. not. *x* Empuſæ carnes humanas adpetunt (§. 61.) Si enim docuerunt Magi ea comedenda deglutiendaque eſſe, quæ relationem cum numinibus haberent (§. 31. 49. 50. 53.), ratio haud obſcura eſt, cur eamdem doctrinam ad animal perfectiſſimum (§. 31.) produxerint. Sed heic forte aliud quid intelligitur, uti infra (§. 117.) apud Longobardos dicam. Ceteroquin ipſi veterum quidam medici partes humani corporis devorandas commendarunt. Lege GALENUM in prooemio libri X. *de ſimplicium medicament. facultatibus*, ubi tales perſtringit, & inprimis *Xenocratem Aphrodiſium* deteſtatur, qui inter alia deſcripſerat, *quosnam affectus curare valeat comeſum cerebrum, aut carnes aut jecur humanum, quos capitis, ſuræ aut digitorum oſſa partim uſta, partim uſtionem non experta, quæ denique & ſanguis.* Miratur ſimul Galenus, quo pacto ſcribere licuerit Xenocrati TALIA LEGIBUS VETITA CUM IMPERIUM ROMANUM HOMINIBUS VESCI VETUISSET. Cogitantes nos tamen ejusmodi medicos diſciplina magica fuiſſe imbutos, confirmat idem Galenus, qui libro VI. ejusdem operis Xenocratem vocaverat *ανθροπον τ'αλλα περιεργον ἱκανως και γοητειας ἐκ ἀπαλλαγμενον hominem alias ſatis curioſum & a Goetiæ ſtudio haud liberum.* cf. Plinium H. N. L. XXVII. c. I.

(*t*) Edicto C. CVIII.

CXV. Seculo VI. JUSTINIANUS legum ſylvam in ordinem redegit, ac aliqua ſpecialia in profitentes artes magicas ſtatuit (*u*), uno tamen etiam loco (*x*) opinionem vulgarem innuit, eos, qui *artibus odioſis tam venenis* QUAM SUSURRIS MAGICIS *homines occiderint*, *ex L. Cornelia capite damnans* (v. §. XXXIV.). Habemus vero exempla triſtiſſima hoc ſeculo, quomodo nomen artis magicæ, quæ ipſa utcumque exſtirpata & repreſſa fuerat legibus, graviſſimis ſerviverit Calumniis. Etenim PROCOPIUS homo neque prorſus gentilis neque prorſus Chriſtianus, qui mentiendi & calumniandi prurigine turpiſſima inauditaque hactenus Juſtiniani aulæ admetitur ſcelera, ut eam tamquam diabolorum lernam orbi inviſam redderet, ad deprimendam THEODORÆ feminæ probatiſſimæ famam ſcribit (*y*): „ THEODORÆ animum ſibi devinxiſſe Petrum annonæ adminiſtrum Cæſareum magicis artibus & præſtigiis; neque alia vi quam dæmonum retentum Juſtinianum in perſeverantia amoris in Theodoram „. Sic etiam apud GREGORIUM TURONENSEM bina exempla habemus mulieres magiæ crimine traductas enectas fuiſſe (*z*). Has innocen-

R

(*u*) v. nos L. II. §. 38.

(*x*) §. 5. *Inſt.* de *publ. judic.* Creditum fuit, quod goetæ ſolis ſuſurris homines occidant, quia ars magica omnia poſſit (§. 33.), ſed huic credulitati anſam præbuerunt realia & venenis aliter commiſſa ſcelera (§. 36.), quibus goetæ magnum ſui metum undique propagabant. Lucanus hos ſuſurros *humanum venenum* lepide dicit VI. 491.

Humanoque cadit ſerpens adflata veneno.

(*y*) in *Anecdot.* p. 98. 99.

(*z*) *Hiſt* Lib. V. c. 40. & Lib. VI. c. 35. Priori loco Gregorius narrat Fredegundem reginam Chilperici conjugem, feminam improbiſſimam Chlodovecho ex priori cum Audovera matrimonio ſuperſtiti mortem filiorum ſuorum imputaſſe, quaſi eam per maleficia unius ex ancillis ſuis procuraſſet, hanc porro ancillam poſt tormenta ad rogum ductam, licet *reclamare cœperit ſe mendacia protuliſſe*, *nihil proficientibus verbis* ligatam ad ſtipitem vivam flammis exuſtam eſſe, ipſum vero Chlodovechum cum matre Audovera repudiata enecatos, ſororem monaſterio incluſam, *opes eorum omnes reginæ delatas.* Libro VI. hæc ejus verba ſunt: „ Nunciatur reginæ puerum, qui mortuus „ fuerat, maleficiis & incantationibus fuiſſe ſubductum, ibique Mummolum præfectum, quem jam diu regina inviſum habebat conſcium eſſe. —— Interea adprehenſas mulieres tormentis applicat, ac verberibus cogit fateri, quæ noverant. At „ illæ confitentur ſe maleficas eſſe & multos occumbere leto ſe feciſſe teſtatæ ſunt, „ addentes illud, quod nulla ratione credi „ patior: filium ajunt tuum, o regina, pro „ Mummoli præfecti vita donavimus. Tunc „ regina tormentis gravioribus mulieribus „ adfectis alias enecat, alias incendio tradit, alias rotis oſſibus confractis innectit „.

ter periisse, nec ipse dissimulat Gregorius, sed in posteriori loco, dum illas inter tormenta & verbera, se *filium reginæ pro Mummoli præfecti vita donasse* fassas fuisse narrat, ingenue addit: *quod nulla ratione credi patior.* Et, qui ambas historias attentius considerat, luce clarius videt, filios regios ex morbo naturali dysenteriæ, qui tum Galliam totam pervagabatur (*a*), obiisse, reginam vero, ut inimicos odio suo sacrificaret, his mortem imputasse, atque magiam & incantationes, muliercularum quarumdam ministerio adhibitas adfinxisse, mulierculas quoque repetitis tormentis, ut id faterentur, coegisse, ac deinde, quamvis illæ confessionem dolore extortam revocarent, crudeli supplicio adfecisse. Non est vero, cur cum P. Daniele (*b*) vocem: *maleficiis* in priore Gregorii loco de venenis interpretemur ex observatione supra facta (§. CI.) & ipso historiæ contextu.

CXVI. Sexti sub initium seculi habita sunt Concilia Agathense & Aurelianense I., ex quibus utrisque Canones huc pertinentes exscripsit Gratianus (*c*), qui eo tendunt, ut *Clerici vel Laici studentes auguriis & divinationibus sub nomine fictæ religionis per eas, quas Sanctorum sortes vocant*, ex Ecclesiæ communione ejiciantur. Gregorius vero M. Januarium Episcopum Sardiniæ (*d*) vehementius hortatur, *contra idolorum cultores vel Aruspices atque sortilegos pastorali invigilet custodia, atque publice in populo contra hujus rei viros sermonem faciat, eosque a tanti labe sacrilegii & intentatione judicii & præsentis vitæ periculo revocet*, quos si incorrigibiles deprehenderit, servos verberibus castiget, liberos includat & ad pœnitentiam revocet, ut *cruciatus saltem eos corporis ad desideratam mentis valeat reducere sanitatem.* Concilium Martini Papæ, ut dicitur in Gratiano (*e*), omnes gentilium superstitiones complectens decrevit „ non *licere Christianis* „ tenere TRADITIONES GENTILIUM & observare, vel colere ele„ menta, aut lunæ, aut stellarum cursus &c. Si quis autem *con-*

(*a*) *ib.* lib. V. c. 35.

(*b*) *Hist. de la France* T. I. p. 178. cum scriptoribus eum sequentibus Bunavio, Mascovio &c.

(*c*) Can. 6. 9. C. XXVI. q. 5.

(*d*) ibid. Can. 10.

(*e*) ib. Can. 3. v. ad h. Can. Ant. Augustinum de *emendat. Gratiani* L. I. *dial.* X.

„ *ſuetudinem paganorum ſequens* divinos (*f*), & ſortilegos in domum „ ſuam introduxerit, quaſi ut malum foras mittant (§. XLIII.), „ aut maleficia inveniant, vel luſtrationes paganorum faciant, quin- „ que annis pœnitentiam agant „.

CXVII. ROTHARIS Rex Longobardorum Anno DCXLIII. horum leges, *quas hactenus ſola memoria & uſu retinebant* (*g*), collegit. Legitur in his: „ Nullus præſumat Aldiam aut ancillam alienam „ QUASI STRIGAM, quæ dicitur *Maſca* (*h*), occidere „. Videntur ſibi quidam ipſi jus dixiſſe, ut apud Romanos (§. CVI.). Sed additur: *Quod Chriſtianis mentibus nullatenus credendum, nec poſſibile eſt, ut hominem mulier vivum intrinſecus poſſit comedere* (*i*). Hac ergo lege Longobardi ſapienti ſane conſilio apud ſuos opinionem artis magicæ exulare juſſerunt, & porro calumnias inde ortas proſcripſere, dum declarant *Striges vel Magas dari* homini Chriſtiano credendum non eſſe, neque eas poſſe, quæ præcipua de iis apud plebem erat opinio, *hominem intrinſecus comedere*, hoc eſt, ut ego ex lata ſignificatione vocis gallicæ *manger*, & italicæ *mangiare* intelligo, hominem intrinſece deſtruere, ſeu ita defigere, ut carnes ejus quaſi tabe *comedantur*, & *diſſipentur* (*k*). Fontem horum deliriorum damnaverat Concilium Toletanum quartum Anno DCXXXIII. dum Epiſcopum aut Presbyterum aut quemlibet de ordinibus Clericorum magos aut aruſpices aut certe augures vel ſortilegos vel eos, qui PROFITENTUR ARTEM MAGICAM, conſulentem degradatum in monaſterio perpetuam pœnitentiam ſubire jubet (*l*). Et rurſus eleganter cuncta com-

(*f*) Galli: *devin.*

(*g*) PAUL. DIACON. *de geſtis Long.* L. IV. c. 44.

(*h*) Inde gallorum *Maſque* larva, terriculamentum.

(*i*) v. *Leg. Long.* L. I. tit. II. §. 9. *Edictum Rothar.* tit. 116.

(*k*) Eodem modo in *Indiculo ſuperſtitionum & paganiarum* Concilium, cui is adjunctus eſt, Liptinenſe an. 743. prohibuit illam credulitatem a paganis, prout ibidem notatur, hauſtam, *quia feminæ lunam* (artium magicarum præſidem v. §. 41.) *commendent, quod poſſint corda hominum tollere.* Dici poſſet in ultimo membro textus legis ſimpliciter redargui fabulam vulgarem, quam in theatrum deduci a poetis ſuis conſultum non duxerat Horatius (§. 60.), niſi illud: *comedere*: me bene expoſuiſſe *Tartarottus* ex ſimili Perſarum & Arabum phraſi confirmaret. *Congr. Nott.* p. 452.

(*l*) ap. *Grat.* l. c. Can. 5.

plectitur Concilium Trullanum anno DCXCII. Can. 61. qui ita habet latine: „ Qui se vatibus tradiderunt, vel iis, qui Centuriones di-
„ cuntur, aut iis similibus, ut ab illis discant, si quid sibi revela-
„ ri velint, secundum ea, quæ prius a Patribus sancita, Canoni,
„ qui est de sexennio, subjiciantur. Eidem pœnæ subjicere opor-
„ tet eos, qui ursas (*m*) aut similes bestias ad lusum & perniciem
„ simpliciorum circumferunt; & eos, qui fortunam, fatum, ge-
„ nealogiam aut similium verborum turbam ad nugas deceptorias
„ obloquuntur, eosque *qui nubes fugare* DICUNTUR, & *imprecatores*,
„ & *Amuletarios*, & *Vates*. In his autem perseverantes nec mutan-
„ tes sententiam, nec fugientes hæc *perniciosa & ethnica instituta*
„ omnino ejiciendos ab Ecclesia definimus, sicut Sacri Canones di-
„ cunt. Nam quæ luci cum tenebris communio, aut quæ concor-
„ dia CHRISTI & Belial? „

CXVIII. Delabimur ad Seculum VIII. ubi in Oriente magni cujusdam viri testimonium reperimus, unde facile conjicere datur, totum Orientem adhuc fabulis magicis scatuisse. Nec id mirum, si perpetuam hujus plagæ idolomaniam turpissimam, Dei ipsius in veteri testamento de ea constitutiones, novam magicis ineptiis servientem theologiam a Zabiis coagmentatam (§. LXXXV) horumque omnium influxum in opiniones vulgares consideremus. Testis ille est S. JOANNES DAMASCENUS, cujus fragmentum ex prolixiore lucubratione superstes ex variis codicibus V. CL. MICHAEL LEQUIEN e S. Dominici familia edidit (*n*), *de draconibus incubis*, qui apud Saracenos seu Arabes, inter quos sanctus hic vir versabatur, in homines mutati mulieres rapere, cumque illis coire dicebantur. Monstrat Saracenis Vir sanctus hos dracones nihil aliud, ac naturales bestias esse, & hoc eos argumento populari revincit: „ *Eos*,
„ *qui hæc narrant*, inquit, *rogamus*, quot rationales naturas Deus

---

(*m*) BALSAMON in *Commentario ad hoc Concilium*: „ Ursas trahere dicuntur ii, qui „ arctophori adpellantur; qui quidem in „ capite & totius animalis corpore tin„ ctoras appendentes & pilos ex ipso ton„ dentes eos una cum tincturis dant perin„ de ac remedia & amuleta tamquam con„ tra morbos, & fascinantes oculos confer„ re possint „.

(*n*) *Paris* 1712. T. I. Opp. DAMASCENI p. 471. seqq.

„ fecerit. Quodſi hoc neſciunt, duas illis dicemus, Angelos ſcilicet „ & homines. Porro diabolus unus erat ex Angelicis virtutibus, cumque ſponte defecerit a luce, in tenebris graditur. Sin vero draco aſſumta ſpecie altera cum hominibus converſatur, conſtupratque mulieres, ac modo quidem ſerpens exiſtit, modo autem homo, hinc manifeſte ſequitur eum eſſe ratione præditum, adeoque longe præſtantiorem homine, id quod plane numquam fiet nec erit &c. Addit: „ *Eſt & aliud Draconum* genus, quibus caput latum eſt, oculi inſtar auri micantes, in cujus cervice cornua ſunt, aliis barba e faucibus pendet, hoſque *agathodæmonas* vocitant, ajuntque veneno vacare „. Novimus hos etiam ex LAMPRIDIO, qui de Elagabalo: ROMÆ, ait, *habuit Ægyptios dracunculos, quos illi agathodæmonas vocant* (*o*). Germani ſimiles beſtias **Waldtaifel** dicebant, plebſque noſtra animal ſalaciſſimum, ſimiæ ſpeciem, in Principis olim EUGENII hortis ita adpellabat. Refer huc animal ex Sylvis Sinenſium ſub *diaboli Tajovanici* nomine cognitum.

CXIX. Vir Sanctus porro hæc omnia ignorantiæ malo, ac incuriæ legendi Sacros libros recte omnino adſcribit. „ *Plane lubrica res eſt*, ait, *ignorantia*. Maxima quippe damna patimur, „ ubi ſacros libros legere eoſque ſecundum Domini ſermonem „ ſcrutari negligimus. Ac miles quidem dicit, ſum miles, nec opus „ mihi eſt lectione; agricola vero agrorum prætendit culturam, & alii „ ſubinde idem effutiunt, & omnes deficientes ſumus „. Commemorat poſtea de ſtrigibus fabulas his verbis: „ Quidam ex indoctioribus ineptioribusve narrant, Stryges (ςϱυγγας) eſſe mulieres, „ quæ & *Geludes* dicantur. Eas autem per aerem conſpici fabulantur, dumque circumeunt domum, nequaquam foribus & clauſuris prohiberi, ſed januis diligenter clauſis ingredi & pueros ſuffocare. Alii autem dicunt eas hepar infantium vorare, & omne *illorum corpuſculum exſugere*, atque vitæ etiam terminos definire.

(o) In *Elag.* c. 28. EUSEB. *præp. Ev.* L. I. ad fin. de Serpente: Ζωον φοινικες δε αὐτο αγαθον δαιμονα καλουσιν, ὁμοιως και αἰγυπτιοι KNHΦ ἐπονομαζουσι.

„ Atque hæc quidem adſeverant alii ſe vidiſſe, audiiſſe alii, quo-
„ modo occluſis foribus domos ingrediantur cum corpore, vel nuda
„ ſaltem anima „. His non obſtantibus concludit Vir ſanctus: „ Ego
„ autem dixero a Domino noſtro Jeſu Chriſto id dumtaxat patratum
„ eſſe, quando ad ſanctos Apoſtolos januis clauſis intravit, poſtquam
„ reſurrexiſſet a mortuis. Sin vero malefica mulier (μαγος γυνη)
„ hoc idem fecit & facit, jam nihil admiratione dignum dominus
„ geſſit. Quodſi dicant animam nudam intrare interim, dum corpus
„ jacet in lecto, hoc a me audias velim, dominum noſtrum Jeſum
„ Chriſtum pronunciaſſe: *poteſtatem habeo ponendi animam meam & ite-*
„ *rum a me ipſo ſumendi* (*p*): atque id ſemel fecit tempore ſacroſan-
„ ctæ paſſionis ſuæ (*q*). Ergo ſi Saga obſcœnaque mulier (μαγος
„ γυνη και αισχρα) idem præſtet, nihil reliqui fecit dominus. Sed
„ quid porro S. Doctor tradit? ταυτα δε παντα αιρετικοι τινες και εναντια
„ της αγιας καθολικης εκκλησιας φρονουντες φλυαρουσι βουλομενοι τους απλου-
„ στερους διαστρεψαι της ορθης δοξης „. Atque hæc quidem hæretici qui-
„ dam, & contraria Eccleſiæ catholicæ placita tenentes nugando nar-
„ rant, quo ſimpliciores avertant a recta ſententia „. Nos hæc vidi-
mus antiquum hæreticorum Aſylum fuiſſe (§. LXXXXI. ſeqq.)

CXX. In Europa germanicarum nationum Reges egregie ad-
laborarunt, ut vetus error populorum cum ipſa relligione idololatrica
extirparetur. Habemus eam in rem Liutprandi regis Longobar-
dorum, a quo leges longobardicæ An. DCCXII. adauctæ fuerunt, ſanctio-
nem, qua in ariolos, aruſpices eorumque conſultores præter pœnitentiam
Eccleſiaſticam inſuper pœnas civiles ſtatuit. „ *Si quis*, ait, (*r*) *ti-*
„ *moris Dei immemor* ad ariolos vel ad augures pro haruſpicibus aut
„ qualibuſcunque reſponſis accipiendis ambulaverit, componat in
„ ſacro palatio medium pretii ſui, ſicut appretiatus fuerit, tanquam
„ ſi eum occidiſſet, & inſuper agat pœnitentiam *ſecundum Canonum in-*

(*p*) Joan. X. v. 18.

(*q*) Quid diceret S. Doctor, ſi in media chriſtianitatis luce *Jo. Bodinum* aſſerere non eſſe veritum conſpiceret, animam Sagæ abs-que corporis emotione ab eo ſeparari, at-que pro lubitu divagari? v. *Tart. Cong.* L. II c. 11. §. 5.

(*r*) *Leg. Longob.* C. II. tit. 38. c. 1.

„ *stituta.* Simili modo & qui arborem, quam rustici sanguinum vo-
„ cant, atque ad fontanas adoraverit, aut sacrilegium vel incanta-
„ tionem fecerit, similiter medium pretii sui componat in sacro pa-
„ latio „. Eadem pœna statuta est in Judices, qui scienter ejusmo-
di ariolos non condemnaverit. C. II. „ Et si manifestum fuerit, quod
„ sciat judex aut sculdais & saldarius, & decanus, ubi ipsi arioli, aut
„ ariolæ sunt, & eos non condemnaverint, aut præmium tulerit,
„ aut quasi causa pietatis vel pro qualicunque ingenio absolverit, in-
„ tegrum *Widrigild* suum in palatio componat „. KARLOMANNUS
Anno DCCXLII. in Synodo magna præsente S. BONIFACIO misso S.
Petri a se congregata: „ Decrevimus quoque, ut secundum Cano-
„ nes unusquisque Episcopus in sua parœcia sollicitudinem gerat ad-
„ juvante Gravione, qui defensor ecclesiæ ejus est, ut populus PA-
„ GANIAS non faciat, sed ut omnes spurcitias gentilitatis abjiciat &
„ respuat; sive sortilegos vel divinos, sive phylacteria & auguria,
„ sive incantationes, *sive hostias immolatitias*, quas stulti homines jux-
„ ta ecclesias ritu pagano faciunt, sub nomine sanctorum Martyrum
„ vel Confessorum Deum & suos sanctos ad iracundiam provocantes;
„ sive illos sortilegos ignes (*s*), quos *nedfratres* vocant, seu omnes,

(*s*) De ignibus eadem omnium gentium antiquarum philosophia fuisse videtur, quam apud Thessalos suos Apulejus (V. §. LXXXI. seqq.) expromsit. Quum enim vespera esset, lucernam intuens Pamphile, *quam largus*, inquit, *imber aderit crastino!* Ad hæc percontanti marito, qui comperisset istud, respondit sibi *lucernam prædicere.* Quod dictum dum miratur Milo maritus, & subridens *grandem*, diceret, *istam lucernam Sybillam pascimus, quæ cuncta cœli negotia & solem ipsum de specula candelabri contuetur*, se subjecisse Apulejus sequentia narrat: „ Sunt prima hujuscemodi divinationis ex- „ perimenta; nec mirum. Licet modicum „ istum igniculum & manibus humanis la- „ boratum memorem tamen illius majoris „ & cœlestis ignis, velut sui parentis, quid „ esset editurus in ætheris vertice divino „ præsagio & ipsum scire & nobis enuncia- „ re „. Itaque sollicite curabant, ne forte lucernæ exstinguerentur. OVID. ep. *Herus ad Leandr.* v. 153. Aliud narrat SUETON. in *Tiber.* c. 19. *Prælia aliquanto constantius inibat, quoties lucubrante se subito ac nullo propellente decideret lumen & exstingueretur, confidens, ut ajebat, ostento, sibi ac majoribus suis, in omni ducatu expertissimo.* OVID. cit ep. v. 151.

STERNUIT & *lumen, posito nam scribimus illo,*

STERNUIT, & *nobis prospera signa dedit.*

Quin & germanicæ nationes sortes seu fata ex ignibus expiscabantur. cf. nostram epist. de *ritu ignis in Natali S. Joannis Bapt.* Reiskius Untersuchung des Nodfyrs, des Oster = u. Johannesfeurs. Franckf. u. Leipz. 1696. 8. &c.

„ quæcumque sunt paganorum observationes diligenter prohibeant „. Et idem in Synodo Liptinensi anno DCCXLIII. ejusmodi delinquentes poena quindecim solidorum multat: *Decrevimus*, ait, *quoque, quod & pater meus ante præcipiebat*, *ut*, *qui paganas observationes in aliqua re fecerit*, *mulctetur & damnetur quindecim solidis*. Descriptæ sunt diligenter hæ paganiæ in *Indiculo*, ut omnes intelligerent, quid fugere oporteat, quem illustravit G. Eckartus. Nota demum apud Eruditos est formula, quam S. Bonifacius primus Germaniæ Apostolus baptizatis præivit. „ Audite fratres & attentius cogitetis, quid in baptismo renunciastis. Abrenunciastis enim diabolo & omnibus operibus ejus & omnibus pompis ejus. Quid sunt ergo opera diaboli? Hæc sunt: Idololatria, veneficia, incantationes & sortilegos exquirere, *strigas & fictos lupos credere*. Qui talia agunt, digni sunt morte, & regnum Dei non consequentur „.

CAPUT IV.

PERSEQUITUR HISTORIAM MAGIÆ INTER CHRISTIANOS A CAROLO M.

CXXI.

Vidimus in capite præcedenti, ut principes seculares cum ecclesiasticis conjunctis viribus annisi sint, omnes gentilitatis reliquias, ac artem inprimis magicam, cujus opinio tamquam maximum superstitionis genus parens est idololatriæ, a christianis mentibus avertere. Carolus M. qui relligioni catholicæ viam Germanicis in populis faciliorem reddidit, iisdem laudandis antecessorum vestigiis inhæsit anno DCCLXIX. Sed recte ille ratus exterminium superstitionum a vera doctrina de spiritibus intermediis incipiendum, ad Concilium Laodicenum (§. CV.) provocans anno DCCLXXXIX. in Capitulari Aquisgranensi præcepit, *ut ignota angelorum nomina nec fingantur, nec nominentur, nisi illorum, quos habemus in auctoritate, ut*

sunt

ſunt Michael, *Gabriel*, *Raphael.* Eoque ſapientius, quod, ut olim Simon magus novellæ fidei plantationi ſe objecerat, ita in Germania primum relligionis florem exſtinguere conati ſint hæretici, quorum vetus aſylum artis magicæ prætextus (§. CXIX.), ALDEBERTUS & CLEMENS, qui nova Angelorum nomina commenti, ac ideo haud multo ante in concilio Romano ſub ZACHARIA P. damnati ſunt, ubi Aldeberti oratio ſequens lecta fuit: „ Precor vos, & conjuro vos, & ſupplico me ad vos „ Angele Uriel, angele Raguel, angele Tubuel, angele Michael, „ angele Adimis, angele Tubuas, angele Sabaoth, angele Simihel „. Concilium id definivit *non plus quàm trium angelorum nomina ſe agnoſcere*, *id eſt Michael*, *Gabriel*, *Raphael.* Ipſe vero Aldebertus in ea ſynodo dicitur ſe *Apoſtolum Dei* nominari voluiſſe, & *capillos* atque *ungulas ſuas populis pro ſanctitate* tribuiſſe. Ceterum nonniſi ab ignaro eruditionis eccleſiaſticæ *Uriel*, *Raguel* & *Tubuel* bona fide inſerti leguntur in litaniis, quas evulgavit MABILLONIUS (*t*).

CXXII. CAROLUS M. porro in eodem capitulari præcipit, ut *Cauculatores* (Gaukler) & incantatores, tempeſtarii, vel obligatores non fiant, & ubicunque ſunt, emendentur, vel damnentur, his verbis: „ Item habemus in lege Domini mandatum, non auguramini, & in Deuteronomio: Nemo ſit, qui Ariolos ſciſcitetur vel ſomnia vel ad auguria intendat. Item nemo ſit maleficus, nec incantator, nec Pythonis conſultor. Ideo præcipimus, ut nec cauculatores & incantatores, nec tempeſtarii vel obligatores non fiant, & ubicunque ſunt, emendentur vel damnentur. Item de Arboribus vel petris, vel fontibus, ubi aliqui ſtulti luminaria vel alias obſervationes faciunt &c. „ (*u*). Id præ aliis notari meretur, Carolum, quamvis ſuperſtitiones Magicas ſevere prohibuerit, nullas tamen certas pœnas civiles in hujusmodi delinquentes dictaviſſe, ſed potius illos ſacerdotum correctioni tradendos eſſe cenſuiſſe, uti nomi-

S

(*t*) In *Anecdot.* T. II. p. 682.

(*u*) Apud BALUZIUM T. I. p. 235. & inſertum eſt Capitulum collectioni Capitularium Caroli M. & Ludovici Pii ab *Anſegiſo Abbate & Benedicto Levita* factæ L. I. c. 62.

natim in *Capitulatione* de *Partibus Saxoniæ* „ *Divinos* & *sortilegos ecclesiis & sacerdotibus dare constituit* (*x*) „ Idem alio capitulari anno DCCCV. (*y*): „ De incantationibus, auguriis, vel divinationibus, „ & de his, qui tempestates sive alia maleficia faciunt, placuit Sancto „ Concilio, ut ubicunque deprehensi fuerint, videat archipresbyter „ diœcesis illius, ut diligentissima examinatione constringantur, si for„ te confiteantur malorum, quæ gesserunt. Sed tali moderatione fiat „ eadem districtio, *ne vitam perdant*, sed, ut salventur carcere affli„ cti, usque dum Deo inspirante spondeant emendationem peccato„ rum, & ut nullatenus per aliqua præmia a comitibus vel centena„ riis absque districta examinatione remittantur „. Alibi (*z*) prohibet, ut a *Clericis vel Laicis phylacteria vel falsæ inscaphiones, aut Ligaturæ, quæ imprudentes pro febribus aut aliis pestibus adjuvare putant, nullo modo fiant*; *quia* Magicæ Artis insignia sunt. Ceterum passim in Capitularibus Caroli M. & Ludovici Pii superstitiones eorum, per quos *maleficiis aerem conturbari posse*, *grandines immitti*, *futura prædici*, *fructus & lac auferri*, *aliisque dari*, & Innumera Fieri dicantur, severe prohibentur, nulla tamen civili pœna adjecta (*a*). Atque licet

---

(*x*) Immo veterem Ecclesiæ sensum sollicite servans, atque adjuvans statuit ap. Baluz T. I. p. 250. *Si quis a diabolo deceptus* Crediderit secundum morem paganorum *virum aliquem aut feminam* Strigam *esse*, *& propter hoc ipsam incenderit*, *vel carnem ejus ad comedendum dederit*, *vel ipsam comederit*, Capitis sententia *punietur*. Carnes humanas edi Plinius H. N. L. XXVIII. 1. ab Ægyptiis Juven. Sat. XV. 13. & speciatim a Gallis mandi Plinius sup. §. 32. perhibuit. Magis autem Manichæorum sectam amplexis (§. 100.) βρεφοφαγια passim exprobratur. Quod ad enotatam Caroli legem attinet, Cl. *Meindersius* ex ea colligit Saxones olim Sagarum semiustulatarum carnes vorasse, id quod ego non illubenter crediderim, quamvis Cl. *Heineccius El J. Germ.* L. II. tit. 26. §. 274. sibi persuadere nequeat eos *his epulis plus quam thyesteis sibi nauseam provocasse*. cf. quæ notavi ad §. 114. & Canon e Burchardo §. 109.

(*y*) C. 25. ap. Baluz. p. 478.

(*z*) *Capitul.* L. I. c. 72. ap. Baluz. p. 934.

(*a*) Ludovicus Pius *innumeras maleficorum artes* inter Francos jactatas *ex ritu gentilium remansisse* recte suspicatur *addit.* II. *Capit.* c. 18. *addit.* III. c. 93. Et hinc quoque est, quod haud pauca penes eorum temporum scriptores occurrant, quæ nemo absque ætatum remotissimarum notitia intelligat. Exemplum sit Rhabani epist. ad Heribaldum Ep. Autissiodorens., in cujus capite XXX. inde a *Burchardo* & *Reginone* transscripto sequentia leguntur: „ De his etiam, super quibus „ interrogasti, id est, de illa femina, quæ „ menstruum sanguinem suum miscuit cibo vel „ potui, & dedit viro suo, ut comederet, & „ de illa, quæ semen viri sui in potu bibit

illi, *qui de salute principis vel summa reipublicæ, mathematicos, ariolos, aruspices, vaticinatores consuluerunt, cum iis, qui responderunt, capite puniri jubeantur* (*b*), tamen hoc capitulum desumtum ex priscis Romanorum legibus (*c*) secundum eas interpretationem ex communi civitatis salute accipit.

CXXIII. Initio seculi IX. fabulæ pessimæ eo provectæ erant in Gallia, ut Sanctus AGOBARDUS Episcopus Lugdunensis necesse habuerit eas publico scripto (*d*) confutare. Antequam heic S. Agobardi, & quod idem est, rectæ rationis argumenta adferam, efficiam paucis, ne hæ næniæ videantur novæ, sed, ut earum origo apud idololatricas gentes innotescat, a quarum cœcitate omnes ejusmodi fabellæ inseparabiles erant. Principia Magorum tempestates dirigentium deteximus jam supra (§. XXXVIII.), eas ex aliqua dæmonum ira fieri persuadentium. Et ideo Empedocles κωλυσανεμας dictus (§. XIII.), quod dum adnotat CLEMENS ALEXANDRINUS (*e*), subjicit sua adhuc ætate rumorem esse Magos Cleonis Μαγες ἐν Κλεωναις (in hodierna Morea) „ observantes meteora nubium grandines „ ejaculatura canticis & sacrificiis iram dæmonum & angelorum non „ bonorum depellere. Quodsi forte eis quandoque defuerit animal, „ suo cruentato digito sacrificare „. Id scribit Clemens seculo post Ch. III. Sed multo ante SENECA (*f*) hanc Cleonitarum ineptiam cachinnis propinavit, una cum XII. tabularum præceptis, de quibus supra (XLV. not. z.). Verba ejus: „ Quosdam peritos observandarum nubium esse affirmant, & prædicere, cum grando futura sit, & hoc intelligere usu ipso potuisse, cum colorem nubium

(scilicet ad amorem mutuum augendum, ut ex ejusd. ep. cap. XXV. deducitur) „ & de ea, „ quæ testam hominis combussit igni, & viro „ suo dedit pro infirmitate vitanda quasi pœnitentia sint plectendæ; ut nobis videtur, „ tali sententia feriendi sunt, sicut magi & „ arioli, quia magicam artem exercuisse „ noscuntur „. Recte id visum esse Rhabano, nonnisi illi, qui nostra legunt, perspicient. Inde porro intellectus verborum Ludovici pii resultat.

(*b*) Lib. VII. c. 370. p. 1104.

(*c*) v. J. PAULLI *sentent. recept.* L. V. tit. 21. §. 3.

(*d*) *De grandine & tonitruis.*

(*e*) *Strom.* Lib. VI. p. 455.

(*f*) *Natur. quæst.* L. IV. c. 6. & 7.

„ notassent, quem grando toties insequebatur. Illud incredibile „ Cleonis fuisse publice præpositos χαλαζοφυλακας, speculatores fu„ turæ grandinis. Hi cum signum dedissent, adesse jam grandinem „ —— pro se quisque alius agnum immolabat, alius pullum. Pro„ tinus illæ nubes alio declinabant, cum aliquid gustassent sanguinis. „ Hoc rides? Accipe quod rideas magis. Si quis nec agnum nec „ pullum habebat, quod sine damno fieri poterat, *manus sibi affere*„ *bat*. Et ne tu avidas aut crudeles existimes nubes; digitum suum „ bene acuto graphio pungebat, & hoc sanguine litabat. —— Ra„ tionem hujus rei quidam quærunt. Alteri, ut homines sapientissi„ mos decet, negant posse fieri, ut cum grandine aliquis paciscatur „ & tempestates munusculis redimat. Quomodo in tam exiguo san„ guine potest esse vis tanta, ut in altum penetret, & eam sentiant „ nubes? Quanto expeditius erat dicere, mendacium & fabula est? „ At Cleonis reddebantur judicia in illos, quibus delegata erat cura „ providendæ tempestatis: quod negligentia eorum vineæ vapulas„ sent, aut segetes procidissent „. De Sacrificiis Sinarum ita Trigaltius: „ Aliud sibi etiam munus arrogant; nam e sicco cœlo „ imbres elicere, aut nimbos continere, alia quoque privata & pu„ blica infortunia se immittere posse promittunt „. Sed addit: „ Si „ quidem, quod spondent, reipsa præstarent, haberent, qui se „ decipi sinunt, quo culpam eluerent, sed cum omnia impudentis„ simi impostores mentiantur, nescio, quid homines non stupidi præ„ texere possint, aut caussari „. *Falsitates* vero has *magicas in grandinariis tempestatibus*, ut ajunt Canones (*g*), credi prohibuit Concilium Trullanum (v. §. CXVII.). Et ignorantiam populorum nuperrime rationibus physicis debellavit V. Cl. P. Fulgentius Agricola e Scholis Piis (*h*), heu non amplius noster!

CXXIV. Sed maximopere interest argumenta S. Agobardi adcurata attentione mentis persequi. Ille sic incipit: (*i*) „ In his

(*g*) v. Can. 16. C. XXVI. q. 7.

(*h*) In differt. experim. de *Electricitatis Theoria & Usu* num. 114 — 117.

(*i*) Agobardi *Archiep. Lugdunensis* opera. Cura Steph. Baluzii Paris. 1666. 8. T. I. p. 145. seqq.

„ regionibus (i. e. Lugdunenſis Eccleſiæ diſtrictu & locis vicinis) „ pene omnes homines nobiles & ignobiles, urbani & ruſtici, ſenes „ & juvenes, putant grandines & tonitrua hominum libitu poſſe fieri; dicunt enim mox, ut audierint tonitrua, & viderint fulgura, „ *aura levaticia eſt* (*k*). Interrogati vero, *quid ſit aura levaticia*, alii cum „ verecundia parum remordente conſcientia, alii autem confidenter, „ ut imperitorum moris eſſe ſolet, confirmant incantationibus hominum, qui dicuntur *tempeſtarii*, eſſe levatam, & ideo dici levaticiam auram. Quod utrum verum ſit, ut vulgo creditur, ex „ *auctoritate divinarum ſcripturarum* probetur neceſſe eſt „. Inde poſt exprobrationem ſtultitiæ horum hominum, adpellat eos *falſos teſtes Dei & mendaces*, *qui admirabile & valde terribile opus Dei Deo auferunt, ut homini tribuant.* Id quod probat I.) quia in ſcriptura ſemper ſoli tantum Deo adſcribatur, quidquid in aere fit, quidquid mari & ventis, quidquid de aere in terram deſcendit, & nulli umquam homini. „ *Dicant*, objicit ſibi, *forſitan* iſti, qui hominibus hoc tribuunt, Moyſen „ (*l*) extendiſſe virgam in cœlum, & ideo per hominem immiſſam „ fuiſſe tempeſtatem. Certe Moyſes ſervus Domini erat bonus & juſtus, iſti autem tempeſtarios non audent fateri bonos & juſtos, ſed „ malos potius, & dignos damnatione temporali & æterna. „ Refutat dein, quod aliqui ex Pſalmis objicere tentabant „. Quoniam „ Pſalmiſta (*m*) dicit *immiſſionem per Angelos malos*, ſciendum, „ quod vindictarum aut probationum flagella per miniſtros malos „ exerceat Deus, qui voluntatem quidem nocendi de ſuo habeant, „ poteſtatem autem ab illo accipiant, in quantum ille vult „ (*n*).

CXXV. II.) „ Si homines grandinem immittere poſſent, utique & pluvias poſſent; nemo enim grandinem ſine pluvia umquam „ vidit; poſſent quoque de inimicis ſuis ſe vindicare, non ſolum ablatione frugum. Et hoc quidam dicunt ſe noſſe tales tempeſta-

S 3

(*k*) Noſtris ein gemachtes Wetter.
(*l*) Exod. IX.
(*m*) Psalm. LXXVII. v. 49.

(*n*) Hæc textus pſalmiſtici explanatio pugnat etiam contra Cl. Tartarottum. v. Ill. Maffei *art. mag. annich.* App. p. 290.

„ rios, qui dispersam grandinem & late per regionem decidentem „ faciant unum in locum fluminis aut sylvæ infructuosæ, aut super „ unam, ut ajunt, cupam, *sub qua ipse lateat tempestarius*, defluere. „ Frequenter certe audivimus a multis dici, quod talia nossent cer„ tis in locis facta; *sed necdum audivimus, ut aliquis se hoc vidisse testa„ retur*. Dictum est mihi aliquando de aliquo, quod se hæc vidis„ se diceret, sed ego multa sollicitudine egi, ut viderem illum, „ sicuti & feci; cum autem loquerer cum illo, & tentaret dicere se „ vidisse, ego multis precibus & adjurationibus cum divinis etiam „ comminationibus obstrinxi illum, rogitans, ut non diceret illud, „ nisi quod verum esset, tunc ille affirmabat quidem verum esse, „ quod dicebat, nominans hominem, tempus & locum, sed tamen „ confessus est, *se eodem tempore præsentem non fuisse* „. III.) „ Isti nostri „ SEMIFIDELES, mox, ut audiunt tonitrua, vel cum levi flatu „ ventos, dicunt: levaticia aura est, & maledicunt, dicentes male„ dicta lingua illa, & arefiat, etiam præcisa esse debebat, quæ hoc „ facit. Dic rogo, cui maledicis? Justo an peccatori? Peccator „ namque & ex parte infidelis similis tui, auram levare non po„ tuit, quia nec virtute sua valuit, nec Angelis malis imperare „ potuit, QUAMQUAM NEC EORUM HAC IN RE SIT POTESTAS; „ Domino non supplicavit, ut orando id obtineret, quia, sicut vos, „ ita & illi, quos tempestarios putatis, præstigiis malis fieri hæc „ putant, non voluntate Dei. Licet etsi a domino Deo hoc pete„ rent, non mererentur adipisci, quod utique justorum est, non „ iniquorum, qui in talibus rebus, etsi petunt a domino aliquid, „ infideliter & duplici animo petunt, non in *certitudine fidei*. „

CXXVI. IV.) „ Job c. 15. legitur, quod homo non noscat „ *semitas nubium, nec perfectas earum scientias*, ergo multo minus no„ vit earum officio hominibus prodesse, vel obesse, exceptis san„ ctis, qui multa per illum ipso donante possunt. Jacob 5. Cum „ diabolus inventor mali princeps & caput omnium malorum, ac„ cusator fratrum accusasset beatum Job apud Dominum, expetis„ setque eum tentandum, quatenus tentando ita verum esse ostende„ ret, quasi mentem Viri Dei melius nosset, quam Conditor ejus, „ Dominus justus ad confundendum diabolum, misericors ad exal-

„ tandum fidelem famulum ſuum, conceſſit illi poteſtatem, primum „ quidem in rebus omnibus, deinde vero in filiis, poſt etiam in „ ſalute corporis, ac deinceps in ſuaſione conjugis, poſtremo au- „ tem in exprobratione & nefaria deſpectione famulorum. Sed dia- „ bolus victus & confuſus receſſit, Servus Domini victor & trium- „ phans excrevit. Volens igitur pius dominus ſecundum quod Apo- „ ſtolus dicit de ſeipſo (*o*), *ne magnitudo eum revelationum extolleret*, „ ita & illum ne magnitudo victoriæ elatum redderet, humiliare, non „ ablatione rerum, quas perdiderat, non percuſſione corporis, per „ quam jam ſicut aurum in camino examinatus erat, non compara- „ tione alicujus viri magni ——— cœpit tamen eum humiliare. „ ——— In hac ergo humiliatione cum omnipotens Deus ſciſcitare- „ tur fidelem famulum; utrum iſta aut illa facere poſſet, de talibus „ utique, quæ nemo alius, niſi ſolus omnipotens facere poteſt, inquit „ etiam (*p*): *numquid ingreſſus es theſauros nivis, aut theſauros grandinis* „ *aſpexiſti*? — Hoc ſi ad libitum miſerrimorum horum hominum ali- „ quando fieri poſſet, procul dubio mirandum non eſſet. Hæc ſtul- „ titia eſt PORTIO NON MINIMA INFIDELITATIS, & in tantum ma- „ lum iſtud jam adolevit, ut in pleriſque locis ſint homines miſerri- „ mi, qui dicant ſe non equidem poſſe immittere tempeſtates, ſed „ noſſe tamen defendere a tempeſtate habitatores loci, (*q*) habent „ ſtatutum, quantum de frugibus ſuis donent his, a quibus ſe defen- „ di credunt, & appellant hoc *canonicum* „. Hæc AGOBARDUS.

CXXVII. Subjungam tamen adhuc ex eodem ſancto Docto- re hiſtoriolam, quæ in rem noſtram adprime facit, quæque in eo- „ dem libello ad finem legitur: „ *Ante hos paucos annos*, hæc ſunt „ ejus verba, *diſſeminata eſt* quædam ſtultitia, cum eſſet mortalitas „ boum, ut dicerent GRIMALDUM *ducem* (*r*) *Beneventorum* trans-

(*o*) CORINTH. 12. v. 7.

(*p*) JOB C. 31. 33.

(*q*) En ſpeciem χαλαζοφυλακων Cleo- niticorum.

(*r*) Hujus ducis a Karolo inveſtiti num- mum aureum profert & illuſtrat J. G. EC- KARTUS *Rer. Franc.* T. II. Lib. 28. Fuit is tertius ejus nominis Dux Beneventi, cu- jus vitam enarrat ILL. BUNAVIUS *Hiſt. Imper.* T. III. p. 762. ſeqq. ubi quum oſtendat Grimo- aldum An. DCCCVI ab hac luce migraſſe, hi- ſtoriolam vero ab Agobardo relatam Anno

„ misisse homines cum pulveribus, quos spargerent per campos, & „ montes, prata & fontes, eo quod esset inimicus Christianissimo „ Imperatori Carolo, & de ipso sparso pulvere mori boves; pro„ pter quam caussam multos comprehensos audivimus & vidimus, „ & aliquos occisos plerosque autem affixos tabulis in flumen pro„ jectos atque necatos. Et quod mirum valde est, comprehensi *ipsi* „ *adversum se dicebant* testimonium habere se talem pulverem, & „ spargere ——— Hoc ita ab omnibus credebatur, ut pene pau„ ci essent, quibus absurdissimum videretur. *Nec rationabiliter pen*„ *sabant, unde fieri posset talis pulvis*, de quo soli boves morerentur, „ non cetera animalia, aut quomodo tantus portari posset per la„ tissimas regiones, quas superspargere pulveribus homines non „ possunt, nec si beneventani viri & feminæ, senes & juvenes cum „ ternis carris pulvere caricatis egressi de regione fuissent „. Hæc iterum Agobardus disciplinæ ecclesiasticæ Canonumque antiquorum consultissimus judex, vindex acerrimus, qui addit: „ *Tanta* „ *jam stultitia oppressit miserum mundum*, *ut nunc sic absurdæ res credan*„ *tur a Christianis*, *quales numquam antea ad credendum poterat quisquam* „ *suadere Paganis creatorem omnium ignorantibus* „.

CXXVIII. Sed nimium quantum a quibusdam viris ecclesiasticis indiscreto ex studiorum neglectu zelo usis, disciplina Ecclesiæ inclinante hoc seculo IX. corrupta fuit. Inter hos Hincmarus Archiepiscopus Rhemensis eminet, ex cujus mox citando tractatu a Gratiano excerptus fuit Canon 4. C. XXXIII. q. I. in hunc tenorem: „ Si per sortiarias atque maleficas occulto sed nunquam injusto „ Dei judicio permittente & diabolo præparante concubitus non se„ quitur, hortandi sunt, quibus ista eveniunt, ut corde contrito „ —— domino satisfaciant, & per exorcismos ac cetera ecclesia„ sticæ medicinæ munia ministri Ecclesiæ tales —— sanare pro„ curent. Quod si forte sanari non potuerint, separari vale„ bunt &c „. Patescit ex hoc Hincmari placito eum censuisse artem ma-

DCCCX. adfigat p. 770., necesse foret hanc fabulam de mortuo jam Grimoaldo accipi; quam forte rectius cum Baronio in *Ann.* ad an. DCCCC. §. 23. ad eum annum revocabimus.

magicam, quæ quemadmodum hucusque vidimus, ut vana ſuperſtitio, ut inſtitutum Ethnicum a tota Eccleſia reprobata fuit, ſe eousque extendere poſſe, ut ſe diabolus clam huic negotio ingerere & fideles in uſu matrimonii impedire audeat, immo vero etiam inſanabiles reddere, ita, ut nulla neque eccleſiaſtica remedia juvent. Verum nec alia a ſuperſtitioſo ac frivolo Hincmari ingenio ſperari poterant, quippe qui primus etiam probationem delictorum per aquam frigidam ratiunculis fictitiis exornavit. Dicit enim (*s*): „ Quod in aquæ frigidæ „ judicio ad invocationem veritatis, quæ Deus eſt (*t*), qui verita- „ tem mendacio cupit obtegere, in aquis, ſuper quas vox Domini „ Dei majeſtatis intonuit, non potuit mergi, quia pura natura, quæ „ naturam humanam per aquam baptiſmatis ab omni mendacii fi- „ gmento purgatam iterum mendacio infectam non recognoſcit „ puram, & ideo eam non recipit, ſed rejicit ut alienam „. Cujus temerariæ ſententiæ ſuo tempore hoſtes expertus eſt RHABANUM MAURUM Archiepiſcopum Moguntinum aliosque viros doctos (*u*); poſtquam LUDOVICUS PIUS jam in capitulari de An. 829. probationem illam proſcripſit, quam denique LUCIUS III. P. An. 1181. (*x*) ut *judicium peregrinum* ab Eccleſiæ liminibus repelli declaravit, immo ſub finem ſeculi noni a P. STEPHANO V. (*y*) & ſeculo XI. ab ALEXANDRO II. etiam *popularibus inventionibus* accenſitam (*z*) Concilium Lateranenſe An. 1216. damnavit (*a*), FRIDERICUS II. in *conſtitutionibus Siculis* abolevit. Quid? quod in eodem ex Gratiano recenſito Canone Hincmarus aliam ab uſu Eccleſiæ alienam doctrinam

T

(*s*) in Tr. *de divortio Lotharii & Theutbergæ* an. 860.

(*t*) Notandum eſt tum precationes quasdam & aquæ exorciſmos circumlatos, quibus ante hanc probationem Deus invocabatur, ut veritatem hac via detegi ſineret, v. MARTENE de *Antiqu. Eccl. ritib.* L. III. c. 7. contra tamen Eccleſiæ mentem. cf. du FRESNE *Gloſſar. med. & inf. Lat.* p. 308.

(*u*) Elucet id ex Hincmari epiſt. 39. ad *Hildegarium Epiſcopum Meldenſem.* cf. S. AGOBARDI liber *de divinis ſententiis, contra damnabilem opinionem putantium divini judicii veritatem igne vel aquis vel conflictu armorum fieri.*

(*x*) Cap. VIII. *ext.* de purg. Canon.

(*y*) Can. 20. c. II. q. 5. ad quem tamen v. VAN ESPEN Jur. Eccl. univ. Part. III. tit. 8. §. 32.

(*z*) Can. 7. C. II. q. 5.

(*a*) v. *Cap. IX. ext. ne Clerici vel Monachi.*

proferat, ubi dicit eos, quos ſtatuit ſeparari poſſe, ſi iidem concumbendi poſſibilitatem recuperaverint, nequire amplius ad primum matrimonium redire poſteriori alio jam contracto, quam anomaliam ipſe Gratianus notavit. Utinam ille coævi Pontificis Leonis IV. ad *Epiſcopos Britanniæ* decretum (*b*) expendiſſet! „ Sortes, quibus cuncta vos in veſtris diſcriminatis judiciis, quod „ Patres damnaverunt, *nihil aliud quam divinationes & maleficia eſſe* „ decernimus (i. e. corollaria criminoſa ex arte jactata olim magica ſuperſtitia). „ Quamobrem — *inter chriſtianos ultra nominari* „ — & ſub anathematis interdicto prohibemus (*c*) „.

CXXIX. Verum hæc fuere præludia Seculi X. quod merito ab Eruditis *Obſcuri* nomen tulit, ubi modica rei Eccleſiaſticæ, veræ pietatis, nulla fere literarum cura. Quod ad rem noſtram leguntur in Annalibus Corbejenſibus ad An. 914. hæc verba: *Multæ ſagæ combuſtæ ſunt in territorio noſtro.* Miratur Ill. Leibnizius (*d*) crudelem hanc credulitatem tam antiquam eſſe; non tamen æque miraturus, ſi legiſſet Magos & Magas, quibus ab immemoriali tempore omnia mala imputabantur, in odio publico ferro & flamma exſtirpatas ſemper fuiſſe, adeo ut etiam a quovis privato Romæ (§. CVI.). & apud Francos & Longobardos id fieret (§. CXVII. CXXII.). Videntur autem hæ ſagæ partim feminæ innocentes uti ſupra (§. CXV.) & eæ quidem plurimæ, partim veneficæ fuiſſe aut ſeditioſæ, aliterve per divinationes populum ſeducentes, vel in quas irrationale odium plebis incubuit. Ceterum hoc ſeculo Eadgarus Rex & Reformator populi Anglicani eminet, qui circa An. 967. Leges Angliæ dedit, inter quas una ita habet: „ Docemus etiam ut ſinguli „ Sacerdotes Chriſtianam relligionem omni promoveant diligentia,

(*b*) ap. Grat. *Can.* 7. C. XXVI. q. 5.

(*c*) Ex his & alibi ſparſim dictis facile quoque diſcernes, an Schedis Remigianis a *Mabillonio* prolatis, quæ rituum probationis per aquam frigidam faciunt auctorem Eugenium II. P. cum *Franc. Pagio* fides adjungenda ſit, an potius cum Natali Alexandro ea iisdem deneganda. v. contra Alexandrum pugnantem Pagium in *vita Eugenii* II. Nec eſt, quod cum Eſpenio *Jur. eccl. univ.* P. III. tit. 8. c. 4. in ea lite hæſites. cf. ex Proteſtantibus Boehmer. in not. ad Can. 20. C. II. q. 5. & in Diſſ. *de probat. in criminal. ſpur.* a §. 11. *uſque* §. 13. ex noſtris P. Pichler *Hiſt.* Impp. tract II. P. III cap. 3. quæſt. 11.

(*d*) In *Introd.* ad T. II. *Script. Brunſv.* n. 25.

„ nervisque omnibus confictas ad libitum adorationes, necromantiam, divinationes, incantationes, hominum cultus divinos, & quæ præterea mortales adigunt in varios errores & rerum multiplicium phantasmata, quæ decipiunt multos &c. (*e*) „. In Germania sub initium hujus seculi Canonum collectionem composuisse creditur Regino Monachus ord. S. Benedicti in Abbatia S. Maximini apud Treviros, quæ sub titulo de *Ecclesiasticis disciplinis & relligione Christiana* concepta est, jussu Rathbodi Archiepiscopi Trevirensis ad usum ejus dioecesеos, qui sub titulo: de *incantatoribus maleficis & sortilegis* primus Canonem *Episcopi* protulit (§. CVI.) (*f*). Adparet inde viros doctos veterem Ecclesiæ disciplinam, quæ jam collabi cœperat, omni ope restitui anhelasse.

CXXX. In Dania Canutus M. primos inter reges ejus gentis christianos, qui & Angliam tenuit, mox anno MXVII. principalem curam eo intendit, ut artes magicæ cum veteri idololatria exscinderentur. Est enim hæc inter ejus leges: „ Adorationem barbaram plenissime vetamus, barbara est autem adoratio, sive quis Idola, puta gentium divos] Solem, Lunam &c. coluerit, sive *Sagarum superstitiones* observaverit, sive magnam alicui cladem ductis sortibus ardentibusve tædis attulerit „. In Germania paullo post initium Seculi XI. Burchardus Episcopus Wormatiensis *magnum Decretorum volumen* in Libris XX. edidit eum in finem, ut, quemadmodum in præfatione loquitur, *haberent juniores Clerici ejus diœceseos, unde jura Canonica & præsertim pœnitentium formas admodum confusas discerent.* Agit ille libro decimo *de incantatoribus maledicis & conspiratoribus & de pœnitentia singulorum*; ex quo quantum satis esse possit ad cernendam Ecclesiæ mentem, decerpsimus supra (§. CIX.). Extremo hoc Seculo IVO Episcopus Carnotensis duo Canonica curavit volumina *Decretum*, seu *excerptiones ecclesiasticarum regularum* & *Panormiam*, ubi decreti parte undecima *de incantatoribus*, *de auguribus*, *de divinis*, *de sortilegiis*, *de sortiariis & variis illusionibus dia-*

T 2

(*e*) Labbei *Concil.* T. IX. p. 683.

(*f*) Elegans *Reginonis* editio prodiit Vindobonæ 1765. 4. curante Aloysio Comite Cristiani.

boli, *atque de singulorum pœnitentia*, Panormiæ vero Libro octavo titulo V. VI. VII. *de divinationibus & incantatoribus*, *de sortilegiis*, *de observatione dierum & mensium* tractat, Canonesque pœnitentiales ab Ecclesia in credulitatem ejusmodi fabularum ex ethnicismo reliquarum statutas fere ex Burchardo admetitur. (*g*)

CXXXI. Sub ipsum seculi sequentis ingressum Colomanus ex Episcopo Varadiensi, ut multi volunt, per dispensationem Urbani II. nonus Hungariæ Rex sagas non dari, nec de iis quæstionem in foro ullam fieri debere publica lege sancit, quæ ad noviora usque tempora durat (*h*). Seculo eodem medio Gratianus Monachus Ord. S. Benedicti Decretum colligit, quod Eugenius III. P. magna cum commendatione ad Scholam Bononiensem publice prælegendum mittit An. 1151. Coacervaverat ibi Gratianus veterem Ecclesiæ disciplinam ex Patribus, Conciliis & Pontificibus, quam feliciter, alii judicent. Ejus autem omnes fere Canones huc spectantes supra retulimus. Id hoc loco quidem a nobis in eo culpandum, quod fragmentum quoddam ex Hincmaro (§. CXXVIII.) decerpserit, quod non parum ad decipiendos inde Canonum cultores contribuit. In Anglia Joannes cognomento Parvus a patria *Sarisburiensis* dictus Episcopus dein in Gallia Carnotensis, vir supra seculi sui conditionem

---

(*g*) Spectat ad hoc seculum Ditmarus Episcopus Merseburgensis, qui merito ut testis disciplinæ ecclesiasticæ adlegatur. Is ergo ubi Chronici sui Lib. IV. ap. Leibniz. *Sc. R. Brunsv.* T. I. p. 350. solem defecisse Anno 989. 12. Kal. Nov. enarrasset, hoc monitum subdit: „ Sed cunctis persuadeo „ Christicolis, ut veraciter credant hoc non aliqua malarum incantatione mulierum vel ausu fieri, vel hunc „ aliquomodo seculariter adjuvari posse, sed „ sicut Macrobius testatur, ceterique sapientes fieri afferunt, est id de Luna. „ Hæc Ditmarus. Sed & infamavit hoc eodem seculo sub Gregorio VII. Benno Cardinalis Silvestrum II. P. hominem ad miraculum usque sua ætate edoctum, eum artibus magicis summam hanc dignitatem adeptum fuisse, & diaboli insidiis tandem periisse: atque per hoc forte ansam dedit duobus aliis pontificibus libros nefanda superstitione repletos supponendi, intelligo *Arcanum Arcanorum Honorii Papæ*, quod recenset St. Andre *Lettre II. au sujet de la Magie*, & *Enchiridion Leonis Papæ*, de quo Cl. Blanchard in tomo VI. *des memoires de l'academie des inscriptions.*

(*h*) Exstat hæc lex inter Colomani Decreta An. 1100. edita L. I. c. 57. ap. Sambucum post continuatam *Bonfinii Historiam Hungariæ* in hunc modum inscripta: *De meretricibus:* cujus inscriptionis rationem pete ex nota (*s*) ad §. 68. *supra.* Lex autem hæc est: *De strigis vero, quæ non sunt, nulla quæstio fiat.*

doctus in *Polycratico* agit de magia, & ejus ſpeciebus, veterique diviſione magorum (v. §. LI.) in *ariolos*, *incantatores*, *aruſpices*, *pythios*, *vulticolos*, *imaginarios*, *chiromanticos*, *conjectores*, *ſpecularios*, *mathematicos*, *ſaliſſatores*, *ſortilegos*, *augures*. Agit de nocturnis mulierum Strigarum conventiculis, quod *Noctilucam quamdam vel præſidem noctis dominam vel Herodiadem conſilia & conventus aſſerunt convocare, varia celebrari convivia, miniſteriorum ſpecies diverſis occupationibus exerceri, & nunc iſtos ad pœnam trahi pro meritis, nunc illos ad gloriam ſublimari; præterea infantes exponi Lamiis & nunc fruſtatim diſcerptos edaci ingluvie in ventrem trajectos congeri, nunc præſidentis miſeratione rejectos in cunas reponi.* Cernimus heic omnia gentium deliria ſparſim hactenus pertractata in unam farraginem comportata, credita, aucta. Sarisburienſis vero hæc pro illuſionibus & tentationibus diaboli habet, quibus is fideles a vera fide in unum deum abducat. Quare ſubjungit: „ Quis vel cœcus hoc ludificantium dæmonum non videat eſſe ne„ quitiam? Quod vel ex eo patet, quod *mulierculis* & *viris ſimplicio„ ribus* & *infirmioribus in fide* iſta proveniunt. Si vero quisquam eo„ rum, qui hac illuſione laborabat, ab aliquo conſtanter, & ex ſi„ gnis aliquibus arguatur, dæmonium ſtatim aut ſuperatur, aut ce„ dit, &, ut dicitur, ex quo quis in luce arguitur, ceſſant opera „ tenebrarum. Hujus autem peſtis cura efficaciſſima eſt, ut quis „ *fidem amplexus*, his mendaciis ſubtrahat mentis auditum, & nequa„ quam reſpiciat ad hujusmodi vanitates & inſanias falſas „. Circa finem hujus ſeculi GRANDENSIS PATRIARCHA ALEXANDRUM III. P. conſuluit in cauſſa Clerici Presbyteri, qui *cum quodam infami*, hæc ſunt verba textus (*i*), *ad privatum locum acceſſit, non ea intentione, ut vocaret dæmonium, ſed ut inſpectione aſtrolabii furtum cujusdam Eccleſiæ poſſet recuperari.* Reſpondet Pontifex, quod licet ille Presbyter *hoc ex bono zelo* erga Eccleſiam & *ſimplicitate ſe feciſſe proponat, id tamen graviſſimum fuit, & non modicam inde peccati maculam contraxit, quare eum Patriarcha per annum, vel ſi viſum fuerit, amplius ab altaris miniſterio abſtineat.*

(*i*) In cap. 2. *ext.* de Sortileg.

CXXXII. Paullo attentius hoc Pontificis responsum contemplari oportet. Proposita fuerat facti species talis, ut patuerit Clericum non ipsum artibus magicis operatum esse, vel consensisse operanti, & pagano more per evocationem spiritus tentasse rescire, qua via furtum detegi posset; sed ex bona fide & ignorantia ariolum accessisse. Ergo hic Clericus non meruit poenam illam, qua alias Clerici, qui decipiente diabolo ad sordidos ejusmodi impostores conversi, & iis fidem adhibentes, a dæmonio exspectant consilium, quod a vero numine impetrare desperant, ex veteri Ecclesiæ & Concilii Toletani præscripto (§. CXVII.) ordine sacro deponi & ad poenitentiam hujus sacrilegii perpetuo agendam in monasterium detrudi debent, in qua poena infligenda Ecclesia vetus id præ oculis habebat, quod hujus farinæ homines ad paganos mores (§. LXXVI.) conversi a fide apostatæ censeantur. Quæ mens Ecclesiæ, quum ex hactenus adductis abunde elucescat, nervose admodum inculcatur in Can. XVI. C. XXVI. q. 7. ubi hæc leguntur: „ Non observetis dies, qui dicuntur ægyptiaci, aut Calendas Januarii — aut „ lunæ solisque cursum: qui has & *quascunque divinationes* aut fata „ aut auguria observat, aut attendit, aut consentit observantibus, *inutiliter & sine caussa magis ad sui damnationem quam ad salutem* tendit: sive „ qui per quosdam numeros literarum & lunæ & per pythagoricam „ necromantiam (§. XXXVIII. not. *u*) ægrotantium vitam vel mortem „ vel prospera vel adversa futura inquirunt, sive qui attendunt somnialia scripta & falso *Danielis nomine* intitulata, & sortes, quæ dicuntur Sanctorum Apostolorum, & auguria avium, aut aliqua pro „ domo facienda, aut propter conjugia copulanda, aut in collectionibus herbarum carmina dicunt, aut pyctaciola pro quavis „ infirmitate scripta super homines vel animalia ponunt — aut „ magicis falsitatibus in grandinariis tempestatibus credunt. Qui autem *talibus* credunt, aut ad eorum domum euntes, aut suis domibus introducunt, ut interrogent, sciant *se fidem christianam & baptismum prævaricasse*, & ut paganum & apostatam, id est, retro abeuntem & Dei inimicum iram Dei graviter in æternum incurrisse, nisi ecclesiastica poenitentia emendatus Deo reconcilietur —— „ Ut igitur in rem præsentem veniam, non poterat

Clericus hic in ecclesia pro apostata haberi, sed quia tamen in re illicita, atque ad Apostasiam accedente versabatur, & actio haec ejus, qua ariolum adiverat, ad actionem praecedentem liberam omissivam, qua conscientiam suam instruere neglexit, referri potuerat, recte a Pontifice ad aliquod tempus ab officio eum ecclesiastico suspendi debere rescriptum fuit (*k*).

CXXXIII. Islandia Seculo XIII. Leges suas a SNORRONE STURLÆ Nomophylace suo Anno 1215. compilatas vidit, quae collectio *Eddæ Islandorum* titulo innotuit, & fabulas theologiae ethnicae Majorum nostrorum utcumque illustrat (*l*). In his legibus inter capitalia crimina, quae SOLA capitalibus poenis luuntur, sunt veteres magicae persuasiones, & ita statuitur: „ Omni diligentia inquirat „ Rex & Episcopus, ne *exerceantur* errores & superstitio ethnica, „ uti sunt incantationes & artes magicae, item si quis per aërem „ daemoniaco itinere feratur, si in genios locorum credat, quod tumulos & flumina inhabitent; abjuratio Dei & sanctae Ecclesiae, „ ut in tumulis opes inveniant, aut alio modo ditescant, vel quaesita rescifcant. Item si quis *tentet* Lemures & tumulicolas excitare „. In reliqua vero Europa tantum abest, ut haec figmenta ethnicorum & fabulae in plebe superstites simpliciter prohiberentur, & tamquam relligioni noxiae proscriberentur, ut potius hoc seculo res eo deduci coeperit, ut quod omnibus seculis hactenus inauditum fuerat, ideis sensualibus adsueti homines cunctas narrationes hujusmodi ad potestatem daemonis ab eo stipulandam palam referrent, atque hoc modo reali & corporeo cum spiritu infelici commercio, quod ad nocendum aliis ineatur, adsumto explicarent, purgata illa mentis acie undique deficiente (*m*), ita ut brevi tota, qua patet Europa, non absimili ei, quae *Ordalia Dei* produxerat, philosophia hac magica impleretur, atque per istam Virorum ceteroquin etiam doctorum

---

(*k*) cf. si lubet PIRRHING *Method. Jur. Can.* T. V. p. 320. GONZALEZ *ad Decretales* T. V. p. 388.

(*l*) Edita est *Islandice*, *Danice*, & *Latine* per PETRUM RESENIUM Consulem Hafniensem. Hafniae 1655. 4. v. KEYSLER *Antiq. Sept.* p. 20.

(*m*) SABA MALASPINA Scriptor coaevus de FRIDERICO II. *Astrologos & Necromanticos venerabatur. Rer. Sicular.* L. I. c. 2.

ingenia, communi quasi torrente, abriperentur. Exemplum pacti cum diabolo celebrati primus protulit Cæsarius Heisterbacensis, qui An. 1227. scripsit (*n*), post eum Vincentius Bellovacensis & alii. Nos vero, quid viri prudentes ejus temporis de nova hac philosophia senserint, ex Thomæ Cantipratani Libro, cui titulus: *Bonum universale de Apibus*, ediscamus (*o*).

CXXXIV. Thomas Cantipratanus a cœnobio in suburbiis Cameracenæ civitatis sito ita dictus, ibidem Canonicus regularis S. Augustini, inde se ordini Prædicatorum dedit, & multo tempore Alberti M. cum S. Thoma Aquinate auditor exstitit. Suffraganeus postea Cameracensis factus & Theol. D. an. ætat. 68. post An. Ch. 1263. librum citatum edidit inter beatos post mortem, quæ An. 1280. contigit, relatus. Hic igitur, ubi (*p*) exemplum de homine diabolo sibi sub hominis specie apparenti pacto pretio animam vendente, *ut audivit*, enarrasset, etiam de operationibus dæmonum in varias species distinctorum, scilicet, *Neptunorum*, qui in aquis, *Dusiorum*, qui in speluncis montium, *Aereorum*, quos Apostolus *spiritualia nequitiæ in cœlestibus* vocet, *Incuborum*, qui super terram vagentur, cum mulieribus generent &c. edisserit; atque postquam omnes ætatis suæ fabulas coacervasset, ingenue addit (*q*): „ Quis „ non obstupescat in tam inexplicabilem casum rerum ordinem „ et rationem naturæ super id, quod æstimari poterit, va„ riari? Ego quidem talia fieri permittente occulto Dei judicio per „ operationem dæmonum *nec inficior*, *nec confirmo;* sed quia obji„ cientibus talia & verissima assertione firmantibus *subterfugere* dissi„ mulatione *non potui*, ista mihi *narrata & inculcata* conscripsi, & „ *aliis discutienda* reliqui. Gratius tamen disputantem & determinantem „ super præmissis literatiorem aliquem & magis expertum optarem „ audire, quam de his *proprio ingenio temere* aliquid definire. Inter„ rogavi super hoc supradictum magistrum Albertum (*r*), *sed ille*

(*n*) v. Leibniz. *introd.* ad T. II. *Script. Rer. Brunov.* p. 47.

(*o*) Edit. a Georg. Colvenerio Duaci 1627. 8.

(*p*) L. II. c. 56. p. 535.

(*q*) ib. p. 553.

(*r*) Hic est Albertus magnus. Nota expresse heic formatam quæstionem fuisse.

„ *ille dissimulavit, & noluit aliquid definire* „. Idem referens alibi repentinam tempestatem excitari, dum ex fonte quodam Britanniæ aqua super vicinum lapidem effunditur, subjungit (*s*): „ Hæc cum „ frater Henricus mihi & multis aliis recitaret, quæsivi, unde ista „ fieri potuissent? Et respondit, quod *arte magica ignota modo hominibus* (*t*) & ministerio dæmonum, qui ad tempestates & pluvias „ aera possunt impellere, & concitare, cum volunt, *occulto tamen Dei judicio permittente* (*u*) „. Plane ita cernimus oceanum illum fabularum sibi similium ubique narratarum, in Europa nunc quadam philosophiæ specie obumbratarum ingenia quæque optima demersisse, vel incerta saltem, quid statuerent, reddidisse.

CXXXV. Verum utinam modestia illa Alberti, Thomæ, & Cantipratani turbam doctorum Scholasticorum subsequentium in via recta continere potuisset! Profecto isti non minimam habere videntur culpam, quod hæ ineptiæ in carnificinam hominum excreverint. Quum enim hi omnia subtili quadam differendi ratione in probabilitates converterent, & posthabita omni rerum historia, quæcumque ingeniis etiam obscurissimis ad veritatem videbantur accedere, defendere adlaborarent, non est mirandum, si de potestate dæmonis, & permissione divina talia audacter detonarent, qualia ad hanc usque ætatem nemo eruditiorum noverat, fabulis quippe vulgi inter principia ratiocinationum suarum relatis. Ita res, quam vetus Ecclesia credi passa non est, ut illusionem diaboli olim paganis factam, quam Ecclesiæ mentem legislatores profani promovere omni ope studuerant, ut vel ex sola Caroli M. constitutione (§. CXXII. not. *x*.) claret, neque iidem aliter, quam in adjunctis criminibus punire justum duxerant, reliqua, si quæ contra fidem erant, sacerdotibus committendo, vel tunc demum, si homines in istis erroribus paganicis contumaciter per-

U

(*s*) Lib. II. c. 57. p. 560.

(*t*) Hæc nihil est aliud quam delira veterum de rerum & entium proportionibus in se agentibus cogitatio. Certe hoc tempore Cantipratani ignotum fuerat.

(*u*) Additamentum Christianorum quorumdam.

ſeverarent, aut alios ſeducerent, coercendo, ab umbraticis his doctoribus pro reali aliquo & ſui generis facinore venditabatur, quo effectum eſt, ut eorum ſectatores ubique diabolum pactitium intervenire fingerent, & in omnibus vel parumper extraordinariis ſibi viſis actionibus Magiam quamdam ſuo ſenſu deprehenderent (*x*).

CXXXVI. Sed plura adhuc & graviora temporum horum ignorantia mala produxerat, quæ omnia in crimine Magiæ exornando mutuas ſibi manus præbuere, quæque quod ad infelicem illam Epocham, ubi proceſſus magici præparari mox in crudeles flammas erupturi coeperant, deventum ſit, plenius nunc in anteceſſum perſequi oportet. Notum eſt a ſeculo XII. jus civile Romanum revixiſſe in Italia, juventutem vero illuc omnem ejus diſcendi cauſſa confluxiſſe. Excepit id Bononiæ ſtudium juris Canonici, quod ex Decreto Gratiani hauſtum atque diligenter cultum eosdem, quos jus civile promiſerat, honores ſponderet. Doctores hi Jurium ex Italia reduces præclaram quamdam mentientes ſapientiam auctoritate maxima ſupra alios efferebantur. Jam vero textus Jurium quotidie in utroque foro, in omnibus reſponſis adfectantes, quidni ſolo obtutu omnia effaſcinarent? Adlegabant jura & leges, quas ipſi non intelligebant, neque intelligere abſque eruditione adcuratiſſima poterant, audiebant alii æque ignorantes, ſed præjudicio auctoritatis ita capti, ut Jovem lapidem jurarent Magiæ diabolicæ, crimen totam ſaltem Europam jam olim invaſiſſe, omniaque nunc Sagis & Magis plena eſſe pacto dæmoni adſtrictis, per quos homines omnia in orbem mala veniant,

(*x*) Monuit tamen aliqua in Anglia ſeculo XIII. Rogerius Baco Franciſcanus in epiſtola *de mirabili poteſtate artis & naturæ & nullitate Magiæ* ad Guilielmum Pariſiensem conſcripta, quam primus Pariſiis MDXLII. 4. in lucem edidit Orontius Finæus Mathematicus regius cum alio conſimili opuſculo fuſiori Fratris Claudii Cæleſtini *de his, quæ mundo mirabiliter eveniunt, & de influentiis cœli*, inde Oxoniæ 1594. a *Joſepho Barneſio* & 1618. 8. Hamburgi cum adnotationibus *Johannis Dee* edita. *Cæleſtini* ſcriptum contra Aſtrologiam & Magiam pugnat; *Rogerius* vero Apotelesmaticam tuetur vanitatem. Citat Cæleſtinus ſæpius Nicolai Oresmii ſententias, qui fuit præceptor Caroli V. regis Galliæ, cognomine Sapientis, deinde Epiſcopus Lexovienſis, cujusque libellus de *Origine jure nec non mutationibus monetarum* habetur in *Actis publicis monetariis* Thomani ab Hagelstein Aug. V. 1692. P. I. p. 247. ſeqq. ubi & quædam de Auctore notantur.

rurſum ſcilicet legum & romanarum & eccleſiaſticarum ſancitis, quæ nos in ſuperioribus explicavimus, cum fabulis vulgi confuſis.

CXXXVII. Accedit, quod ignorantia, blandientis nimium ignaviæ arx tutiſſima, optima quæque inſtituta inſanabilem in modum corruperit. Quum enim INNOCENTIUS III. P. laudabili fine hæreticæ pravitatis inquiſitores An. 1216. conſtituiſſet, inepta horum hominum ex *publica fama denunciationibus & propriis confeſſionibus* inquirendi ratio effecit, ut quot hæretici, tot paullo poſt Magi procederentur. Modum autem hunc procedendi notant ALBERICUS & GODEFRIDUS COLONIENSIS in *Chronicis* ad An. MCCXXXIII. „ *Magiſter Conradus hæreſim*, ait ALBERICUS, *ita putavit* ex toto deprehendere, ſi teſtes, qui ſe confitebantur aliquantulum criminis eorum conſcios, in illorum abſentia reciperentur, & dictis eorum ſimpliciter crederetur, ita ut ſemel accuſato talis daretur optio, aut ſponte confiteri & vivere, aut innocentiam jurare & ſtatim comburi, & ecce falſos teſtes ab hæreticis ſubornatos adduxit inimicus &c. Et magiſter nulli, quantumvis altæ perſonæ locum dedit legitimæ defenſionis, nec etiam confiteri proprio ſacerdoti, ſed accuſatum oportuit confiteri ſe hæreticum eſſe. Taliter quidam abjudicati maluerunt innocenter cremari & ſalvari, quam mentiri de crimine turpiſſimo „. Et GODEFRIDUS ita habet: „ Et propter veras hæreſes & propter fictas multi nobiles & ignobiles, clerici, monachi, incluſæ, Burgenſes, ruſtici, a quodam fratre Conrado ignis ſupplicio, nimis præcipiti ſententia ſunt addicti. Nam eodem die, quo quis accuſatus eſt, ſeu juſte, ſeu injuſte, nullius appellationis, nullius defenſionis refugio proficiente, eſt damnatus & flammis crudeliter injectus (y) „. Hæc ſcilicet illa erat præclara ju-

U 2

(y) TRITHEMIUS in *Chronico Hirſaugienſi* ad An. 1215. §. ult. addit hunc Conradum de Marpurg *judicio ferri candentis*, *ſi negaſſent hæreſim*, *probare conſueviſſe* poſt alia ſubjungens: „ Fuerunt, qui crederent eum plures innocentes damnaviſſe propterea, quod candens ferrum a peccatis nullum reperiſſet immunem, etiamſi nullius hæreſis umquam infectus exſtitiſſet „.

rifprudentia criminalis medii ævi, quam judices Weftphalici feu Vemici ftrenue propagaverunt.

CXXXVIII. Ifte plane modus etiam in cauffa magiæ ab Inquifitoribus retentus fuit, immo per torturas expreffis confeffionibus ad fummam anomaliam deductus, quem doctiffimus P. Frid. Spee (z) fua aetate minime mutatum fequentibus deploravit: „ Juvabit „ hunc *prætextum repetendæ torturæ* autoritas *Jacobi Sprengeri*, & *Henrici Inftitoris*, qui hæreticæ pravitatis inquifitores a fede Apoftolica „ quondam (1484.) in germaniam miffi fuerunt. Nam hi expref„ fe docent fæpius torqueri poffe non fatentem per modum non qui„ dem *repetitionis* fed *continuationis*. Verba eorum ita habent (*a*): „ *Quodfi nec poterit reus ad terrorem vel etiam veritatem induci*, *tum pro* „ *fecunda aut tertia die quæftionandum erit*, *ad continuandum tormenta*, *non* „ *iterandum*, *quia iterari non debent*, *nifi nova fupervenifſent indicia. Fere*„ *tur coram eo fententia in modum*, *qui fequitur*: *Et nos præfati Judices affi*„ *gnamus tibi tali diem talem ad quæftiones continuandum, ut a proprio tuo ore* „ *veritas audiatur* „. Sic illi nimis præclare. Quis jam judicum male„ volorum non apertum habet oftium faciendi quod velit (*b*)? Non „ *repetemus*, inquient, *torturam*, abfit fane, ut id fine novis maxi„ mifque indiciis faciamus; continuabimus folum alio die, dum veri„ tas elucefcat: fcimus repeti non poffe, eft id contra leges ac ra„ tionem, nolumus tam effe inhumani & crudeles, continuabimus „ duntaxat; continuari enim poffe didicimus, & Autores fequimur „ viros in hac materia verfatos, Inquifitorum munere per Germa„ niam functos Theologos & religiofos: fic igitur illi fe tuebuntur. „ Nefcio, quid dicam! ita viros religiofos ac Sacerdotes loqui poffe „ & ludere in re tam feria? Nam certe irreligiofa hæc mihi crudelitas „ videtur; & vereri incipio, immo fæpe ante fum veritus, ne præ-

(z) In *Cautione criminali* 1631. edita Dubio XXIII. n. 5.

(*a*) In *Malleo Maleficarum* junctim cum aliis Tractatibus *Lugduni* 1669. 4. edito P. III. q. 14. p. 245.

(*b*) Quid? quod errorem fuum tuiti fint judices? *Mentiuntur ajunt vel in ipfo Sacramento peffimæ deceptrices* (*Sagæ*), *in equuleo duntaxat verum dicunt*, *hic decipere non poffunt*. Ita Speus *dubio* XLIV. circa fin.

„ dicti Inquisitores omnem hanc Sagarum multitudinem primum in „ Germaniam importarint torturis suis tam indiscretis, immo inquam „ verissime discretis & divisis „.

CXXXIX. Hic autem recte is etiam modus procedendi erat, quo semper innocentissimi quique perierunt, atque experientia ipsa omnium seculorum edocuit maxima quæque mala orta esse ex illegitimo nempe hujusmodi processu. Exemplum profecto ipse SPEUS triste de Christianis sub Nerone attulerat, qui incendium Urbis Romæ in Christianos innocentes rejecit, quod rumor constans ipsi tanquam autori tribuerat. *Ergo abolendo rumori* Nero *subdidit reos*, scribit TACITUS (*c*) „ & quæsitissimis pœnis affecit, quos per flagitia invisos vulgus Christianos adpellabat —— Igitur PRIMO correpti, qui *Fatebantur*. „ DEINDE *Indicio* eorum *multitudo ingens* haud perinde in crimine in„ cendii, quam odie humani generis *convicti* „. En quomodo ex nihilo longa nascatur injuria! si ex fama, confessione propria tormentis vel severitate procedendi expressa, & confitentium denunciationibus solis procedatur (*d*). Quæ omnia ad crimen Magicæ artis hominibus impingendum haud difficile erat conquirere. Nam fama tales homines dari semper & ubique erat ex demonstratis; mulieres præcipue ipsæ se similium facinorum ex debilitate sexus reas fecerunt, etiam sine tormentis. Adnotat id CANTIPRATANUS (*e*): „ *Incubos dæmones*, „ inquiens, *oppressisse feminas quasdam; alias venereis confabulationibus* „ *ad concubitum illexisse in Confessione pluries audivimus* „. Magistratus inquirentes præjudicium auctoritatis invexerunt, auctum ex variis variorum populorum legibus non intellectis, auctorumque locis antiquorum male adplicatis. His omnibus fama indies crescebat, calumniatores, quos reprimere Carolus M. & alii (§. CXIV. CXVII.) congruum

(*c*) Annal. L. XV.

(*d*) Quas turbas perversa inquisitio in crimen læsæ Majestatis sub variis Imperatoribus in republica romana excitaverit, ex Tacito, Marcellino & aliis abunde notum. SENECA de *benef.* III. 26. *Sub Tiberio fuit accusandi frequens & pæne publica rabies omni civili bello gravior. Excipiebatur sermo, simplicitas: jocantium nihil erat tutum, omnis sæviendi placebat occasio.*

(*e*) L. II. c. 57. p. 546. adde S. *Agobardum* §. 127.

duxerant, confirmabantur in calumniis, denunciationes ex ipsa fama jam satis veritatis adquisivisse videbantur, ita ut nec in earum veritatem amplius inquireretur, auctoritas Magistratuum quotidie major fiebat, adeo ut crimen artis Magicæ vel negare jam esset se magiæ sensu suo suspectum reddere, quin *praxim*, ut ajebant, *ipsius Ecclesiæ* convellere, nemo denique paullulum prudentior audiretur (*f*), suspicionum nempe ac credendi temeritate publica auctoritate stabilita.

CXL. Planxit miserum hunc Germaniæ, immo magis totius Europæ, qua processus hic inductus fuit (*g*), statum SPEUS & præcipue mala calumniarum pessimarum ob oculos ponit singulatim in dubio XXXV. cujus numerum V. exscribam: „ *Ni Magistratus*, „ monebat is graviter, *serio rem hanc* curet, non alia jam ulla via est, „ qua curetur. Una esse poterat, si concionatores & viri spirituales „ in venenatas linguas (detractorum) gladium Spiritus educerent, „ quod est verbum Dei. Sed nunc ea tempora sunt, ut si exscindi „ hæ pestes debeant, opus sit, ut dicat Deus, quod olim, *a sanctuario meo incipite* EZECH. IX. v. 6. Præeunt sæpe detrahentibus „ & susurrantibus viri spirituales & clerici æque incautæ linguæ „ ac ceteri, quos coercere oportebat. Dolor est cordi meo, cum „ audire cogor viros nonnullos etiam religiosos, diffamatæ & apud „ suos & apud exteros credulitatis & garrulitatis, qui quidvis eblaterent sine connexione & judicio, mirifice hic ineptire, & ut quidque uticunque evenerit, omnia incantationibus adscribere. Primi omnium inclamant, non esse dubium, quin hæc a sagis prove-

(*f*) Tristia exempla habet TARTAROTTUS *Congr.* L. I. c. 8. P. SPEUS refert duos Inquisitores ausos dicere, postquam laudatissimi theologi TANNERI Commentarium perlegissent, se eum hominem, si nacti essent, non dubitaturos in equuleum conjicere, videlicet, quod ille prudentissime & solidissime admonet negotia sagarum caute esse tractanda; *indicio*, ut iis visum est, *sufficienti ad torturam. Dubio* IX. rat. 8. & *Dubio* XXXIII. *circ. fin.* Quare & Reis defensores negabantur *ib.* dub. XVII. p. *tot.* Dub. XVIII. coroll. 11. In quam rem ineptissime quidam allegabant l. *quisquis* 5. §. 2. *C.* ad L. Jul. Maj. l. *per omnes.* 6. *C.* de def. civit. cap. fin. *de hæret.* in 6. ubi de criminibus probatis & notoriis sermo.

(*g*) Exempla tristia sunt iterum apud *Tartarottum.*

„ niant , latiſſime ſe effundere hanc luem, & quas opprimere omni „ modo ſuſpiciones debebant, ipſi fovent ; tum deinde, ne non „ aliquid intelligere ac poſſe videantur, legunt exorciſmos, luſtrant „ domos, præbent ſacra amuleta, & in his neſcio, an quædam etiam „ ſuperſtitioſa, certe *a communi Eccleſiæ uſu aliena*, ut nuper de- „ prehendi. Jactant per domos, quæ ſagarum malignitas & conta- „ gio ſit, perpetuas hic reculas & fabellas habent, quas gar- „ riant. Quodſi deinde, quæ naturalia fuere, naturaliter pe- „ reunt, tum demum cum exorciſmis & amuletis ſuis triumphum „ gerunt, ac plebi admirationem, prudentibus riſum cient, qui „ utique non parum ægre ferunt anilem illam in ſpiritualibus viris „ pruriginem detrahendi & garriendi. Quæ hic igitur correctio ab „ iis ſperanda eſt, qui ipſimet præ ceteris correctione habent opus? „ Itaque nuper audio, cum concionator quidam, ut imprudén- „ tes in eo genere ſunt nonnulli, curioſius deduxiſſet, quam occul- „ te ſerperet Magiæ crimen, quamque variæ eſſent ei nocendi „ viæ, & ſimilia; ita omnem urbem cogitationibus & fabulis imi- „ pleviſſe, ut nihil non hominum ac rerum ſuſpectum eſſet, in- „ credibili cum omnium perturbatione & laceratione charitatis & „ ſocietatis humanæ „.

CXLI. Debuerunt hæc ita ſimul proponi, ut origo & pro- greſſio proceſſuum magicorum innoteſceret, atque præparati ad ſe- quentia penitius intelligenda accedamus. Id igitur notandum Seculo XIII. nondum inquiſitores Sedis Romanæ ſibi vindicaſſe cognitionem de Magis. Nam ALEXANDER IV. expreſſim conſtituerat: „ Peſtis „ inquiſitores hæreticæ a Sede Apoſtolica deputati de divinationi- „ bus aut ſortilegiis, *niſi hæreſin ſaperent manifeſte*, intromittere ſe „ non debent, *nec punire talia exercentes*, ſed eos relinquere ſuis ju- „ dicibus puniendos (*h*) „. Ergo Sagæ vel Magi habiti a *Judicibus* „ *ordinariis* ad accuſationem præcedentem puniti recepto tum proceſſu „ accuſatorio. Atque huc pertinet, quod in *jure provinciali Saxoni-* *co* eodem Seculo medio homo privatus partim ex legibus ſupra re-

(*h*) C. 8. §. *ſane* de *hæret.* in IV^to^.

cēnsitis populorum germanicorum, partim ex Romanis decerpsit art. 13. „Welcher Christen Mann oder Weib ungläubig ist, oder mit Zauberey umgehet, oder mit Vergiftniß, und der überwunden wird, soll man ihn auf einer Horden brennen (*i*). Unde claret Compilatorem hunc Magiam ut partem idololatriæ ethnicæ, quæ inter Christianos non debeat tolerari, respexisse, & non aliter puniri voluisse, quam si *nocenter exerceatur* seducendo, vel venenis occidendo. Deferimur ad Seculum XIV. in cujus principio, scilicet 1303. Episcopus Coventriensis in Anglia Romæ multorum enormium delictorum reus factus est, inter quæ etiam illud erat: *Quod diabolo homagium fecerat, & eum fuerit osculatus in tergo, eique locutus multoties*, quod idem deinde mulierculis sagis & Magis habitis sæpe adfictum est. Bonifacius VIII. P. tunc sedens ad has denunnunciationes mandavit inquiri, quumque meras fuisse sycophantias reperiretur, Episcopus plene fuit absolutus (*k*). Deinde occurrit alia Bulla Joannis XXII. qui ab anno 1316. usque 1334. sedit, in qua constituit, ut contra eos, qui dæmones certis cerimoniis magicis ad danda responsa alliciant, per competentes judices ad infligendas pœnas procedatur *præter bonorum confiscationem dumtaxat, quam de jure merentur hæretici* (*l*), manifesto indicio, quod inquisitores Romanæ Sedis nondum contra magos ut hæreticos processerint.

CXLII. Sed paullo post a Doctoribus Jurium & quæsitoribus italicis tota rerum facies immutata est circa medium Seculum XIV. Quare notandum Bernardum Comensem Inquisitorem ex Ordine Prædicatorum, qui circa annum 1510. morte decessit, scripsisse, quod Secta Strigum *pullulare cœpit tantummodo a centum quinquaginta annis citra, ut apparet ex processibus Inquisitorum antiquis, qui sunt in archivio*

(*i*) v. originalia verba germanica veteris Saxonicæ dialecti in editione Speculi Saxonici a Gærtnero data Lib. II. p. 198.

(*k*) v. Bullam Bonif. ap. Rymer. *Act. Public.* T. II. p. 934. quæ data est *VI. Idus Junii Pontif. anno nono Anagniæ.*

(*l*) Non habetur hæc bulla in corpore Juris Canonici, edita a Petro Binsfeldio in fine tract. *de confession. malefic.* edit. Colon. 1623. 8. p. 612. Est autem sine anno data Avinione. Inc. *Super illius specula.*

chivis *Inquisitionis nostræ Comensis*. Ita ille (*m*). Itaque ab Anno 1510. retro computando initium processibus magicis datum invenietur circa An. MCCCL. Inde sciendum Bartolum ingentis tum autoritatis Jurisperitum, qui mortem An. MCCCLV. obiit, eodem fere tempore de femina quadam, quæ pro saga habebatur, consultum eam igni addixisse, cujus consilium, quum admodum notabile sit, integrum heic subjiciam, ut apud *Zilettum* (*n*) exstat. Consultus is fuerat a JOANNE DE PIOTI Episcopo Novariæ (*o*) in ducatu Mediolanensi, domino Oppidi Orthæ & Ripariæ, quid agendum esset cum hac muliere sua subdita, quam ex inquisitorum relationibus depinxerat; cui Bartolus ita respondit:

CONSILIUM DOMINI BARTOLI DE SAXOFERRATO U. J. D.

Mulier striga de qua agitur, sive latine loquendo Lamia debet tradi ultimo supplicio & igne cremari. Fatetur enim Christo & baptismati renunciasse, ergo debet mori juxta dictum D. N. J. Ch. apud Joannem c. 15. Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum & in ignem mittent & ardet. Et lex evangelica prævalet omnibus aliis legibus, & debet servari etiam in foro contentioso, cum sit Lex Dei. C. de sum. Trin. L. cunctos populos. *Item confitetur dicta striga sive lamia se crucem fecisse ex paltis & talem crucem pedibus conculcasse & crucem ipsam dedita opera fecisse, ut illam pedibus conculcaret, suppeditaret, ergo ex hoc solo etiam debet morte puniri* l. nemini liceat signum Salvatoris *&c. ubi tex. & glossa. c.* si Canonici §. ceterum de Off. Ord. *in 6. Ulterius hæc striga confitetur se adorasse diabolum illi genua flectendo, ergo debet capitali-*

X

(*m*) in Tr. de strigibus c. 4. *Mall. Malef.* T. II. P. II. p. m. 114.

(*n*) *Consil. sel. in causis criminal.* edita. 1577. Frcf. fol. T. I. p. 8.

(*o*) Cl. TARTAROT. *Congress.* L. I. c. 7. §. 3. notat hunc Episcopum prætermitti ab UGHELLO in *Italia Sacra.*

ter & ultimo affici supplicio, *cum lege Cornelia de Sicar. teneatur ex Scto*, *qui mala sacrificia fecerit.* tex. ad L. Corn. de Sic. L. ex Scto. *Confitetur etiam pueros tactu stricasse & fascinasse*, *adeo*, *quod mortui fuerunt*, *& de eorum morte constat*, *& matres super hoc dederunt querelas ; ergo ipsa striga tanquam homicida debet mori.* t. t. ff. & C. ad L. Corn. *Audivi enim a sacris quibusdam theologis has mulieres*, *quæ Lamiæ sive* Strigæ *nuncupantur*, *tactu vel visu posse nocere etiam usque ad mortem fascinando homines seu pueros ac bestias*, *cum habeant animas infectas*, *quas dæmoni devoverunt. Et facit illud Virgilii ecl. 3.* Nescio quis teneros *&c. cum poetas allegare sit licitum.* ff. de contr. emt. L. 1. *Sed in hoc ultimo*, *an tactu*, *vel visu possint strigæ seu lamiæ usque ad mortem nocere*, *remitto me ad Sanctam Matrem Ecclesiam & sacros theologos*, *quia in hoc puncto pro nunc nihil determino*, *cum aliæ causæ præmissæ sint sufficientes ut ipsa striga ultimo supplicio detur*, *& ejus bona confiscentur ac publicentur fisco D. Joan. Ploti Episcopi Novariæ domini in spiritualibus & temporalibus oppidi Orthæ & Ripariæ*, *ex quo loco est ipsa striga*, *& habetur in decret.* c. vergenti. de hæret. *ubi pro crimine hæresis bona confiscantur*, *cum sit crimen læsæ Majestatis divinæ*, *sicuti confiscantur pro crimine læsæ Majestatis temporalis*, *etiamsi essent filii catholici ipsius hæreticæ. Sed an ubi ista striga veniat ad pœnitentiam*, *& ad catholicam fidem revertatur errorem suum parata publice abjurare*, *ad arbitrium D. Jo. de Plotis Episcopi Novariæ debeat eidem quoad pœnas temporales & mortem hujus seculi parci ? Et dico*, *quodsi in continenti post deprehensionem erroris revertatur ad fidem*, *& signa pœnitentiæ in ea appareant*, *et tunc eidem debeat parci*, *alias non*, *si timore pœnæ pœniteat.* Hoc *autem D. Episcopi de Plotis & D. Inquisitoris arbitrio collocandum dico* L. 3. *ibi :* tu magis scire potes *ff.* de test. *Ubi autem concederetur eam fuisse homicidam*, *ex pœnitentia non evitaret pœnam mortis hujus seculi* ff. de furt. L. qui ea mente. *Sed ut dixi super homicidio remitto me ad Ecclesiam Sanctam.*

EGO BARTOLUS DE SAXOFERRATO.

CXLIII. Habes heic Lector primum Conamen inquisitorum, quo illi caussam suam reddere bonam adlaborarunt, eandem auctoritate Jurisperitorum firmaturi. Si ipsum Consilium attente lustraveris, advertes in transitu miserrimam plane conditionem jurisprudentiæ criminalis deficiente quadam lege publica criminum vindice, uti in Germania est Carolina &c. quippe Bartolo legem Evangelicam ad pœnas sanguinis accersente, quæ tamen omnis mansuetudinis magistra Clericorum irregularitatis pœnas introduci suasit. Sed videtur auctor pœnas alterius vitæ esse normam pœnarum hujus mundi satis ridicule sensisse. Taceo de legibus romanis adductis, & de auctoritatis Virgilianæ adjumento, ubi Bartolus vix non movet quæstionem, an Poetas adlegare liceat, quasi non potius de aptitudine, quam de licentia ejusmodi adlegationis dubitari debeat. Porro tamen miraberis Bartolum nullam expressam de arte magica mentionem facere, immo manifeste de illo physico animæ mortiferoque influxu, quo Lamiæ mulieres nocere vel inficere credebantur, opinione a græcis (§. LXIX. not. *c*) & Arabibus (§. CLXXXIX.) adducta, dubitasse, præcipue, quum de puerorum morte constare dicat. At videtur aliquid Philosophiæ sanioris olfecisse mortem hanc scilicet posse esse naturalem. Interim Inquisitoribus mire devotus, quos sub *Sancta Ecclesia* intelligit, feminam hanc pro blasphema, immo etiam hæretica, hæreticorumque pœnæ subjacere declarat. Ut tamen iterum clausula salutari, si mulier ad pœnitentiam veniat, consilium suum præmuniat, & ita satis commendet. Interim nec merebatur hæc muliercula tantas iras, quod ea palam fanatica & delira ex eo solo revincatur, quod sibi tam facile persuaserit se pueros solo obtutu occidisse; unde dijudicandæ ejusdem confessiones, quæ omnes principiis humanarum actionum destituuntur. Quare lubentes credimus, quod autores Mallei Maleficarum (*p*) consignarunt, tales mulierculas *in sacramentalibus confessionibus asserere, se nunquam* VOLUNTARIE *adhæsisse, & plura maleficia coactas a dæmonibus* (prout sibi persuaserant) *intulisse;* & quod SILVESTER PRIERAS

(*p*) Part. III. q. 13, p. m. 243.

observavit: *Fidem negant ore, etsi non corde* (*q*). Itaque exuberante Phantasia non dolose peccantes, aut criminum, quae ab aliis audiunt, se insimulantes, jam inde meticulosæ & pusillanimes redditæ, quod se in publico odio vivere intellexerint, pœnam hæretico um hæresiarchisque exæquari minime omnium merebantur. Et tamen Legulejorum importunitas heic non substitit.

CXLIV. Confiscatione enim bonorum, quam Bartolus contra Bullam Joannis XXII. eos, qui *dæmonibus immolant, hos adorant, fabricant, aut fabricari procurant imagines, annulum, speculum &c. magice ad dæmones inibi alligandos &c. & ab his petunt responsa*, sola excommunicatione damnantem (§. CXLI.) invexerat, non contenti, etiam miseris his pœnitentiam prodesse non debere statuerunt. Sic etenim aperte Autores Mallei docent, quod *Strigæ quantumcunque pœniteant, & ad fidem revertantur, non debeant, sicut alii hæretici, carceribus perpetuis mancipari, sed ultimo supplicio puniri* (*r*), quibus paria statuit Martinus Delrio (*s*). Atque hæc jurisprudentia a doctoribus fanaticismo abreptis efficta totam occupavit Europam, donec procedente tempore cum quibusdam aliis hinc inde confiscatio aboleretur (*t*). Posteriores confiscationem tueri volunt ex L. *nullus aruspex* 3. *C.* de Malef. sed præterquam quod mulierculæ nostræ miseræ cum aruspicibus (§. XXXVIII.) non possint componi, in *d. l.* aruspices comburuntur, & illi solummodo, qui aruspicem advocaverit, adimuntur bona. Melius ergo adlegassent Julium Paullum, qui *Lib. V. tit.* 23. *n.* 18. de suo ævo testatur iis, qui libros magicæ artis penes se habuerint, bona adimi. Neque sic vero se expediissent. Ma-

---

(*q*) *De Strigimagarum dæmonumque mirandis* L. II. cap. 1. punct. 3.

(*r*) Part. I. q. 14. in f. Part. III. q. 19. in fin.

(*s*) v. Cl. Tart. *Congr.* L. III. c. 4. §. 5.

(*t*) v. Maurit. *Consil. Kilon.* Part. I. Cons. V. p. 76. & Cons. XXVI. p. 370. Late Joan. Leib in *Consiliis germanicis* editis Frcf. 1666. 4. p. 132. seqq. de confiscatione, quam nec in ulla Saxoniæ parte, nec in Comitatu Hennebergensi nec apud ullum fere protestantem statum receptam fuisse docet. Cf. Harprecht ad §. 5. *Inst. de publ. judic.* n. 397. — 404. Quomodo vero mirabilis illa de testium pœnitentia doctrina se ipsam aboleverit, a nobis libro II. cap. I. exponetur.

gi enim veteres quum omnium hominum classi insidiarentur (§. XXXII. seqq.), partusque in ventre quoque necandos conducerent (§. CIX. not. *m.*), proximum læsæ Majestatis crimini si non idem scelus patrarunt, (cf. l. 12. C. Th. de pagan. & Sacr. sup. in fine §. CV.) adeoque & bonorum ademtione, crimini illi propria & igne puniuntur, quinimmo & CONSCIENTIA artis magicæ, prouti criminis Læsæ Majestatis, summo supplicio vindicatur. PAULL. *ibid.*. & Impp. apud Pariatorem LL. R. & M. Tit. XV. (*u*). Non male ceteroquin ex ipsis placitis illorum Doctorum ratiocinatur FACHINÆUS IX. 87. male feminis strigibus adplicari confiscationem bonorum, hæreseos pœnam, quia & illas majori quam hæreticos pœna prosecuti sint pœnitentiæ scilicet effectum quoque eis negantes. Hactenus responsum BARTOLI, & quæ connexa Doctorum decreta videbantur, nos tenuerunt. Redimus jam ad finem seculi XIV, in quo hominum insanorum de arte magica disputationibus effectum est, ut hujus artis systematica doctrina quæreretur, adeoque quod aliter fieri non poterat, in horrendas propositiones Christiani multi prolaberentur, quas numero XXVII. ACADEMIA PARISIENSIS A. MCCCLXXXXVIII. condemnare necesse habuit (*x*). Aliquas enotabo: „ Quod per artes magicas dæ„ mones in lapidibus aut imaginibus nomine eorum consecratis co„ gere non sit idololatria; quod artes magicæ & similes sint irrationabi„ liter ab Ecclesia prohibitæ; quod Deus per eas inducatur dæmo„ nes compellere suis invocationibus obedire; quod Sancti Prophe„ tæ & alii per tales artes habuerint suas prophetias, & miracula fece„ rint, aut dæmones expulerint; quod imagines de ære vel plumbo „ vel auro vel de cera alba vel rubra vel alia materia baptizatæ & „ exorcizatæ consecratæ secundum prædictas artes & sub diebus cer„ tis habeant virtutes mirabiles; quod dæmones boni sunt aliqui be-

(*u*) Rejicitur inde CUJACII & ALBERICI GENTILIS interpretatio, qui *conscios artis magicæ* sumunt pro *scientibus*, *non exercentibus*, aut *consentaneis*, seu *consociis*.

(*x*) Decretum facultatis Theologicæ paris. *contra superstitiosos errores artis magicæ* est in *Mall. Malef.* T. II. P. II. p. m. 171. Et post WIERII Librum de *præstigiis dæmonum*.

„ nigni, alii omnia ſcientes, alii nec ſalvati, nec damnati; quod „ fumigationes, quæ fiunt in hujuſmodi operationibus convertuntur „ in ſpiritus; quod unus dæmon ſit rex Orientis & præſertim ſuo „ merito, alius Occidentis, alius ſeptemtrionis, alius meridiei; quod „ cogitationes noſtræ intellectuales & volitiones interiores immedia- „ te cauſentur a cœlo, & quod per aliquam traditionem magicam „ tales poſſint ſciri; quod per quaſcunque artes magicas poſſimus de- „ venire ad viſionem divinæ eſſentiæ vel ſanctorum Spirituum &c. „. Quis credat ſe inter Chriſtianos deverſari?

CXLV. Sed & anno vigeſimo octavo ſeculi ſubſequi XV. eadem Academia proſcribere debuit medici cujusdam Montepeſſulani curandi modum, qui ad curandos renes figuram Leonis cum certis characteribus in numiſmate ſculptam commendaverat (*y*). Adparet inde, quod medici pariter in dilatanda opinione artis magicæ nihil deſiderari paſſi ſint, verum ex ignorantia in rebus phyſicis & ineptia in arte ſalutari plurimum etiam uti olim (v. not. *s.* ad §. CXIV.) ita & nunc contribuerint. Confirmatur ex eo, quod tunc temporis infantes rachitide laborantes pro partubus a diabolo ſuppoſitis habuerint, uti Vir præſtantiſſimus Laur. Heisterus palam fecit (*z*). Inter Theologos habemus iterum ſpecimen diſputationis ſcholaſticæ a Monachis in diſtrictu Bononienſi excitatæ, quos Sixtus IV. ait *tantæ temeritatis fuiſſe, ut veriti non ſint diſputando & prædicando aſſerere, non eſſe hæreticum & a puritate fidei alienum dæmonum expectare reſponſa.* Quare Pontifex Vicario generali Bononienſi commiſit, ut omni opportuna diligentia adhibita in horum aſſertores inquirat, & ſibi quæ compererit, quæque ſcandala propterea exorta ſint, fideliter referat. Datum eſt Breve An. MCCCCLXXIV. menſe Junio (*a*). Sed aucta fuit quotidie temporum calamitas. Veſanus inquirendi furor, accuſandi licentia, auctoritates rerum judicatarum, fomes inde ſuperſtitioni humanæ ſuppeditatus, nutritum mutuum, populare odium, exaltatus

---

(*y*) v. *Mall. Mal.* T. II. P. II. p. m. 175.

(*z*) In Progr. ad *diſſ. inaug. de Rachitide* Helmſt. d. 1725. 4.

(*a*) Ap. Petr. Mathei in VII[mo]. Decret. Lib. V. tit. 12. c. II.

demum populorum fanaticismus tam Magiæ plena esse omnia persuaserant, ut remedium malis catervatim enascentibus frustra ab aliis quæreretur, quin hi ipsi, qui contra hiscere auderent, Magiæ quam supponebant diabolicæ suspicionem incurrerent. Inquisitores caussæ suæ servientes rem totam ad ipsum INNOCENTIUM VIII. P. deferunt, eumque flagitant, ut inquisitionem contra Magos sagasque sua auctoritate firmet. Rescribit is, quodsi tales homines reperiantur, eos omnino puniendos esse; qua in Bulla id notare licet, fundamentum Pontificis in eo consistere, hos homines a fide catholica deviare, fidem ipsam, quam in sacri susceptione baptismi susceperunt, ore sacrilego denegare, quam plurima mala instigante diabolo (quod diligenter animadverti velim, nulla enim fit pacti mentio diabolici) procurare & innumera scandala præbere; quæ si revera, ut ab inquisitoribus istis Pontifici suggerebantur, facta fuissent, nemo sanus gravissima castigatione non digna judicaret. Acta sunt hæc An. MCCCCLXXXIV. nonas decembres, pontificatus anno primo (*b*). Bullæ pontificiæ MAXIMILIANUS I. Bruxellis tum degens simpliciter subscripsit, inquisitoresque in suam protectionem recepit An. MCCCCLXXXVI. mense Novembri, regni sui anno mox primo (*c*). Atque ita effectum est, ut inquisitores sedis pontificiæ sibi in crimen magiæ tamquam hæreseos sectam, jurisdictionem, tum vero maxime in Italia privative, ut ajunt, vindicare inciperent, postquam in Germania eorum Officium cum JACOBO HOCHSTRATANO, vergente ad medium seculo XVI. exspirasset, in qua deinceps ordinarii locorum judices soli, methodo tamen ab Inquisitoribus inducta de eo cognoscebant.

CXLVI. Hoc loco non incongruum duxi speciatim de Austria aliquid adferre. Scribunt auctores Mallei (*d*) in hæc verba: „ Fuerunt maleficæ dudum ante XXX. Annos in confinibus Sabau-

---

(*b*) Bulla exstat ap. PETR. MATHEI l. c. c. 4. sed sine Anno, qui desumi debet ex Adprobatione Universitatis Coloniensis *Malleo Maleficarum*, inquisitorum horum foetui, subjuncta.

(*c*) Hoc idem in dicta *adprobatione* notatur.

(*d*) Part. II. q. 1. c. 2. p. m. 105.

„ diæ versus dominium Bernensium, ut recitat Nider (*e*) in suo „ Formicario; nunc autem in confinibus Lombardiæ versus domi„ nium ducis Austriæ, ubi & Inquisitor Cumanus uno anno quadra„ ginta & unam maleficam incinerari fecit, & fuit Anno Domini „ MCCCCLXXXV., qui etiam adhuc continue inquirendo labo„ rat „. Addunt alibi (*f*) *certas alias ad dominum Archiducem Au*„ *striæ* SIGISMUNDUM *fugam* capessivisse. Quum vero autores mallei An. MCCCCLXXXVI. tristissimum hoc opus consarcinaverint, patet circa hos annos primam ex vicina Italia Sagarum Stragem in Tirolim penetrasse; fuit etenim SIGISMUNDUS Tirolensium princeps; quem etiam laudant iidem, quod *revera uti catholicus princeps & præcipuus zelator in exterminium* maleficarum *cum assistentia reverendissimi ordinarii Brixiensis non mediocriter laboravit* (*g*). Attamen sagax hic Princeps, quæ in deplorabili hac caussa egit, nonnisi communi torrente victus, postquam prius his mulieribus asylum dedit, egisse dicendus est. Longe enim alia ipsi mens sederat, & sapientiores volverat cogitationes, quas, si iis quid promovere potuisset, profecto non suppressisset. Ausus tamen est eas exponendo dubitandi prudentioribus occasionem suppeditare, ut per dubitationes ad veritatem pertingerent. Itaque sententiam suam dicere consultum duxit per ULRICUM MOLITORIS studii Papiensis decretorum doctorem (non credo fuisse Professorem Papiæ, quod Cl. TARTAROTTUS scribit, sed, ut tum mos erat, Juris Canonici ibidem doctorem creatum) & curiæ Constantiensis caussarum patronum. Hic principis egregii cogitationes in formam dialogi redegit, ea tamen arte, ut semper reliqui duo collocutores, videlicet ipse ULRICUS & CONRADUS ESCHAZ civitatis Constantiensis plurium annorum prætor ex præjudiciis communibus SIGIS-

MUN-

(*e*) JOAN. NIDER Ord. Præd. Suevus jam sub initium Seculi XV. Inquisitor, cujus Formicarii *liber quintus* insertus est Malleo. Vidi ego libri sequentem editionem literis monachalibus f. l. hoc indice: *Formicarius Joannis Nyder theologi profundissimi pulcherrimus Dialogus ad vitam Christianam exemplo conditionum Formice incitativus, historiisque Germanie refertissimus.* Argentine 4. Præfationem præmisit JACOBUS VYMPFELING ad *Heinricum de Hewen* antistitem Curiensem Argentinensis Ecclesiæ Custodem thesaurarium & Archidiaconum.

(*f*) P. I. q. 11. p. m. 68.

(*g*) P. II. q. 1. c. 12. p. m. 151.

MUNDI dicta videantur convellere, quod ita temporis circumstantiæ exegerant (*h*).

CXLVII. Volupe interim est legere plenas sanæ vividæque mentis, plenas rationis & consilii objectiones, quibus SIGISMUNDUS utitur. Dialogus duodecim capitulis absolvitur, eumque sub Sigismundi ejusque *sapientissimorum consulum, præsertim clarissimi viri Conradi Sturzel U. J. D.* & principis secretarii (*i*) *correctione* se confecisse testatur Ulricus, a quo se *eloquentiæ emolumenta jurisque sententias suxisse* profitetur. Videamus specimen eruditionis illorum, qui tum Magiam defendebant! C. I. CONRADUS sagas probat 1) ex fama juxta proverbium Philosophi *ut fama, quam omnes famant, non omnino perdatur.* 2) ex confessionibus earum in tortura factis. SIGISMUNDUS reponit famæ se non intendere, neque confessioni tortuali, sed rectam disputationem auctoritate & ratione concludi; & se, *quod maleficæ mulieres nihil sciant*, eo moveri, quod alias 1) principes non opus haberent *temporibus belli clientulos militesque conducere*, sed *satis es-*

Y

(*h*) Editus est hic dialogus literis monachalibus in 4. sine loco & anno sub titulo: *De laniis & phitonicis mulieribus, teutonice* Unholden *vel* Hexen Constat 7. phil. & 6. figuris ligneis, quæ deliria de sagis communia risui, ut videtur, exhibent. Annus editionis ex conclusione elici debet. Ita enim finit ULRICUS: „ Accipe igitur gloriosissime Princeps hanc disputationem „ hujus tractatus, quem ad honorem tue „ Excellentie & *bonarum mentium serenationem* sub tue Celsitudinis emendatione elaboravi. Et si quid minus officiose elaboratum, & seu a tramite veritatis deviare inveneris, illud ignorantie mee „ potius quam presumtuositati attribue, „ & me servulum tuum commendatum graciliter suscipe. Vale igitur felix eternum „ patrie decus, deoque ac omni populo „ amabilis colendissime Princeps. Ex Constantia An. D. 1489. die decima Januarii. Tue Celsitudinis humilis Consiliarius & servulus Ulricus Molitoris de „ Constantia decretorum D. „ Videtur hinc iste tractatus eodem anno post mensem Januarium editus. Post hanc antiquiorem editionem non vidi quam illam, quæ elegantibus typis *Parisiis* ap. *Ægidium Corrozet* An. 1561. 8. prodiit, quam germanica per *Conradum Lautenbach* versio cum *Lamb. Danæi dialogo de Veneficis* Frcf. ad Mœn. 1576. edita excepit, immo eodem anno, addito *Jac. Vallichii* libello Colon. & rursum Colon. 1595. 8. dialogus noster *de lamiis & Pythonicis* lucem aspexit. Recusus in collectione tractatuum Malleo Maleficarum adjunctorum Lugduni 1669. 4. T. II. P. I. p. 17—44., sed clausula, quam ex prima editione exscripsi, mutilus.

(*i*) De hoc invenio inter carmina SEBASTIANI BRANT Basil. 1498. 4. *opera & impensis Joh. Bergmann de Olpe* fol. *g. ii.* carmen ad *clarissimum Rhomanorum Regis Cancellarium Dominum Conradum Sturtzel jurium interpretem præstantissimum de monstruoso partu apud Vormaciam An. D.* 1495. 4. *Idus Sept. edito.*

ſet mulierem talem pythonicam advocare, *eidemque ſalvum conductum addicere & hortari*, *quatenus ſuper hoſtium terras grandines*, *fulmina & tempeſtates provocaret*. 2) quod ex fide certum ſit, ſolum Deum ſtellarum & elementorum gubernatorem eſſe, non igitur mulieres lamias adjutorio dæmonum illum ſummum motorem poſſe in ſuo motu impedire. Conradus excipit, quod in Scriptura Exodi c. 7. maleficos aquam in ſanguinem vertiſſe, & agros ranis confudiſſe, quod Job c. 1. legatur diabolo procurante ventum vehementem irruiſſe a regione deſerti, & oppreſſiſſe liberos Jobi, quod (hæc vero nova interpretatio gloſſæ fuit,) quatuor Angeli ſtantes ſuper quatuor angulos terræ tenentes quatuor ventos, ne flarent, memorati in *Apocal. c. 7.* ſint diaboli, quæ ſententia jam rejecta fuerat ab Academia Pariſienſi (§. CXLIV.). Sigismundus miratur diabolos appellari Angelos, & dicit, forte ibi tantum Johannem narrare viſionem ſuam, & dare nobis ſuæ viſionis exempla, reclamat Conradus: „ Digniſſime Princeps non opus eſt exemplis, dum res ante oculos „ exiſtit, ut audiſti a Maleficis coram Pharaone & a geſtis Job „ atque ſic ab actu ad potentiam argumentum ducendo finit Capitulum.

CXLVIII. Capitulo II. abſurdas fabulas de nocumentis infantibus illatis, contracturis & claudicatione per maleficia procuratis, & de impotentia coeundi inducta ex detortis Patrum textibus, ex Can. ſi per ſortiarias (§. CXXVIII.), cujus auctorem faciunt *Hincmarum Papam*, ex *legenda SS. Simonis & Judæ*, ex aſſertionibus Medicorum tunc viventium Ulricus & Conradus Archiduci naturæ curſum non facile impediri poſſe contendenti demonſtrant. C. III. Mulieres has non poſſe humanam faciem in alias formas mutare ex Can. Epiſcopi 26. q. 5. Sigismundus probat, ſed Conradus ex Ulyſſis & Circes hiſtoria, ex hiſtoria Sancti Clementis (quæ nihil eſt, quam peſſimi impoſtoris fabula, Seculo III. conficta v. §. LXXXXI. C.), ex Auguſtino (*k*), qui referat humanam opinionem eſſe, quod quadam arte & poteſtate dæmonum homines converti poſſint

(*k*) L. de *ſpiritu & anima*, qui eſt ſuppoſititius.

in lupos, ſed alibi (*l*) easdem *ludificationes dæmonum*, ut ipſe adpellat, per fabulas nempe ex gentilitate ſuperſtites, in Italia ſe *audiviſſe* teſtatur, denique ex VINCENTIO BELLOVACENSI Archiducem ita confundit, ut hic *ſe ſanctis hiſtoriis & auctoritatibus impelli, ut neſciat, quorſum ſe vertat*, profitendo caput claudat. Ad eundem modum totus decurrit dialogus, ubi illud tamen ſingulare occurrit, quod cap. 7. modum, quo maleficæ tempeſtates ciere dicebantur, ULRICUS ita explicet, ut dicat, diabolum, quando futuram prævideat tempeſtatem, tunc ſagas impellere ad faciendum ea, quæ procurandæ tempeſtati ſtulta ſe facere edicunt, quod demum itinera ſagarum nocturna pro ſomniis & illuſionibus habeat, diabolum vero ſive ut incubum ſive ſuccubum nullo modo generare poſſe non contemnendis argumentis evincat. In fine concludit: „ Quamvis *effectualiter* hujusmodi mulieres *nihil efficere* poſſunt, nihilominus tamen „ inſtigante diabolo tales mulieres vel ob deſperationem vel paupertatem, vel odio vicinorum vel alias tentationes per diabolum, „ quibus non reſiſtunt, a vero & piiſſimo Deo recedentes ſeſe diabolo devovendo ac eundem colendo apoſtatant hæreticam pravitatem ſectantes „; unde eas de jure civili, ut apoſtatas, morte plecti debere contendit ex L. *Multi C. de Mal. & Math.*, quam legem, neſcio, cur in rem ſuam citet, niſi forte ex perverſa leges romanas allegandi conſuetudine.

CXLIX. SIGISMUNDUS A. Æniponte in palatio ſuo (*m*) e vivis ſublatus eſt An. 1496. & Maximilianum I. Cæſarem, patruelis filium bonorum, neque tamen ſuæ hac in parte ſententiæ heredem reliquit. Hic enim Imperator, maximi quamvis alias ingenii (*n*), poſtquam jam An. 1486. bullam Innocentii & Inquiſitores in protectionem recepiſſet, (§. CXLV.) a JOANNE TRITTHEMIO philoſophiæ illius magicæ ſtatore librorumque eo pertinentium (*o*) lecto-

(*l*) L. XVIII. de C. D.

(*m*) Miror Jo. WIERUM in *ep. dedic. Op. de præſt g. dæm.* hunc Sigiſmundum facere Regem Bohemiæ.

(*n*) v. quæ de eo late dixi im Verſ. von d. öſter. Gel. p. 81—132.

(*o*) Ingentem horum librorum vetuſtiſſimis auctoribus ſuppoſitorum numerum recen-

re adſiduo adeo in transverſum abripi ſe paſſus eſt, ut inter artes addiſcendas etiam hujusce notitiam theoreticam ſibi comparandam ſtatueret, id quod ex ſubſcriptione figuræ unius ligno inciſæ ad librum Maximiliani Cæſaris *Album Regem (p)* dictum pertinentis didici, qualium figurarum cum aliis ſola penna delineatis proxime, ſi mors Maximiliani non præpediviſſet, ejus auſpiciis ligno incidendis plurimas mihi vidiſſe contigit. Figura ipſa repræſentat Maximilianum, cui adſtat Sacerdos procul dubio Tritthemius, ex altera parte vetula & dæmon (*q*). Subſcriptio autem eſt: **wie er die ſchwarze Kunſt lernt.** Quamquam hic mos regum iſtius ætatis videtur communis fuiſſe, nam & Mathiam Corvinum regem Hungariæ inter ceteros Eruditos in aulam ſuam etiam *Magos* accerſiviſſe teſtatum reliquit Bonfinius (*r*). Ceterum, quod de Tritthemio aſſerui, id clare lucet ex libro VIII. *quæſtionum, quas illi ſolvendas propoſuit Maximilianus* (*s*), quemque Tritthemius conſcripſit An. MDVIII., ubi quæſt. V. *de reprobis ac maleficis*, quæſt. VI. *de poteſtate maleficarum*, quæſt. VII. *permiſſione divina* agit, & quaſi rationem doctrinæ ſuæ Maximi-

---

ſet Tritthemius in *Antipalo Maleficarum*. Omnium notiſſima eſt *Clavicula Salomonis* recenſita a Schelhornio *Amœnit.* T. III. p 170.

(*p*) Verus hic eſt titulus libri hiſtoriam Friderici & Maximiliani continentis, non quod olim l. c. p. 87. ſuſpicatus ſum: *Sapiens Rex*. Docuit me id citata figurarum collectio, de qua alia forſan occaſione ediſſerere dabitur, ubi & aliis Regibus tales tituli imponuntur heraldici; nam Rex Galliæ vocatur der Blaue König, rex Angliæ der rothe, Mathias Corvinus der grüne König &c. Noto interim hanc collectionem extare ap Ill. D. de Gundel cancellariæ imperiali ab expeditionibus Latinis Referendarium.

(*q*) Pictura hæc inde declarari poteſt, quod ad magicum effectum conſequendum communiter requiſita fuerint, 1) Vetula malefica, 2) dæmon, qui opem ferat, 3) permiſſio divina *Mall. Mal.* P. I. q. 2. *Tritthemius* in L. mox citando quæſt VI.

(*r*) *Hiſt. hung.* Dec. IV. L. VII. p. 459. adde aulam Friderici II. ex §. 133. Galliæ & Angliæ ex §. 154. Cognitionem vero artis magicæ haurire non ſolum bonum eſſe, ſed & ſuadendum ad magorum miracula a miraculis Chriſti diſcernenda late ex Antiquis deducit Floerk. *de crim. conj. ſpir.* C. VI. §. 17. not. **** p. 246. ſeqq. Quid quod olim Toleti, Hiſpali, Salmanticæ & in Italia artes magicas publice expoſitas fuiſſe ſcribant! Tart. *Congr. nott.* p. 396. Delrio D. M. L. II. q. I.

(*s*) v. nos de hoc libro l. c. p. 54. quibus addo nunc eundem in germanicam linguam translatum eſſe ab Hieronymo Ziegler o Prof. Ingolſt., editum Ingolſt. 1555. 4. dedicatumque *Annæ Palatinæ Rheni, duci Bavariæ, Archiduci Auſtriæ.* Denique quæſtiones illas de maleficis ex eo extractas ſeparatim editas fuiſſe cum aliis ejusmodi ſcripturis a Carmelitano F. Io. Meyenberg Frcf. ad Mœn. 1585.

liano traditæ reddere videtur; cujus ut inpræsentiarum rationem habeamus, summa capita enotasse juvat. Primum itaque de pacto diabolico ita philosophatur: „ Voluntatis, ait, rectitudine bonis „ spiritibus efficimur similes. Et sicuti bonæ voluntatis consummatio homines spiritibus pares facit angelicis, ita perversitas impiorum eos similes reddit dæmonibus. Similitudine vero amicitiæ „ familiaritas introducitur, ex qua paulatim confidentia mutua generatur. Ex confidentia minoris in majorem nascitur imperium, „ sive sit verum, sive astutia simulatum. Imperant dæmonibus homines mali, quos illis malevolentia similes, similitudo familiares, „ & familiaritas fecit proprios ac subjectos. Quemadmodum si magno principi servorum quispiam humili natus loco diuturna familiaritate conjunctus imperare dicatur, a quo totum quod postulaverit, sine contradictione assequitur, ut magis ipse dominum „ regere, quam ab eo regi videatur. Unde quidquid a dæmonibus sibi ex compacto *implicito* vel *explicito* concurrentibus expostulaverint, accipiunt, nisi quoties ordinatione divina prohibiti „ præstare nequeunt, quod petitur. Nec tamen passim reprobis „ & malis concurrunt hominibus, sed illis dumtaxat, cum quibus „ interveniente compacto aliqua fœdera inierunt, ut sunt maleficæ „ mulieres, quæ homagium præstitere diabolo, & invocatores illi „ dæmonum, quos usitato vocabulo necromanticos vulgus nuncupat. „

CL. Ecce novam a summo artis magicæ magistro distinctionem adprobatam, *maleficorum*, & *necromanticorum*. Quid vero sunt Necromantici? Respondet TRITTHEMIUS: „ Qui pollicentur se „ dæmones in circulum posse convocare, veluti crystallum, sive „ vas aliud inclusos palam visibiles ostendere, ut ad omnia interrogata distincte respondeant. Hi, ut in obsequium sibi dæmones „ alliciant, sacrificiis turpissimis plerumque utuntur, & expressum „ cum iis ineunt pactum; multos variosque libellos circumferunt „ spurcitiis impietate ac mendacio plenos veterumque philosophorum & sapientum nominibus fallaciter inscriptos „. Conjicit ergo summa imprudentia in unam classem hominum, qui dæmonibus imperare possint, & fere æquiparat 1) eos, qui merito sanctitatis

Deo dilecti potestatem ab ipso conculcandi caput antiqui serpentis acceperint, velut Apostoli, aut eorum discipuli 2) in Ecclesiæ ordinibus constitutos, exorcistas, 3) maleficas, quæ pacta ineant, & *professione solemni præmissa in jus proprietatis, perpetuumque obsequium dæmonum alicui semetipsas tradunt*, vi cujus non est morbus, *quem permittente Deo non possint inducere*, 4) necromanticos. Si quis forte vellet objicere, non esse verosimile Deum in Ecclesia sua id admissurum, occupat: „ Quamvis plures in Ecclesia Dei sint homines constituti, „ quorum justitia multis proficit ad salutem, paucissimi tamen usque „ adeo nostris temporibus proficiunt, ut propter sanctitatis meritum, vel metuendi sint dæmonibus, vel in consortium familiaritatis recipiantur ab Angelis „. Denique nullo auctore allegato (sed est is Mich. Psellus (*t*)) tanquam ex tripode, uti in toto libello, sic & postea dæmones certis inter se gradibus distare ratione locorum, in quæ cadentes a principio sint detrusi, proponit. Primum igitur, *Leliurium* Psello, adpellat *igneum*; sed hos propter subtilitatem *non posse inducere corpus grossum* ait, unde eos negat habere cum maleficis commercium, II. *aereum*, III. *terrestre* cujus classis alii in silvis, alii in nemoribus, in campis, cavernis alii, alii cum hominibus in obscuro morari delectentur, IV. *aquaticum* die Wasserfrawen, qui diversarum assumant species bestiarum, V. *subterraneum*, qui affectione sint pessimi, hiatus terræ efficiant, ventos flammivomos suscitent, fundamenta ædificiorum concutiant, metum & admirationem hominum quærant, nec tamen cum maleficis conversentur, VI. *lucifugum* genus dæmonum inperscrutabile, passionibus frigidis agitatum, malitiosum, quod & *homines quosdam flatu interficiat*, ex quibus autem omnibus *aereum maxime ad maleficia fæminarum occurrere consveverit*. Quamquam Tritthemius hæc omnia bona fide conscribillet, & cuncta *Ecclesiæ judicio* se submittere dicat, nihil tamen impedit, quin illi ineptæ temeritatis dica scribatur (*u*).

(*t*) In dial. *de operatione dæmonum*, ubi Psellus a Marco quodam Chaldæorum doctrinis innutrito, qui abjurata magica vanitate ad Christum conversus fuerit, se eam traditionem accepisse refert.

(*u*) Hominem ceteroquin nullius judicii

CLI. Properantibus ad finem Seculi XV. occurrit Bulla ALEXANDRI VI. qui præfuit ſedi papali ab An. 1492. uſque ad An. 1503. qua inhærendo conſtitutioni INNOCENTII VIII. (§. CXLV.) mandat Inquiſitori hæreticæ pravitatis per Lombardiam, ut ipſe & ejus ſucceſſores in Magos utriusque ſexus inquirant (*x*). Pergimus ad ætatem ſubſequentem, ſeculum nempe XVI. ſub cujus initium LEO X. P. in concilio Lateranenſi partem diſciplinæ Eccleſiæ veteris revocando hunc Canonem adprobavit. „ Cum ſecundum leges civiles „ & ſacrorum Canonum cenſuras ſortilegia per invocationem dæmo„ num, incantationes ac divinationes ſuperſtitioſæ prohibitæ ſint, ſta„ tuimus, decernimus & ordinamus, ut clerici, qui in præmiſſis „ culpabiles inventi fuerint, arbitrio ſuperiorum infamia notentur, „ ſi vero non deſtiterint, deponantur, atque ad monaſterium, ad „ tempus arbitrio ſuperioris præfiniendum detrudantur, beneficiis„ que eccleſiaſticis priventur. Laici vero utriusque ſexus excommu„ nicationis & aliis pœnis juris tam civilis quam canonici ſubjaceant (*y*). Poteſt hic Canon recte explicari, ut ſi qui errore paganorum involvantur (§. CXXXII.), eidemque inhæreant, aliosque inde ſcandalis variis ſeducant, ad mentem veterum Legislatorum tam eccleſiaſticorum quam profanorum hactenus demonſtratam ſalubribus pœnis afficiantur: neque ergo comprehenduntur mulierculæ deliræ, viri melancholici, inſulſe ſtupidi, & in intellectus tantum errore verſantes, qui homines Magorum Sagarumque nomine traducuntur, aut ineptis proceſſibus juridicis dictis, ut tales depinguntur, ſcholaſticorum denique umbraticis doctrinis infamantur. Ceterum LEO Pontifex ſuggeſtionibus inquiſitorum iterum motus peculiari conſtitutione ad ordinarios & inquiſitores dominii Veneti, ADRIANUS VI. ad Inquiſitorem Comenſem, SIXTUS V. JULIUS II. & CLEMENS VII. An. 1524. ad alios veſtigia Innocentii VIII. preſſerunt (*z*). Quæ

ſuiſſe præter alia oſtendit ejus *ſteganographia*, & liber *de poteſtate ſeptem ſpirituum*, ubi ex Cabbaliſtis ſeptem angelos planetis ſeptem præficit, qui alterno gubernationis ſuæ tempore qualitates varias inſtillent in homines & res terreſtres.

(*x*) ap. *Petrum Mattheum* L. c. c. I.

(*y*) Exſtat hic Canon ap. *Petr. Mattheum* l. c. C. V.

(*z*) v. bullas horum Pontificum ap. *Mattheum*, *Petr. Binsfeld.*, *Barth. Spina* Quæſt. de Strigib. c. 3.

tamen omnes bullæ ſupponentes factum haud tamen probantes nihil concludunt in cauſſa noſtra, quum ipſi Pontifices pridem docuerint ſe *patienter ſuſtinere*, *ſi non fiat*, *quod prava* ipſis *fuerit inſinuatione ſuggeſtum* c. 5. X. *de reſcript.*, *aut ſine ſcandalo ſervari non poteſt* c. 6. X. *de præb.* quibus addatur c. 6. X. *de frigid. & malef.* ibi: *ſententiam divortii per errorem licet probabilem novimus eſſe prolatam*, *cum pateat ex poſtfacto.*

CLII. Tandem CAROLUS V. in conſtitutione criminali in Comitiis Ratisbonenſibus an. 1532. per Imperium Romanum publicata proceſſum in Magos videbatur confirmaſſe; ſed, quod bona fortuna evenit, uſus talibus conſiliariis, qui ipſi non ſciverant, quid rei Magia eſſet; id quod ad oculum patet legenti articulos 44. 52. 109. illius conſtitutionis, ubi de ſic dicta Magia agitur. Nam in artic. 44. & 52. committunt circulum vitioſum, quod jam obſervavit inſignis JC. Jo. PAUL. KRESSIUS (*a*), dum de indiciis magi ita præcipiunt, ut eorum concluſio eo redeat: Res ſuſpectas, quæ ex fabulis vulgi ibidem hauriuntur, facere ſuſpectum, qui jam ſuſpectus eſt; ut proinde homo fiat ſuſpectus per RES & HÆ viciſſim per hominem. Deinde art. 109. partim ex (*b*) ſpeculo Saxonico (§. CXLI.) partim ex Lege Conſtantini M. (§. CII.) repetunt diſtinctionem inter Magiam alteri *noxiam*, & *innoxiam*, illam igne, hanc arbitrariis pœnis coerceri jubent, quod idem eſt, ac illud, quod omnes veteres legislatores prohibuerunt, *ne nocenter exerceantur*, abſque eo tamen, ut illi Magiam quamdam ope diaboli pactitii nocentem vel ſomniaverint. Scilicet hoc pacto articulus hic generatim loquitur, quum potius effectum noxium, quam cauſſam efficientem punitam velit, unde & BEYERUS (*c*) collegit ſufficere ad pœnam Carolinæ incurrendam, ſi damnum occulta periculoſaque ratione datum ſit, licet diaboli concurſus oſtendi nequeat; qui ſane numquam juridice demonſtrari poterit. Alteram quam Carolus determinat Magiæ

(*a*) ad Art. 44. §. 11. p. 147.

(*b*) Speculum enim hoc conſuli conſueviſſe in Carolina condenda probat id, quod habet KRESSIUS in *præfat.* ſui *Commentarii* §. 21.

(*c*) In *delineat. Juris. Crim.*

giæ nempe *innoxiæ* speciem recte applicueris ad omnes præstigiarum superstitiosarum classes, quibus aliis pessimae errorum & scandalorum occasiones suppeditantur, v. g. quod hodie jactatur fest, unsichtbar, gutes Wetter machen &c., unde etiam nutritur otium, labores necessarii impediuntur, quæ cuncta in foro externo arbitrarie puniri interesse censuit Carolus, postquam Constantinus M. jactationes ejusmodi superstitiosas cujuscunque conscientiæ aut sicut Carolus M. Sacerdotibus castigandas (§. CXXII.) relinquere maluit, nec finem reipublicæ profanæ aliud quidquam exigere judicaverunt. Ceterum miseranda sunt interpretum ad hunc Carolinæ locum ex dæmonographis philosophumena, quibus rem omnem ita intricant, ut tandem cuncta legendo, quid Carolus voluerit, extricare nequeas. Quid? quod eum non omnes magiarum classes exhausisse vociferentur, propterea quod intermiserit agere de Magis pactitiis, succubis, & incubis, quas tamen nenias Cæsar & ordines imperii non crediderunt, vel certe in foro criminali nullum locum habere existimarunt (*d*).

CLIII. Atque hoc ipso, quod legum notitiam profitentes Carolinæ constitutionis textum perspicillio dæmonographorum perscrutati sint, & propria somnia in eum intrudendo illam etiam cautionem, quæ alias a Carolo in effectu criminis noxii, seu corpore delicti, atque in nexu indiciorum indagando vehementer commendatur, posthabuerint, effectum est, ut hæc lex prorsus elumbis redderetur, quæ si observata fuisset, saltem multos processus exstinxisset, plurimos innocentes salvasset; & sic tamen ad veritatem indagandam deduxisset. Vidit jam An. 1556. hoc & planxit judicum inquirendi, puniendique Cacoëthes egregius Medicus Joh. Wierus (§. LVIII.) qui exscriptis Carolinæ articulis latinis, sed non eodem ordine, quo hodie leguntur (*e*), hæc commentatur: „Via „autem, ait, qua jam proceditur, multo est alia, dum solum ex „maliciosa accusatione vel falsa aut imperita suspicione ineptæ rudis-

(*d*) v. Kressius ad art. 109. §. 6. p. 296.

(*e*) Nam hodie sunt articuli ad rem nostram spectantes numero 21. 44. 52. 109. Wierus vero citat numeros 17. 35. 42. 98. in libro VI. *de præstig. dæm.* c. 4.

„ que plebis vetulæ a diabolo delusæ — in terribiles latronum speluncas — a præfectis conjiciuntur, & mox crudelibus tortoribus excarnificandæ traduntur, excogitatis multifariis ineffabilium tormentorum modis tyrannide non toleranda. Nam velint nolint, sint & innocentissimæ, non tamen a cruenta hac carnificina desistitur, quam delictum illæ confiteantur „ (*). Quippe non adeo præclare cum hominibus agitur, ut plerique ex abysso quadam fanaticarum & pestilentium opinionum, in qua hactenus per integra duo secula latuerant, emergere necessum esse duxerint. Inde vero facile ad auctores plurimos illos argumentari dabitur, qui doctrinam de Magis, Sagis horumque processibus defendere hoc seculo susceperunt, quos sive Theologos, sive JCtos, seu Medicos aut denique Philosophos (*f*), qui jam dudum Philosophiæ platonico-cabbalisticæ per MARSILIUM FICINUM introductæ adsueverant enthusiasmoque etiam astrologiæ judiciariæ ad quævis devia abripiebantur, legas, nescias profecto, an anus deliras & ἄνυς an viros deprehendas; adeo omnia sine discrimine coacervant, & veteres & novas infimæ plebis fabulas, Philosophorum ethnicorum immo & Poetarum commenta, recentiorum imitationes, textus verbi divini, & jurium scriptorum impudenter ad opinionem suam detorsos. Hæc sunt, quæ cordato illi & probo Religioso P. SPEE sequentem confessionem expresserunt: „ *Id ex animo*, ait is, *pronuncio*, nescire me a multo tempore, quid autoribus istis, quos antehac proliciente curiositate lectitare & æstimare solebam, *Remigio*, *Binsfeldio*, *Delrio* ac ceteris in ulla re fidei possim adjungere; cum omnis fere eorum de

(*) Eundem agendi modum suo tempore servari conqueritur P. SPEUS dub. 44. in *fine* & passim. Neque alium ab introductis his processibus adhibitum fuisse, vel adhiberi potuisse manifestum fiet libro II.

(*f*) Exemplo sufficit unus HENR. CORN. AGRIPPA, qui satis nugax fuit, ut magiæ & Philosophiæ veterum compendium conficeret ex *Porphyrio*, *Jamblicho*, *Proclo*, *Psello*, *Ficino*, aliisque, in libris, quos edidit, tribus *de Philosophia occulta*, quorum illum tamen in ætate provectiori pœnituit scribentem postea in L. *de vanitate scientiarum* c. 48. p. 189. edit. Frcf. & Lips. 1714. 12. „ De magicis scripsi ego juvenis adhuc libros tres amplo satis volumine, in quibus quidquid tunc per curiosam adolescentiam erratum est, nunc cautior hac palinodia recantatum volo, permultum enim temporis & rerum in his vanitatibus olim contrivi „. Plura ejusmodi sunt in Agrippæ operibus pœnitentiæ suæ testimonia. Ex his tamen libris multi errorum tristissimorum occasionem arripuerunt.

„ sagis doctrina non alii imposita fundamento sit, quam vel NARRATIUNCULIS QUIBUSDAM vel CONFESSIONIBUS PER TORTURAS EXPRESSIS. Novit DEUS, quot gemitus ex imo corde deductos effuderim, cum hæc mecum etiam noctibus persæpe vigilans attenderem, nec tamen modus occurreret, quo tantisper sistere liceret opinionum vulgarium torrentem, dum absque præjudicio & depravato affectu rem altius repetere hominibus luberet! (g) „.

CLIV. De Gallia testatur BAYLIUS (h) aulæ Francicæ mirum in modum illusisse curiositatem magicam ab eo tempore, quo Regina CATHARINA e domo Medicea ejusdem gustum eo intulit, adfertque MEZERÆI, ejusque auctoris, qui *diarium Henrici III.* gallicum edidit (i), testimonia; quibus constat Catharinam supra id, quod dici possit, ariolis & sortilegis credulam se præbuisse, impia curiositate quosdam characteres magicos subtili corio ex fœtu, ut creditur, mortuo nato deglubito inscriptos a collo gestasse; ejus exemplo multos homines vanos seductos fuisse, quorum unus Presbyter commercii cum malis dæmonibus incusatus, ejusdemque criminis iterum alias mille ducentas personas reas faciens vitam morte luerit; Parisiis vero nullam hujusmodi executionem adhuc factam fuisse ante An. 1587; quamvis in provinciis gallicis strigum carnificina jam ab An. 1458. fervuerit, ut in Vasconia & Delphinatu (k). Quum denique ars magica ad regum aulas devecta fuerit, ejusque vel defensionem contra negantes suscipere vel pleniorem notitiam haurire ad reos eo exactius puniendos pium haberetur, cf. §. CXLIX., sub initium Seculi XVII. in Anglia JACOBUS Princeps hereditarius edita anno ætatis suæ XXIII. ante sceptrum adeptum DÆMONOLOGIA ejus studio se addixit; sed non multum ille quidem promovit, quod a suo ipse populo enthusiasmi fautor haberetur (l). Nihil jam dicam

(g) Dub. XX. *ratione* XIV.

(h) *Reponse aux questions d'un provincial* T. I. cap. 38. La cour de France fut horriblement infatuée de la curiosite magique, depuis que la Reine Catherine en eut aporté la mode &c.

(i) MEZERAY *abr. chron.* T. V. ad An. 1574. *Journal du regne de Henri* ad An. 1587.

(k) TARTAR. *Congr.* L. I. c. 7. §. 5.

(l) v. HUTCHINSON Hist. Vers. von der Hexerey p. 231.

de ceteris harum ætatum ſcriptoribus, quorum unus ex altero ſcribens nemo fere ſe ex hoc luto eximere potuit, omnes præjudicio pacti diabolici involuti ſunt, alii eo incogitantiæ prolapſi, ut quum per vanitates magicas omnibus rebus fides adimatur (§. XLV. LXXV), ipſis dæmones exiſtere non viderentur, quemadmodum Balthasar Beckerus eccleſiaſtes Amſtelodamenſis in libro *mundi faſcinati* titulo An. 1692. id egit. Nihil dicam de legislatoribus inſequentibus, quippe qui omnes ex præjudicatis opinionibus & ſcriptorculorum conſiliis leges ſuas hauſere, neque minus confirmationem artis magicæ in celeberrima Carolina conſtitutione deprehendere ſibi viſi ſunt. Ego igitur inſtituto meo conſequenter exponam brevibus, quomodo divina providentia procurante Seculo XVII. & XVIII. reſtauratis diſciplinis & Philoſophia ſectaria deferveſcente proceſſus magici paullatim inſtitui ceſſaverint, non obſtante eo, quod ſcriptores & dæmonographi veteri lira oberraverint, legesque in multis populis de Magia coercenda etiamnum exſtent. Nec vero novi illius producti magici, quod in Europa ab An. 1693 (*m*) apertius cognoſci cœpit, ex Orientali ſuperſtitione reliqui, *Vampyros* intelligo, rationem nullam habebo.

CLV. Incipiamus ab obſervatione generali, quam ſi menti impreſſerimus, deprehendemus facile, quid Magiſtratus movere debuerit, ut tandem ab his proceſſibus deſiſterent. Ea eſt indoles *criminationum vagarum*, ut, quidquid faciant homines, in quos ſemel deſedit talis calumnia, impacti criminis rei habeantur. Animadverterat id jam olim Apulejus (§. LXXX.), cui, ut Magiæ ſuſpectum facerent, objecerunt, quædam eum ſacra crepundia, ut tum erat pagana relligio, domi ſuæ aſſervare. „ *Hoc pacto* reponit is (*n*), „ *Omneis homines rei conſtituentur*, ſi ei, qui nomen cujuſpiam detu- „ lerit, nulla neceſſitas ſit probandi, omnis contra facultas percon- „ tandi. Quippe omnibus, ſi cui forte negotium Magiæ faceſſetur, „ quidquid omnino egerint, objicietur. Votum in alicujus ſtatuæ

(*m*) v. Diarium gallicum *Mercure* de An. 1693. & 94.

(*n*) in *Apolog. Opp.* p. 309.

„ femore aſſignaſti? Igitur Magus es; aut cur aſſignaſti? Tacitas preces „ in templo deis allegaſti; igitur Magus es: aut quid aptaſti? Contra „ nihil in templo precatus es; igitur Magus es: aut cur deos non roga- „ ſti? Similiter ſi poſueris donum aliquod, ſi ſacrificaveris, ſi verbenam „ ſumpſeris. Dies me deficiet, ſi omnia velim perſequi, quorum ratio- „ nem ſimiliter calumniator flagitabit „. Adde nunc geminam quere- „ lam P. SPEI de ſuo tempore ſcribentis (*o*): „ Audire nuper debui a „ viris magnis nonnullibi eo eſſe malevolentiæ deſcenſum, ut jam ſi quis „ ibi more pientiſſimorum Catholicorum ſertum ſuum precarium ſtu- „ dioſius volvere ac deferre ſecum audeat, ſi aſpergere aqua be- „ nedicta ſe frequentius, ſi orare in templo ſtudioſius, ac tantillum „ genuinæ devotionis præ ſe ferre, is continuo incurrat in ſuſpicio- „ nem magiæ, tamquam ita ſcilicet præ ceteris relligioſiores velint „ eſſe, qui eo crimine tenentur, aut, ut alii dicunt, tamquam „ alioqui quieſcere eos dæmon non ſinat. Unde factum eſt, ut in „ quodam nobis vicino tractu ſub optimo & laudatiſſimo Principe „ quisque ſibi quam diligentiſſime caveat ab omni ſpecie pietatis; „ ac Sacerdotes quidam antea indies celebrare ſoliti, nunc vel pe- „ nitus id intermittant, vel ſi faciant, non niſi privatim id audeant „ occluſo templo, ne incipiat vulgus de magia famam commovere. „ Ita dum ſub ſpecie juſtitiæ incaute procedimus, ad impietatem „ & atheiſmum viam facimus „. Quum autem Magiſtratus has ca- lumnias foverint, immo per res ſuas judicatas populum in iisdem confirmarint, quid mirum tot injuſtitias fuiſſe commiſſas, tot inno- centes oppreſſos? add. §. CXL.

CLVI. Itaque, ut de Germania ſcribit SPEUS, non erat modus, quo Saga ſemel accuſata potuiſſet innocentiam tueri, nam omnia eo dirigebantur, ut fama & calumniæ ſtatuminarentur. „ *Omni-* „ *no*, inquit ille Dubio XX. ad fin., *ſentio cum ornatiſſimo* quodam „ viro & amico meo, qui ſic loqui ſolet lepide & vere: Quid, in- „ quit, tam ſollicite maleficos quærimus? Heus, inquit, judices

(o) *Dubio* VIII. *ratione* 3, adde *Dub.* II. circ. fin.

„ ostendam extemplo, ubi sint! Agite, rapite Capucinos, Jesuitas,
„ Relligiosos omnes & torquete, fatebuntur: si qui negant, repetite ter quater, fatebuntur, si adhuc obstinati sunt, exorcisate, detondete, utuntur maleficio, obdurat eos dæmon, vos procedite; tandem dabunt manus. Tum si plures vultis, rapite Ecclesiæ prælatos, canonicos, doctores, fatebuntur. Nam quid miseri & delicati: qui subsistent? Quodsi adhuc plures vultis, vos ipsos ego torsero, & me vos deinde, non diffitebor, quod vos fassi eritis; sic omnes Magi sumus „. Et Dubio XLVIII. Argum. IV. iterum: „ Sic sæpe mecum ratiocinari soleo, quod non omnes nos Magi sumus, hanc unicam esse rationem, quod tormenta ad nos non attingunt: verissime quidam nuper inter Scyphos & ipse magni Principis inquisitor jactare ausus est, si sub suas manus & tormenta vel ipse Pontifex veniret, sine dubio tandem se maleficum quoque esse confessurum „. His ergo infinitis Germaniæ, ut dicit, malis se unus objicere ausus est, quem sæpe citavimus, P. FRIDERICUS SPEE S. J. tacito quidem nomine 1631. 8. edita Rinthelii in Westphalia, ubi recens tum fuerat studiorum universitas condita, *Cautione criminali seu de processibus contra Sagas*, *Autore*, ut titulus habet primæ editionis, *incerto theologo romano* (p). Primus auctorem libro publico nominavit GOD. LEIBNIZIUS (q), sed pridem ante detexerat JACOBUS LUDOLFUS in commercio epistolico cum CHRISTOPHORO ARNOLDO habito, huic An. 1677. 25. Januarii procul dubio ad quæsitum Arnoldi sequentia significans: „ FRIDERICUS SPEE S. J. unus fuit ex doctissimis prudentissimisque istius Societatis; autor est cautionis criminalis, quo libro vix quidquam in eo genere, de abusu enim judiciorum criminalium in maleficiis puniendis agit, exstat prudentius. Idem scripta edidit germanica ad excitandam pietatem efficacissima, immixtis versibus tam elegantibus, quam il-

(p) De hac rara editione, quam ego possideo, v. SCHELHORN. *Amœnit. literar.* T. V. p. 285. Refutat etiam hinc inde noster HERM. GOEHAUSEN professorem academiæ Rintelensis, qui ibidem 1630. processum contra Sagas ediderat, de quo Consule MAURIT. de *denunt. Sagar.* C. IV. §. 6.

(q) *Theodic.* P. I. §. 96. Jesuitam auctorem fuisse colligi poterat ex *Caut.* Dub. LI. n. 33.

„ la tempora capiebant „. Subjungit alia LUDOLFUS de ſcriptis germanicis, quorum unum **Trutz Nachtigall** ipſe poſſideo, alterum **Gulden Tugend Kleinot**, quod & laudibus LEIBNIZIUS l. c. extulit, lectu non injucunda (*r*). Fuit, is natus Kaiſerswerdæ, atque in Diœceſi Herbipolenſi, Bambergenſique longo tempore adhibitus præparandis ad mortem rite obeundam mulierculis Sagarum nomine rogo traditis. Vidit ea occaſione ingentes a judicibus in ſuo officio commiſſos errores abuſusque, atque judicum avarorum aut ambitioſorum flagitia morte innocentum contecta; de quibus ille JURAMENTO adfirmat, quam eamdem duobus aliis *accuratis theologis* relligionem eſſe ſimul teſtatur, ſe NULLAM *hactenus ad rogum duxiſſe, de qua omnibus conſideratis prudenter ſtatuere potuerit* REAM ESSE (*s*), poſtquam tamen *diu cum captivis tum intra tum extra confeſſionis Sacramentum egit, animos omni arte multifariam ſusque deque verſavit, divina & humana ope ac conſilio uſus eſt, indicia atque acta pervidit, cum judicibus ipſis, quantum licuit, ſalvo ſigillo confeſſionis diſſeruit, argumenta denique omnia apud animum ſuum verſavit* (*t*). Denatus eſt in fama ſanctitatis 1635 (*u*).

CLVII. Non potuit fieri, quin tam gravis & expertus, minime umbraticus theologus conſcientiam tam principum, quam Judicum iteratis pulſibus vellicaret. Quare & hic libellus avidiſſime coemtus eſt, &, teſte JOANNE GRONÆO Auſtriaco JC. qui eumdem (*x*) ſequenti mox Anno 1632. Francf. recudi curavit, exemplaria omnia ſic ſubito intra paucos menſes diſtracta ſunt, ut nullum

---

(*r*) v. hanc epiſtolam in *Actis Literar.* a STRUVIO edit. *faſciculo* VI. T. I. p. 51. 52.

(*s*) Dubio XXX. ad fin.

(*t*) Dubio XI. rat. 3.

(*u*) v. SOTWEL. *Bibl. Scr. S. J.* & *Leibnizium* l. c. ex ore Electoris Moguntini differentem. Eundem P. SPEUM conſiliis politicis valuiſſe exemplo declarat Jo. FABRICIUS in *hiſtoria bibliothecæ ſuæ* T. VI. p. 11. 12. P. BUSENBAUM ejus prælectiones in *Theologiam moralem* extollit.

(*x*) Notandum eſt, quod auctor noſter metu iniquorum judicum (§. 139. not.) commentarium ſuum *dudum a ſe conſcriptum* noluerit typis vulgare, ſed amicis primum paucis MStum ſuppreſſo nomine ſolitus fuerit communicare. Ipſe Dubio XVIII. Corol. XI. nec potuerit verſionem germanicam ejusdem tractatus meditari. *ibid.* Dub. LI. n. ult. *Gronæus* vero in præf. fatetur ſe novam ſuam editionem ex MSto Marpurgo ſibi tranſmiſſo curaſſe.

jam amplius haberi potuerit quantocumque pretio. Magis vero ex præfatione ejusdem Gronæi discimus, quam alte in animis hominum quorumdam recta sapientium suas ideas auctor noster fixerit, dum scribit: *Respublicas nonnullas & principes conscientia tactos processus suos mox suspendisse libro hoc viso & diligenter examinato; maxime ubi iis simul suggereretur, qualiter quidam eorum commissarii & judices minime servarent constitutionem criminalem Carolinam* (v. §. CLIII. CLV.) *& quidem in quibusdam punctis maximi momenti, quæ* NEMO FERE HACTENUS ADVERTIT; *inde* subjungit Gronæus, *visum est multis, atque etiam nonnullis Spiræ in camera & in aula Imperatoris plane expedire, ut rursum quantocyus recuderetur, & sic via sterneretur ad ulterius considerandum, & eruendam veritatem, præsertim quoniam agitur de sanguine humano & fama non solum Germaniæ, sed & fidei Catholicæ.* Ut vero hic Libellus statim ad aulam Imperatoris pervaderet, effecerat ipsa partim fama viri innocentissimi, planissima partim scribendi & docendi methodus, tum vero maxime quod ipse ad Cæsarem caussæ patriæ immerens sæpe alias provocaverit & præcipue Dubio XXXIII. ad fin. ubi ita exclamat. „Nescio, in quæ tempora devenimus! NULLUS jam subvenire Germaniæ, nisi MAGNUS CÆSAR potest; ad hunc supplices accedant, qui premuntur; neminem is ab ara Justitiæ repellet: legat is catalogum indiciorum, ex quibus passim ab Inquisitoribus nonnullis processum est, cum & futilia essent & ridicula & nec sat probata. Tum autem & accurate refutata; & vel omnino fallor, vel ingenti animo exsurget, ut iniquissimorum processuum libertatem castiget. Quamquam, ut obiter notem, quis scire potest, quidnam rei ad indicia sibi proposita responderint, & quo pacto refutarint, cum hæc non perscribantur? Ut notavi Dubio XVIII. corollario 15. Et hoc scilicet est, quod Judices Academiarum judicia subterfugiant, ne accuratiores in actis suis notandis cogantur esse, neve plurimi se satis purgasse pronuncientur „.

CLVIII. Ceterum edita est CAUTIO CRIMINALIS in germanicam linguam translata ab HERMANNO SCHMIDT Secretario & Consiliario Comitis Nassovii cum addito indice Francof. 1649. 4. Belgico

co idiomate etiam, teste Balth. Beckero (*y*) Amstelodami per N. B. A. An. 1657. apud *Joan. Heinrich* & *J. Niewerts* lucem vidit, cujus versionis præfationem allegat Mauritius (*z*). Latinum exemplar Solisbaci 1659. 12. iterum cusum, & cum nomine Autoris Augustæ Vindelicorum 1731. in 16. per A. D. C. M. (*a*), qui annexuit vitam auctoris ex Sotwello cum *instructione processus formandi in caussis strigum & Maleficorum* in curia romana An. MDCLVII. edita, quæ secundum P. Spei monita concepta est. Multi ergo Principes, ut Jo. PHIL. SCHÖNBORN (*b*) Archiep. & Elector Moguntinus, Duces Brunsvicenses aliique (*c*) processus magicos in suis terris penitus abrogarunt. Atque huc tamquam effectus Cautionis nostræ criminalis illud referendum est, quod FERDINANDUS II. principem quemdam imperii ab his processibus abstinuisse legitur apud GEORGIUM GOBAT S. J. Theologum, qui id narrat sequentibus: „Scimus, „ait, iis in locis, in quibus tam multum deferebatur denunciatio„nibus Lamiarum, non fuisse repertum finem (quem tamen impo„suere bella) capiendi, torquendi, comburendi feminas, viros, „Sacerdotes, adolescentes, de quibus ante eas denunciationes vix „levissima suspicio habebatur. Et compertum habeo ab Imp. Fer„dinando II. missum fuisse Commissarium ad Principem quemdam „imperii franconicum, qui ei nomine Cæsaris inhiberet, ne in po„sterum tam facile crederet ejusmodi denominationibus, uti mihi „Commissarius ipse narravit sub Annum MDCXLIX. (*d*)„. Porro tamen idem Gobatus refert alium lugubrem casum, quo Sagarum numerus ab ineptis judicibus auctus est. „Dum hæc, ait, commenta„rer An. MDCLI. accepi e Silesia literas a viro gravi & sapiente,

(*y*) *Mund. fascin.* L. IV. c. 24. §. 3.

(*z*) De *denunciat. Sagar.* c. 3. §. 17. opp. p. 934.

(*a*) cf. de hac editione TARTAR. *Congr.* L. III. c. 14. §. 6.

(*b*) De hoc Jo BECHERUS in sua *psychosophia* refert eum proverbii loco usurpasse, nihil boni a bello tricennali productum esse in Franconia, quam quod finem ustulationi Sagarum imposuerit, quod alias tota periisset.

(*c*) v. FELLER *monum. ined.* trimest. IV. p. 154.

(*d*) *Operum moralium* T. II. Tractatu V. c. 42. Sect. II. num. 61.

„ quibus indicabatur, detectum fuiſſe illo ipſo anno in Sileſia *novum* „ *genus ſagarum*, illarum videlicet, quæ a dæmone non magnopere „ incitarentur ad malefaciendum hominibus, ne forte hac ratione de- „ prehenderentur; ſed ſolum ad execrandas prorſus blaſphemias & „ nefandiſſimas libidines. Modum, quo cum iis procedebatur, non „ habeo omnino perſpectum. In eos inquirendi occaſionem dedit „ innocens puer, quem Canidia in ſuo carpento de nocte detulerat ad „ ſynagogam ſatanicam, epulis choreisque vacantem. Ubi enim „ id ex puero reſcivit judex, aurigatricem ipſius forte jam ante ni- „ gro theta notatam in carcerem rapi juſſit, ex cujus confeſſione da- „ tum initium inquirendi in plures. Quia vero fuit denunciationi- „ bus plurimum datum, idcirco intra paucos menſes affectæ fuere „ ſupplicio 200. mulieres, Quæ cum alias atque alias proderent, „ ceſſatum eſt tantiſper a captura; atque conſultatio, ad quam vo- „ cati ſunt etiam præter JCtos theologi, inſtituta de modo in poſte- „ rum tenendo, ut ad me ſcriptum An. MDCLII „.

CLIX. Merito nunc aliquis quærat, quare hæc cautio criminalis non in tota Germania ſtatim eundem effectum habuerit, & ipſos proceſſus non omnes abrogarit? Facile quidem ad hoc quæſitum reponi poſſe autumo. Libellus hic eo fine dumtaxat ſcriptus eſt, ut enormes illos & rationi contrarios abuſus in proceſſibus tolleret, qui quidem finis primarius tunc temporis debebat eſſe. Non ea tum erant tempora, ut radix horum proceſſuum, opinio videlicet Magiæ, potuiſſet tolli, dum homines nullis fere ſcientiis phyſicis illuminati, generalibus axiomatibus de poteſtate dæmonis convicti ſibi eſſe viſi, quæcumque ipſis mira, vi artis magicæ producta eſſe ſomniabant. Quamdiu igitur artis cujusdam magicæ opinio homines faſcinabit, tamdiu proceſſus magicos cudi neceſſe erit. Sed aliud etiam eſt, quod ſpecialius omnem effectum libelli produci vetabat. Dicebant nempe, prout hodienum quosdam ratiocinatos audivi, P. Speum ipſum aſſerere exiſtentiam ſagarum, ergo nihil ejus fœtum obſtare, quo minus procedi poſſit. Deus bone! quot effugia ignorantiæ humanæ patent! Nego ego ſimpliciter ex noſtro auctore poſſe exſculpi, quid de his credendum ſit. Ante omnia cogitandi arte adhibita perpendere oportet, auctorem hunc iis temporibus ſcripſiſſe, quibus veritatem dicere

maximi res erat periculi, neque ideo eum ausum fuisse statim commentarium typis vulgare (§. CLVII. not. *x*.). Quis jam dicere queat, quid sit illud, quod ab homine in his angustiis constituto reipsa adseratur de ipso totius rei fundamento? Contentus hic scilicet est primaria veritatis impedimenta secundum propria etiam adversariorum suorum præjudicia removere, quibus non remotis ipsa veritas latere debet. Nihil is de hac adferet. Atque hoc modo se gessit SPEUS. Sufficiebat ei injustitias commissas, anomaliam processuum usitatorum, pravam judicum rationem ad oculum demonstrasse, quo ipso veritas cum tempore facillime detegi, & insufficientia indiciorum, nullusque eorum cum crimine impacto nexus penitius dispici, nec vel umquam ad diaboli concursum evincendum aptus esse manibus palpari poterat. Exemplum unum rem conficiat. Poterat ille indubitate de processibus sui temporis dicere, illos omnes, si modo eos non aliud forte crimen capitale Magiæ impactæ connexum excusabat, nullitatis vitio laborasse. Sed consultumne erat id dicere? Ergo tecte & latenter id dicit, dum alibi JURATO adserit sagas sub sua & aliorum duorum theologorum cura pastorali combustas innocentes fuisse, alibi, ex quinguaginta VIX quinque vel duas reas esse, & post omnes judiciorum excessus repræsentatos in fine demum ait: (*e*) „ Itaque nunquam mi„ hi hactenus in mentem venit dubitare, quin in mundo sagæ mul„ tæ essent: nunc cum publica judicia penitius examino, eo sensim „ me duci video, ut *dubitem*, AN SINT VIX ULLÆ. Certe de tripu„ diis seu conventibus, an unquam corporaliter fiant, non parum du„ bitari potest. Et utinam quis excutiat accurate! „. Atque mox scopum scripti declarat: „ Nunc hoc quidem commentario excitare „ doctos placuit, ut, quæ ad processus hujus criminis spectant, pau„ lo altius ventilare incipiant „ (*f*).

CLX. Quæ universa dum nullo modo combinantur, haud mirum est, nullam in plurimorum animis impressionem fecisse nostrum

(*e*) Dubio XLVIII. in fine.

(*f*) Nos mysteria iniquitatis his processibus propria detegemus Libro II.

auctorem, neque etiam vel a Carpzovio vel Berlichio, vel Brunnemanno illorum temporum praxeos criminalis scriptoribus ejus mentionem fieri; quin immo Carpzovium (g) Criminis Magiæ processum denuo informasse excerptis ex actis veteribus inquisitionum magicarum triginta plus exemplis, quibus homo inprimis superstitiosus rem omnem extra controversiam sibi posuisse videbatur; cujus liber, quum in omnibus undique Germaniæ immo aliarum regionum judiciis commendaretur, rem magicam posthabito aureo P. Spei libello eum in locum iterum rediisse, quo tempore Bartoli habebatur, quis est, qui stupeat? Nihil ergo hoc seculo in Germania actum fuit, quam quod quædam spes interluxerit hos processus penitus abrogandi, quæ demum impleta sero est ætate sequenti; sub cujus ingressum Christianus Thomasius Jctus philosophus An. MDCCI. decantatam illam dissertationem *de Crimine Magiæ* Halæ edidit, in qua more suo contra Carpzovium multa monuit, darique sagas & Magos pacta cum diabolo ineuntes negavit; quam paullo post aliam sequi jussit *de Origine processus inquisitorii contra sagas* An. MDCCXI. Quæ lites Thomasio occasione horum scriptorum inter suos enatæ sint, non est hujus loci commemorare; neque etiam varios nævos in his dissertationibus obvios corrigere. Eodem hoc anno Joh. Wagstaffii liber de Magia ex Anglico versus Halæ prodiit Thomasio dedicatus; hicque serio curavit, ut varia scripta Magicæ artis crimen negantia ex anglico & gallico verterentur ut Hutchinsonii, Websteri, Naudæi &c. His laboribus effectum est, ut hinc inde in Germania homines sibi fiderent altius sapere. Primus igitur Rex Porussiæ Fridericus An. MDCCVI. occasionem processuum horum in viam reducendarum in Pomerania reperit, ubi calumniæ de crimine magiæ adeo vigebant, ut & princeps Magistratus persona scriptis typo evulgatis ejus incusaretur. Rex caussa ad eum delata scripta illa comburi jussit, & 7. Novemb. MDCCVI. rescripsit, ut nemo judicum procedat, nisi prius ad judicium aulicum talis personæ indicia mittantur,

(g) Secutus est hunc Sam. Strykius diss. *de jure sensuum*, & alibi veteri oberrans lyra.

ne ex nudis nominationibus ſociorum, aut ex ſuggeſtionibus indicia exſculpantur, ut confrontationes ſociorum putativorum ne amplius fiant, & quæ cetera conſilia ſalubria ibidem habentur (*h*). Denique Friderici hujus filius FRIDERICUS WILHELMUS An. MDCCXIV. per omnes ſuas terras die 13. Decemb. edictum edidit, quo abuſibus horum proceſſuum medebatur, addita ſimul facultate omnia ut collegia juſtitiæ, & omnes conſeſſus juridici, ſua ſi quæ habeant monita, ſua meditata ad hos corrigendos conferrent (*i*); cui conſequenter egregias quasdam meditationes obtinuimus ab HERM. ADOLPHO MEINDERS Præfecturæ Ravenſpergenſis Gogravio; qua ratione in Pomerania tota res oblivioni fere tradita, ubi antea tamen hoc fanatiſmo tota fere devaſtata fuerat (*k*).

CLXI. Non eſt dubium, quin Saxonia idem mox ſecuta ſit exemplum; immo extitit 1715. facti ſpecies, ex qua diſcere eſt effectus Philoſophiæ purioris. Nam quum eo anno prope Jenam quidam ſtudioſus & ruſtici adhibitis ſigillis & conjurationibus magicis theſaurum in ipſa nativitatis Chriſti nocte fodere vellent, ruſticique mortui eſſent, ſtudioſus poſt excluſionem academicam in perpetuum, ſartor vero, in cujus domo hæc facta fuerant, ad decennium relegatus eſt, ruſticorum ſimul cadaveribus ſub patibulo inhumatis. Oſtenderat nempe præſtantiſſimus medicus Halenſis, D. HOFFMANNUS mortes horum hominum ex naturali exhalatione carbonum ad frigus ſummum depellendum adhibitorum ortas fuiſſe. Quibus mota facultas theologica, juridica & medica Lipſienſes An. MDCCXVI. menſ. April. ore unanimi eam ſententiam protulerunt, ut, quum actus conjurationis inexcuſabilis, reſque, quibus hi uſi, execrandæ

(*h*) Edictum exhibet JACOB. BRUNNEMAN. Von betrügl. Kennzeich. der Zaub. p. 208. & Gottfried Wahrlieb ſub quo nomine latet JOH. CHRISTOPHORUS FRANKE *J. U. D.* Stolle ganz neue Zuſätze p. 152. loco mox citando p. 163. Contenta exhibet LUDOVICI præf. der Einleitung zum Criminalproceße.

(*i*) Edictum hoc exhibet MEINDERS unvorgreifl. Gedancken, wie mit den Herenproceßen in den Preuß. Landen ohnmaßgeblich zu verfahren. Lemgo 1716. 4. p. 98.

(*k*) In vicina adhuc Pruſſia polonica uſtulationes Sagarum a judicibus tentari ex literis ad ſe ex Pruſſia 1747. datis refert HANOVIUS. Seltenh. der Natur T. I. p. 105

essent, præterquam quod libris superstitiosis in auxilium arcessitis nomen divinum atque noctem sacris mysteriis recolendis destinatam profanarint, dicta poena studiosus coerceretur, alii ut deterrerentur, simulque declararunt, Deum impios homines ceteros absque dubio punivisse & admisisse, ut mediis naturalibus partim morerentur, partim miseri redderentur, nam & vigilum iis cadaveribus adpositorum duo mortui, unus variis malis ab extravasato sanguine adfectus est, uti & ipse studiosus, in quo ab initio mors timebatur. Hoc judicium ab aula Saxonica confirmatum fuit (*l*). Profecto si idem casus olim emersisset, omnes cooperantes, ut magi, sine magna remora concremati fuissent; & in tortura ita examinati, ut centum aliæ personæ tamquam complices iisdem favillis evolassent. Debuissent enim pactum diabolicum confiteri. Hodie hæc cuncta ridentur, & poetæ Saxonici omnes Magias una cum desitis illis processibus inter fabulas reponunt.

CLXII. Ducatus Mecklenburgicus æque olim sub ludibrioso Magiæ pondere gemebat, quod præter alia patet Godelmanni Professoris Rostochiensis exemplo (§. LXXXV). Alia vero ab Anno MDCLXXXVIII. (*m*) ibi est rerum facies; quod maxime liquet ex programmate ERN. J. FRID. MANZELII An. MDCCXXXVIII. ad disputationem CHRIST. DAN. WOLFRADT invitatorio, ubi breviter disquirit, **ob noch wohl Hexenproceße entstehen möchten**? Rostochii itidem edito. Allegat is duo exempla de Anno MDCCXXXV. Unum est, quod integra quædam societas furem divinatione quadam (**durch Siebelauffen**) detegere conabatur, cujus societatis om-

(*l*) De tota hac historia late **Wahrlieb deutl. Vorstel. der Richtigk. der vermeynt. Hex.** Cap. V. §. 21. seqq.

(*m*) Signat hunc annum ERN. J. WESTPHALUS *de consuetudine ex sacco & libro* p. 249. not. t. & in Appendice *ibid.* p. 152. ubi testatur insimul CHRISTIANUM LUDOVICUM ducem Mecklenburgicum reducem ex Gallia mox processui adversus Sagas dicam scripsisse, hujusque furfuris nænias in æternum exilium egisse edicto Anni 1688. d. 16. Febr. Eundem præterea ducali fide Sagis ita dictis insigne præmium promisisse, si publice in plurium præsentia in pecudes grassarentur, tonitrua excitarent, in montem Bructerorum sese reciperent, Nobilibusque prope montem habitantibus literas horis destinatis perferrent.

nes puniebantur arbitrarie. Alterum est, quo aliqui inquisiti varia phantasmata fatebantur, daß sie in der Nacht auf den 1. May einen Kreis mit 2. Ketten gemacht, und darinnen verschiedene Leute auf Hähnen, Hunden und Katzen reiten gesehen. Quo quidem casu Judices ipsos admonuerunt, ut sibi caverent hoc edicere, mentiri enim se vel decipi. Allein sie submittirten sich zur Strafe, und blieben dabey, daß sie alles eigentlich gesehen. Non inepte arguit MANZELIUS, dum ait, sumto, quod hi homines mentiti non sint, satis doceri spiritum phantasiam corrumpentem. Quum autem hi homines adparerent satis malitiosi, condemnabantur a facultate juridica Rostochiensi ad carcerem cum carena & numellas, das Halseisen, pariter & ad pœnitentiam ecclesiasticam, atque deprecationem nominatis personis faciendam. In terris regno DANIÆ subjectis eo minus dubitandum est numquam talem processum rediturum, quales priora tempora viderunt, quo minus nos ambigere sinit illuminatissimæ hujus gentis hyperaspistes Cl. ANCHERANUS (*n*) de legibus criminalibus Daniæ differens: „ Si æquitatem respicias & justitiam in „ criminalibus, quæ Domino *Montesquieu* præcipuum est indicium li„ bertatis civilis, vix erit, ut leges laudare possis nostro jure melius „ providentes securitati vitæ & bonis civium, id quod libro II. lucu„ lenter demonstrare contendam „. Liber II. mihi ad manus non venit. Sufficit, quod in Dania torturæ adminiculum rejiciatur (*o*). De SUECIA non aliud sperandum, quam quod de politissimo quovis populo.

CLXIII. In Franconia, ubi fanaticismus Magiæ olim ita insederat populum, ut hic nulli primas cederet, triste adhuc recentissimis temporibus occurrit spectaculum, quo An. MDCCXXIX. 21. Junii MARIA RENATA SÆNGERIN Vice-Prioris munere in monasterio Virginum Unter-Cellensi haud procul Wirceburgo functa sagæ nomine flammis tradita est. Non tamen meruisse hoc factum ullam apud

---

(*n*) *De indole juris privati pro habitu imperii Dano-Norvegici* Hafniæ 1756. 4. p. 99.

(*o*) System Abh. von den Regierungsformen ꝛc. von Josias Thor Straten C. X §. 344. cf. *Lettres sur le Dannemarc*.

homines nostri seculi adprobationem, est quod nos soletur (*p*). Non est meum commemorare, qua ratione Itali summam hanc barbariem partim deplorarint, partim dentatis chartis prosecuti sint. Adducam modo, quid ipsi Francones de lamentabili eo casu cum ceteris oblivioni tradendo senserint. JO. FRID. RIBELIUS M. D. hæc memoriæ prodit. Vice-Priorem illam ex egregia familia natam personam fuisse jam senem & simplicem, cui cerebrum excussum fuerit. Consiliarium consistorialem DE WEINBACH adfinem Baronis DE ICKSTÆDT sibi adseverasse, quod eadem hostiam consecratam cloacæ injecerit. Prælatum monasterii Cellensis rogatum, an ipsa Sengeria edixerit aut fassa fuerit, quod ea quæ ipsi imputabantur, a satana profecta sint, an ipsi demum suggeri debuerit, quod satan eorum auctor existat, respondisse eam de iis persuaderi oportuisse, ut ad pœnitentiam devenire posset. Doctorem BARTELIUM Professorem Canonum sibi porro contestatum, quod si ipse hac in caussa mature sa-

(*p*) v. *Animadversioni critiche sopra il congresso notturno* Venez. 1751. 4. in Appendice. Cl. GRASER professoris Ethices Ænipontani *Propugnatio adnotationum criticarum in sermonem de Maria Renata*. Venet. 1752. 4.

(*q*) System. Abhand. von den fast allgemein eingeriss. Irrthüm. 1758. p. 135. In unsern Tagen ist die Hexenhistorie im Kloster Zell eine Stunde unter Würzburg bekannt von der Sängerin (*r*) Subpriorin daselbsten. Diese alte geistliche Frau war nichts weniger als eine Hexe, allein sie war eine einfältige Person, und die zugleich das Hirn nicht mehr am rechten Ort hatte. Der geistliche Rath Hr. von Weinbach, der ein Schwager war von dem Hrn geheimden Rath Baron von Ickstätt zu Ingolstadt, hat mich versichert, daß sie eine consecrirte Hostie genommen, und solche s. v. in das Privet geworfen. Ein offenbarer Beweis, daß sie eine Maniaca oder Wahnsinnige war, deren ihre imagination völlig verdorben war. Der Herr Prälat in gedachtem Closter, bey welchem ich mit gedachtem Herrn von Weinbach von Würzburg zu speisen die Ehre hatte, gestunde mir selbst über der Tafel ein, da ich diesen Hrn Abbt fragte: ob sie die Sängerin selbst ausgesagt, und eingestanden, daß dasjenige, was sie machte, vom Satan herrührete, oder ob man ihr es erst hätte beybringen müssen, daß sie solches dafür gehalten; daß sie es niemalen gesagt, man hätte ihr es aber beybringen müssen, und sie überreden, daß es vom bösen Feind herkomme, damit sie zur Erkäntniß, zur Reue und Busse gelangen könnte. Der Hochgelehrte Herr Bartel, Doctor Theologiä, Professor Canonum, und Stiftsdechant zu Würzburg haben mir so viel davon eröfnet, daß wenn sie als Commissarius in dieser Sache nicht zu spät dazu wären ernennet worden, sie niemalen der weltlichen Obrigkeit würde in die Hände überliefert worden seyn; so war sie aber dem Brachio Seculari schon übergeben.

(*r*) SÆNGER est nomen familiæ antiquæ & egregiæ, ex qua hæc monialis nata.

tis judex delectus esset, rem numquam eo perventuram, ut magistratui seculari extraderetur, interim tamen eam monialem brachio, ut ajunt, seculari jam fuisse commissam.

CLXIV. Delabor tandem ad carissimam mihi patriam, quam grave magicæ artis præjudicium ab Anno omnino MCCCCLXXXVI. adflixit (§. CXLVI.). Scilicet cum aliis idem habuerat fatum, in quo tamen semper imperitorum judicum culpa maxima versabatur, licet in Austria ipsa inferiori, testibus rerum judicatarum protocollis rariora ejusmodi sint exempla. Plura Tirolis & vicina nobis dat Stiria, de quibus late gloriatur, ipse sagarum Magorumque in Stiria inquisitor BECMANNUS Anno MDCLXXXI. (s), verbatim modum eum describens, quo in Magos ex confessionibus *vi tormentorum*, ut ipse ait, *expressis, & ex proba illa stigmatica*, quam pridem P. Speus immo ipse Delrius (t) rejecerant, sæviendum esse duxit. In Ungaria ante seculi hujus medium deplorabiles strages talium hominum itidem contigere. Sed bene est, quod tristia illa tempora præterlapsa sint, quodque hodie sub regimine sagacissimæ Dominæ degamus, quæ cunctas has absurdas opiniones, rationisque humanæ dedecora, iisdem, quibus illa utitur, oculis sapientibus populo suo detecta vult. Mentem AUGUSTÆ numquam satis extollendam deprehendimus præcipue ab Anno MDCCLV., quum VAMPYRORUM occasione hæc recrudescerent. Constituunt Vampyri die vel noctu e sepulcris absque terræ revulsæ vestigiis, si diis placet! egredientes novam Magiæ speciem, quæ posthumæ nomine venit, quod hi quasi Magorum Sagarumque fœtus post humatos parentes proveniant. Receptum nempe fuit in terris Orientem versus sitis & inde in Polonia, Ungaria, Silesia, Moravia, mortuorum cadavera e sagis magisque in eodem cœmeterio sepultis animari, ita, ut mortui de nocte resurgentes vivos terrere, iisdemque sanguinem exsugere tentent, quos ab hoc effectu Ungari *Vampyros*, Poloni *Upiers*, *Upierzyca*, vocabant. Du-

(s) *Idea juris statutarii Stiriaci Austriaci* &c. p. 426.

(t) v. Cautio crimin. Dubio XLIII. De hac probatione aliqua monemus infra Lib. II. C. I. §. ult.

bito ego an hæc Orientalium superstitio in Europa reliqua innotuisset, si non & in hac omnia Magiæ plena esse ab aliquot seculis firmissime persuasum fuisset. Sentio me hoc loco coactum de iisdem Vampyris excursum instituere.

CLXV. Dici non potest, quam opiniones populorum vetustissimæ lento gradu propagentur, tenaciterque hæreant. Quum ergo Oriens semper superstitionibus immersus tot deliria Græcorum Romanorumque produxisset (quæ late in superioribus examinavimus) quid mirum si inter Arabes (§. LXXXV.) , quemadmodum inter Latinos striges vivendi inducias dare (§. CIX.), pariter vivendi terminos definire, quin & *corpora viva exsugere* (§. CXIX.) vel & homines comedere (§. CXVII.) narraretur ? Quid mirum, si sagas aut Magos suam virtutem aliis etiam mortuis communicare traderetur, inprimis quod caussa arcessenda esset, cur mortui, a quibus alioquin populi Orientis plurima mala venire credunt, tam malitiosi essent? Quid mirum si hæ opinationes ad vicinos populos propagabantur (*u*) ? Inde vero, quum phantasia humana semper sibi sit similis, traditum, unum Vampyrum inficere alium in eodem cœmeterio sepultum, quemadmodum fere in Europa una saga solo obtutu inficere alios credebatur (§. CXLIII.). Quid quod porro agnatum esse sufficiebat ei, qui Vampyrus habebatur, antea sepulto, ut cadaver Vampyrismi reum haberi posset, sicut in Europa reliqua processum fuit adversus filios, filiasve, quorum quarumque Parentes Magiæ suspecti erant juxta proverbium germanicum : *Cerevisia dolium sapit*, quem procedendi modum Godelmannus , Besoldus & alii aliarum nationum commendarunt (*x*) ? Demum sicut sagas non aliter exstirpari posse credebatur nisi

(*u*) *Species* Vampyrorum sunt in Asia & Græcia *bruccolacci*, quorum corpora, nisi comburantur, æque infinitas turbas ciere memorantur. Testis oculatus Cl. Tournefortius *Voyage au Levant*. 1701. cf. Allatius in Ep. ad *Zachiam de Græcorum opinationibus*, Vossius *in Addendis ad lib. I. de Idololatria*.

(*x*) v. J. Nic. Hertii *Epidipnid. paræmiarum, paræm.* XXXII. Simancas *Cath. instit*. tit. 37. n. 20. sigillatim docet *explodendam vulgarem idiotarum opinionem existimantium filias Lamiarum in vitium maternum succedere*.

igne & ferro, sic & Vampyros non prius quiescere aut cessare a suis stragibus persuadebatur, quam cadavera eorum fuissent a carnifice ferro aut igne destructa, phantasia quippe non quiescente, nisi uno phantasmate per aliud fortius destructo. Si quæras, cur hæ gentes exsuctionem sanguinis cadaveribus imputaverint, & quid illis ansam dederit, ut cadavera per Magos animari fingerent, ecce novum phantasiæ lusum! Videbant quosdam paucos intra dies emori, macie consumi, sanguine, uti adparebat nudis sensibus, cassos. Quæ igitur hujus caussa? Cadavera multa reperiuntur sanguine plena, incorrupta, ergo hæc a dæmone animata sanguinem vivis exsugunt! Quanta eheu deceptio! quasi non cadavera naturaliter, vel ex morbis prægressis, ex peculiari terræ genio, ex aeris temperie, ex aliis accidentibus a putredine serventur (*y*)! qua in re jam Plinius observaverat (*z*) *pilos defunctorum quoque corporibus crescere.*

CLXVI. Non temere aut frustra me hæc confingere, non subtili meditatione Lectoribus illudere probat historia, quam de Vampyris Polonicis *P. Gabriel Rzaczynski* & *Calmetus* consarcinarunt (*a*), de Ungaricis vero ILL. BARO VAN SWIETEN post diligentem a Commissariis factam inquisitionem in scripto paucorum quidem foliorum, sed consummatæ eruditionis teste detexit, quod scriptum Academiæ Roboretanæ Conditor Cl. JOSEPHUS VALERIANUS VANETTI an. MDCCLXIV. d. 15. Jul. demortuus italice ex gallico redditum mox evulgaverat, additis suis notulis (*b*). Est id consilium viri summi, cui post AUGUSTAM uni restaurationem literarum in terris austriacis boni omnes læto animo ferunt acceptam, quod ille jussu AUGUSTÆ conscripsit, ut supremo in politicis & publicis rebus senatui præ-

(*y*) cf. *Dav.* Gömöry *Tentamen de indole aeris hungarici* cap. II. §. 20. Vindob. 1765. 8.

(*z*) Hist. Nat. L. XI. c. 39.

(*a*) In *Hist. naturali Poloniæ*, *Lithuaniæ & Sandomiriæ* 1721. edita, Tract. XIV. Sect. II. p. 366. CALMET *des apparitions & spectres* P. II.

(*b*) *Consideraʒione intorno alla magia posthuma presentata al supremo direttorio di Vienna.* Versio ejus germanica est in libello, cujus titulus: Abhandlung von den Gespenstern, citato in *præfat. nov.* ad hoc opus.

ſentavit occaſione Vampyræ ROSINÆ POLACKIN MDCCLIV. 22. Decemb. in Moravia demortuæ, ſed tamquam ſanguiſugæ erutæ e ſepulcro 19. Jan. MDCCLV., ignesque, quod cadaver ejus nondum eſſet corruptum, expertæ. Hinc igitur poſt diligens rei examen voluit AUGUSTA per omnes Provincias ad omnes politiæ publicæ directores & Magiſtratus reſcribi, atque ſerio præcipi, ut omnes ejusmodi ſuperſtitiones, qua pote, exſtirpentur, atque, ut ſi ſpecies emergat, cujus ratio obſcura, naturæve vires excedere videatur, nemo audeat, ſi pœnas ſeveriſſimas evitare velit, absque prævia informatione ſuæ Majeſtatis immediata aliquid definire (*c*). Et recte omnino. Sunt enim hæ cauſſæ omnes ita connexæ, ut phyſicæ vires mire hominibus illudere ſoleant, quare etiam in obſeſſione dæmoniaca, de qua quidem in theſi, ut ſcholæ loquuntur, nullo modo dubitare oportet, exigit officium reipublicæ profanæ, ut de facto prius eo inquiratur, an talis obſeſſio non ſit ficta; quod optime phyſici & medici deprehendere poſſunt, cujus inſigne illud nobis exemplum nuperrime dedit celeberrimus Medicus AB HAEN (*d*) in muliere, quæ portentoſos corporis motus, ejusdemque ſtupendas contorſiones aſtute ſimulare noverat, plebemque adeo in admirationem rapere; quæ tamen mulier ob delicta capitalia malitiæ ſuæ conjuncta viginti annos primum nata capite truncata eſt hic Anno MDCCLX. d. 27. Junii. Ut ad Vampyros revertar, id adhuc monebo, non ſatis deplorari poſſe ingeniorum plerorumque levitatem aut vanitatem, quæ quamprimum quid ipſis extra ordinem rerum humanarum videtur evenire, potius ad, neſcio, quæ philoſophumena, ad ſtultiſſimas etiam

---

(*c*) Quo motivo æque Parochis omnibus An. MDCCLV. d. 11. Julii circularibus literis indicatum fuit, in puncto der Hexerey, Schatzgraberey, Zauberey, Beſeſſenheit keine Unterſuchung zu pflegen, ſondern dieſe dem Politico zu überlaſſen. v. Edicta & reliqua quæ acta ſunt, libro II. Qualis vero inde effectus reſpectu Hungariæ exiſtat, colligere poſſumus iterum ex VIRI ILL. B. VAN SWIETEN ad *Samuel. Dombi M. D.* epiſtola exarata 22. Febr. MDCCLXIV. ac impreſſa in hujus *de Mineralibus comitatus Borſodienſis aquis Relatione*, ubi vir laudes meas egreſſus ſcribit in hæc verba: *Gaudeo vanas illas de Sagis fabulas deletas eſſe apud Nationem Hungaricam.* Utinam hoc ubique dicere liceat!

(*d*) *Ratio medendi* T. V. cap. de epilepſia.

opiniunculas malunt decurrere, quam ad ſanæ rationis trutinam eventa quæcumque examinare; quod in Vampyrorum ratione perſcrutanda ab eo tempore, quo hi in Europa innotuerunt, inprimis adparuit, quum multi & quod magis eſt, ad quæſtionem Imperatoris ipſius Caroli VI. tum regnantis ut reſponderent, ex Fluddii, Paracelſi aliorumque fanaticorum philoſophorum principiis de ſpiritu aſtrali, & ætherio Vampyrorum operationes deducerent (*e*). Sed ſemper ita ſolere fieri, dum vulgi fabulæ poſthabita rerum hiſtoria pro ratiocinandi principiis adſumuntur, ex hiſtoria magiæ, in qua annales ingenioli humani porrigantur, eluxit (*f*).

CLXVII. Monet nos inſtituti ratio, ut in aliis regnis & rebuspublicis perquiramus, quid de opinione Magiæ ſuperſit. In Anglia teſtatur CL. DE LA ROCHE (*g*) inde ab anno 1682. neminem artis magicæ nomine vita privatum fuiſſe, quamquam ab eo tempore multæ vetulæ ut ſagæ accuſatæ ſunt, quæ tamen omnes innocentes repertæ. Addit inter eas unam Walkernii in Comitatu Harfordienſi 1712. captam, quæ a judicibus pedaneis, in Anglia ex Jure romano adhuc ſuperſtitibus, condemnata ad mortem, a Prætore vero Equite POWEL precibus apud Reginam ANNAM interpoſitis viva ſervata fuerit, eamque ſe vidiſſe, & probe vixiſſe idem adfirmat, quod ipſum HUTCHINSONIUS (*h*) de ſe teſtatur, ſubjungens nomine IOANNAM WENHAM dictam fuiſſe; eamdem carcere adflictam, teſtibus obrutam, atque, non quidem torturis, quæ in Anglia exulant, ſed aliis cruciatibus inquiſitoribus illic ſolemnibus (*i*) eo adactam, ut quidvis de ſe confiteretur. Ejus proceſſus, pergit, typis publicis deſcriptus fuerat, ejusque lectione plebs adeo capta eſt, ut uno menſe quatuor hujusdem editionis fieri debuerint; quibus non obſtantibus judex comitatus vir eruditione & prudentia conſpicuus furori popu-

(*e*) Recenſionem ſcriptorum huc pertinentium legere eſt in Mich. Ranfts Tr. vom Kauen und Schmatzen der todten &c. Leipzig. 1734. p. 199. uſque ad finem libri.

(*f*) cf. ad hiſtoriam Vampyrorum S. P. BENEDICTI XIV. *de Canoniz. Sanct. & Servorum Dei beatific.* L. IV. P. I. c. 21. n. 4.

(*g*) *Bibl. angloiſe* T. IV. P. I. p. 05.

(*h*) Verſ. von d. Hex. C. X. p. 173.

(*i*) v. *ibid.* p. 88. 95. 102.

lari obſtiterit, hancque mulierem vivam ſervarit. Similis plane ſpecies, ut etiam id hoc loco moneam, delata eſt ad facultatem juridicam Ænipontanam, quo ex Præfectura Principis Möſskirchenſis trochtelfingenſi acta ex confeſſionibus *Annæ Mariæ Knörin*, quæ ſe immanium ſcelerum pacti concubitus diabolici &c. ream fecerat, transmiſſæ ſunt. Solemniter illa a doctoribus rogo addicta fuit, omnium tamen votis reſtitit, eamque ſupplicio liberare conatus eſt celeberrimus PAUL. JOS. EQ. DE RIEGGER Profeſſor nuperrime meus in hac Alma Vindobonenſi, quod ipſe mihi retulit. Tandem vero Princeps FÜRSTENBERGIUS, quum videret mulierem a mente potius exerrare, ſaluti ejus conſuluit, eo effectu, ut ea paullo poſt ad ſanam rediens mentem honeſte diu cælebs vixerit, immo vero nuptiis contractis occœcatorum præjudiciis judicum temeritatem redarguerit (*k*).

CLXVIII. Hollandia ante alias terras brevi admodum reſipuit. Videmus ibi omnes conatus adhibitos, ut ex cerebro populi ideæ magicæ ejicerentur. Quum enim ſub ipſum initium ſeculi XVII. in Anglia RAINALDUS SCOTUS *detectionem artis magicæ* (*l*) edidiſſet, in qua omnem magiam libris VII. oppugnabat, nullamque eſſe oſtenderat, mox verſus Anno 1609. in vulgatam Belgarum linguam, & iterum Beverovicii cum elogiis magni viri PETRI SCRIVERII, atque GERARDI TUNINGI Jur. in Acad. Lugdun. Profeſſoris, DELMENHORSTII aliorumque 1638. prodiit. Paulo poſt JO. AB HEEMSKERK JCtus & in ſupremo Hollandiæ Conſeſſu Senator *hiſtoriam arcadicam* ſermone belgico edidit, quo libello, dum jura & antiquitates Hollandiæ perſequitur, ſimul gravia judicum antiquis temporibus in Hollandia & Germania errata circa hoc negotium perſtringit, plurima ad imaginationem refert, licet non in totum Magos neget. Aureus itidem P. SPEI libellus belgice prodiit 1657.

(*k*) Pariles caſus vide ap. BOEHMER. *Jur. eccl. proteſt* L. V. tit. *de ſortilegiis* §. 23. & ex *Cardano* ap. TARTAR. *Cong*. L. II. c. 5. §. 7. WIERUM *de præſt. dæm.* L. VI. c. 16.

(*l*) Non omittendum eſt SCOTI libro fuiſſe ſubjectam refutationem uſitatæ tum probationis ſagarnm per aquam frigidam, quæ unitis conſiliis a Medicinæ & Phyſices profeſſoribus ad Ordinum juſſum An. 1594. confecta eſt, eamque probam exſtirpandam eſſe docet. Conſilium hoc excerpam Lib. II. Cap. I. §. XXIX.

(v. §. CLVIII.). Deinde vero ABRAHAM PALINGHUS iterum Scotum secutus librum inscriptum *t'afgeruckte Momaangesicht der Tooverie* seu larvam magiæ detractam Magistratui urbis Haerlemensis Amstelodami 1659. dedicatam evulgavit. Sed quum ad finem seculi BALTHASAR BEKKERUS in eadem doctrina excederet omnem modum (§. CLIV.) oraculisque divinis machinas admoveret, tantum abfuit, ut ejus conatus in Hollandia probarentur, ut potius post multas & magnas controversias munere, quod gesserat, pariter atque communione ecclesiæ reformatæ eodem anno 1692. ejiceretur. De Republica Genevensi fidem facit KEYSLERUS (*m*) ab anno 1652. neminem Magiæ caussa combustum, hinc etiam nullas ibidem plebejas ejusmodi fabulas narrari, quibus aliæ regiones scateant.

CLXIX. Gallia LUDOVICI XIV. cura se vidit ab his opinionum portentosarum gravibus malis liberatam; cujus quidem diligentiæ duo memorabilia exstant specimina. Et primum quidem est de Anno 1652., quo, quum Parlamentum Rotomagense magnum numerum hominum miserabilium magiæ incusatorum atroci processu præmisso condemnasset, Rex in intimo status consilio sententiam dixit, vi cujus Parlamento injunctum est, ut horum miserorum caterva dimitteretur. Hæc sententia, ait PET. JAC. BRILLIONIUS advocatus Parisiensis, potestatem habuit dæmoni silentium imponendi; neque abinde in Normannia quidquam de Magis auditum est (*n*). Atque quum 1682. crambes recoqueretur, Rex edictum generale edidit regulam pro punitione continens venenariorum & eorum, QUI SUB VANA PROFESSIONE *divinorum, magorum, sortilegorum, ceterorumque ejusmodi hominum inficiunt, corrumpuntque populorum animos sermocinationibus suis, & imposturis, quibus etiam id, quod Relligio sanctissimum habet, profanant.* Edictum hoc Parlamenta Parisiense, Rotomagense, Divionense, Gratianopolitanum in suis libris memorialibus, seu regestis conservant (*o*). Italia sero hoc institutum ursit,

---

(*m*) In *itinerario germanico*..

(*n*) Dictionnaire des Arrêts. art. *sorciers* T. VI. p. 231. nov. edit. Paris 1727. cf. SAINJORE *biblioth. critique* T. II. C. VI. p. 114.

(*o*) v. Ibid. art. *devins* T. II. p. 612 art. *Magie* T. IV. p. 165. cf. ST. ANDRE in. Epistolis. Edictum integrum subjiciam *Libro secundo*.

ſed eo cautiore & majore poſtea fervore. Quidquid de barbarie, & vitio temporum elapſorum dicatur, certum eſt obicem nunc his ineptiis eſſe poſitum, adeo, ut hodie nullibi magis, quam a perſpicacibus Italorum ingeniis de rei magicæ vanitate perſuadeatur. Teſtes ſunt ſatyræ, quibus factum herbipolitanum exceptum eſt (§. CLXIII.), teſtes illuſtris MAFFEI libelli, quibus ille victoriam de ſuis adverſariis retuliſſe judicatus eſt, teſtes relligioſi plurium Ordinum viri, ad quos Maffeus ſæpiſſime provocat, ex quibus uni, Scholarum Piarum Generali celeberrimo EDUARDO CORSINO *artem magicam annichilatam* dedicavit, teſtes denique ipſi Patres officii, & inquiſitionis, qui 24. & 28. annis officio hoc perfuncti, caſus tot magicos ipſis oblatos vel vanas credulitates, vel ut plurimum impoſturas fuiſſe exiſtimarunt (*p*). Unum Maffeus excitat P. MACARINELLI, qui in libro publico profiteatur *expertum ſe pro munere* Inquiſitoris, *quo multis jam annis fungatur, ſortilegia, maleficia, incantationes ſemper optato caruiſſe effectu* (*q*). Quæ cuncta ſimul ſpondent eamdem Inquiſitioni Hiſpanicæ mentem ſedere. Et quis poſt hæc principia proceſſum ejusmodi vel umquam exſtiturum cogitet, præcipue poſtquam philoſophiæ naturalis ſtudium pedem in Italia & Hiſpania fixit; ac demum Cl. Aſſeſſor BARTHOLOMÆUS MELCHIORI occaſione facti herbipolitani concurſum diaboli ad quamcumque operam docere, ejusve a communi inimico originem juridice comprobare inter impoſſibilia numerandum eſſe docuit (*r*)?

CLXX. Reſtat, ut, quæ fata proceſſus in Magiam in terris alio ſub ſole calentibus habuerint, paucis addamus. Atque heic nobile ſe offert exemplum Habeſſinorum, qui relligionem Chriſtianam a Seculo quarto poſt Ch. N. prædicatore FRUMENTIO ſub ATHANASIO Epiſcopo Alexandrino acceptam jam judaicæ commixtam ſervant. Refert enim BALTHASAR TELLEZIUS S. J. Luſitaniæ, ut ajunt, provin-

(*p*) v. MAFFEI *arte magica dileguata* p. 13. FIORIO *arte magica diſtrutta* in fine.

(*q*) in L. *de caſibus reſervatis*. MAFF. *arte mag. annichil.* L. I. c. 3. n. 6.

(*r*) *Miſcellanea di Materie Criminali, Capitolo XIII.* Et ejusdem, *Diſſertazione epiſtolare in confermazione del detto Capitolo intitolato: degli omicidj commeſſi con ſortilegio.* Venez. 1750. 4.

vincialis scribens (*s*) de iis, quæ PP. S. J. in Habessinia gesserunt, Magam quamdam jussu Patriarchæ Alexandrini, qui hujus gentis relligioni tum præfuerat, in vincula conjectam, sed mox dimissam, quod in malam partem id accipi intelligeret: doctissimos enim Habessinorum censere nullos dari magos activos, adeoque gravissimam injuriam illi feminæ, quæ jussu Patriarchæ in carcerem ducta fuerat, illatam. Quodsi rationem quæras, qua permoti id credant, idem Tellezius eos sic argumentari memorat (*t*): *Quandoquidem Lusitani credant, quod venefici artibus supernaturalibus & occultis homines occidere possint, exinde sequi duas dari potentias divinas; neminem enim nisi Deum solum vitam dare & auferre posse.* Atque istam sententiam tam profunde infixam esse animis doctorum æthiopiæ, ut quum maxime exempla antiquitatis in S. Scriptura negare non possint, ita ait TELLEZIUS, tamen respondeant, fieri posse, ut aliis in locis venefici dentur, sed non in æthiopia, & vociferantes repetere, *hoc asserere nihil aliud esse, quam duos deos statuere.* Fuisse etiam aliquem ex optimis illorum literatis, qui aliquando dixerit: *Dolendum esse istos Patres Societatis tam doctos viros versari in tam crasso errore, ut asserant magos & lamias dari in mundo.* Mirabilis valde videtur Tellezio hæc sententia, qui eandem in Habessinos retorquet; & in illam tamquam hodiernæ experientiæ indubitatæ & actis judicialibus repugnantem graviter invehitur. Sed nos, qui eodem præjudicio non tenemur, traditionem hanc bonam ab antiquis Christianis inter æthiopes illos reliquam esse putamus, atque dum dicunt, ex hac hypothesi duos deos sequi, eos, si rem non acu tangunt, saltim significare, quid ei amplectendæ idololatriis olim ansam dederit (per demonstrata C. I.). De ceteris reliquarum terræ partium incolis, quos adhuc superstitio premit idololatrica, eo magis tenendum est, eos nihil quidquam de Magis & Sagis in sensu Europæo recentiori scire, quo magis ea, quæ

(*s*) citante IOBO LUDOLFO in *historia æthiopica* L. III. c. 11 Scripsit *Tellezius* sermone Lusitano Ludolfi historia edita est Frcf. 1681. fol.

(*t*) Citante LUDOLFO in *Comment. ad hist. æth.* Frcf. 1691. fol. p. 524.

in ſuperioribus de Græcis & Romanis notavimus, de omnibus his gentibus adſeri debent. Satis hinc elucet, quam turpiter olim Angli ſe dederint, dum ſumma injuſtitia magos in America quæſiverunt, & graviſſimis ſuppliciis exterminare conati ſunt; quam tamen carnificinam Galli earumdem poſtea partium domini redditi ſecundum edictum ſui regis de An. 1672. (§. CLXIX.) ſuſtulerunt (*u*). Quare etiam quod Hutchinſonus refert, ejus in promtu eſt ratio, dum Americani cujusdam ex Inſula San-Fortenſi Novæ Angliæ dictum commemorat, qui in ſermone familiari ad Capitaneum *Hllium* Gallos extulerit, *Sacerdotes*, inquientis, *gallicos* multo laudabilioris eſſe „ indolis, quam Anglicanos, qui ingentem Sagarum numerum in „ Americam importarint, adeo ut plures Sagæ adeſſent, quam lo„ ca, in quibus eæ ſuſpenderentur „.

CAPUT V.

SPECIATIM DEMONSTRATUR ARTEM MAGICAM NULLAM ESSE, ET QUID SIT CRIMEN MAGIÆ?

CLXXI.

Prope inutile cenſeri poſſit operoſe demonſtrare velle, quod ars magica non detur, poſtquam in data enarratione factorum luculenter patuit hanc artem non aliunde ſubſtantiam capere, quam a Corollariis ex delira & ſceleſta veterum doctrina magica adhuc hinc inde ſuperſtitibus, quæ idcirco æque explodenda ſunt ac ipſe fons, ex quo ea dimanarunt; nihilominus tamen, quum hæc ars, una cum aſtrologia judiciaria, tam multo tempore Chriſtianis recentioribus impoſuerit, quaſi effectum intentum habeant, operam non lu-

(*u*) HUTCHINSON Hiſtor. Verſuch. p. 176.

det, qui hanc *idololatriæ*, hoc eſt, omnium nefandiſſimarum vanarum tamen ſuperſtitionum *parentem* (§. IX. LXXXVIII.) ex Chriſti fidelium memoria, ſi quibus forte dubia ſuperſint, ejicere omnibus viribus adlaboraverit. Id quod ego me in hoc capite effecturum ſpero, ſi oſtendero, nullum plane fundamentum exiſtere, ex quo ars quædam magica activa deſcendere, aut defendi ſerio queat. Quare, ut ordine procedam, quem hiſtoria ſuppeditat, primum de Magia veterum, inde recentiorum ſermo iterum inſtituatur.

CLXXII. Ars eſt complexus & coordinatio ſeu ſyntaxis regularum cujusdam cognitionis, vi quarum finis intentus certo & facile obtinetur. Quæ autem iſta ars dici poteſt, quæ a gentibus earumque Sacerdotibus ad deos, aut dæmones cogendos adhibebatur? Vidimus totam horum ſcientiam conſtitiſſe in fallenda plebe per jactatum intimius cum diis ſuis commercium, per quod omnia bona & mala minabantur. Sed ut ſibi auctoritatem tuerentur, artem ſibi adſerebant incantamentis, characteribus, lineis, numeris, herbis, lapidibus deos ad ſuum obſequium evocandi. (tot. c. I. & II.) Atque ut omnem præverterent objectionem, deos has ſe docuiſſe cerimonias venditabant, qui *notum fecerint*, ut ait PORPHYRIUS (*x*), *quibus ipſi rebus aut delectentur, aut vinciantur, quibus item hoſtiis rem ſacram fieri, quos dies caveri, quam in formam ac ſpeciem ſimulacra configurari oporteat.* Quæ verba S. AUGUSTINUS (*y*) adſumens concedit id Porphyrio, *neque enim*, inquit, *potuit niſi primum ipſis* (dæmonibus malis §. LXXVIII.) *docentibus diſci, quid quisque illorum appetat, quid exhorreat, quo invitetur nomine, quo cogatur, unde magicæ artes, earumque artifices exſtiterunt.* Ceterum Magi ſeptentrionales æque ſe diſcipulos Othini & Diſæ dixerunt (§. XVI.), Legislatoresque veteres ſuas leges a diis ſe accepiſſe profitebantur; ſic Numa deam Egeriam, Minos Jovem, Lycurgus Apollinem, Pythagoras Crotoniatis alios ſibi Magiſtros eſſe perſuaſit. Judæi Cabbaliſtæ Lilitham magiſtram ſuam conſtituerunt (§. LXVII.). Adde

Cc 2

(*x*) ap. EUSEB. *præpar. Evang.* L. V. c. 7.

(*y*) de C. D. LXXI. cap. 6. cf. EUSEB. *inf.* §. 181.

jam cerimonias illas & actus ex systemate proportionali (§. VIII.) petitos, & habebis magnam illam, si diis placet! artem, qua veteres spiritus suos intermedios attrahebant; quam scilicet artem esse — —— non sanus juret Orestes! Ideo nimirum jam in Gentilismo a sapientibus risui exposita fuit (z) (§. XXIV. & passim), quum ipsum systema proportionale fundamentum artis magicæ, nil nisi fanaticismus sit.

CLXXIII. Adplicemus hæc ad vetustissima, quæ nobis de Magis narrantur exempla. Scriptura Sacra duo ejusmodi commemorat. Primum est, quod, postquam DEUS constituit populum suum electum, *per judicia maxima* EXOD. VII. 3. ex Ægypto educere, magi ægyptiaci, quorum primarios S. PAULUS II. Tim. 3. v. 8: ex traditione *Jannem* & *Mambrem* vocatos fuisse prodidit, in Mosis contumeliam præbere adnisi sunt. Habetur itaque citato Exodi loco Deum jussisse, ut Pharaoni a Mose signum suæ missionis divinæ petenti illud coram eo in aula sua produceretur, ut Moses virgam Aaronis subito in colubrum verteret. Quod miraculum quum Pharao eludere vellet, vocavit *sapientes & maleficos* (v. sup. §. XI.) Ex. VII. 11., quibus quod jam Mosis miraculum renunciatum fuisset, facile fuit, serpentibus (his namque venenum adimere populis orientalibus cognitissimum erat) se munire, & dexteritate manuum objectisve quibusdam larvis eadem simulare. Addit enim sacer textus: *Fecerunt etiam ipsi per incantationes ægyptiacas & arcana* QUÆDAM SIMILITER. Quia heic nihil de opera dæmonis dicitur, quid vetat, secundum historiæ ductum de imposturis & præstigiis philosophorum & theologorum gentilium ea accipere? Certe ideo homines doctissimi omnium ætatum nobiscum consentiunt (*a*), nec alienus vi-

---

(z) cf. MAFF. *A. M. annich.* toto libro II.

(*a*) TERTULLIANUS nudæ illusioni imputat *de Anima* c. 57. „ Sic & in illa alia „ specie Magiæ, quæ jam quiescentes animas evellere ab inferis creditur, & conspectui exhibere, non alia fallaciæ vis „ est operatior. Plane quia & phantasma „ præstatur, quia & corpus affingitur; nec „ magnum illi exteriores oculos circumscribere, cui interiorem mentis aciem excæcare perfacile est. Corpora denique videbantur Pharaoni & ægyptiis magicarum virgarum dracones, sed Mosis veritas mendacium devoravit „. Mentem S. Hieronymi v. sup. in f. §. 77. Omitto recentiores.

detur ab hac interpretatione S. P. BENEDICTUS XIV., qui ſuggerit poſſe verba ita capi, ut Magi loco virgarum ſerpentes aliunde adlatos ſubſtituiſſe dicantur (*b*) ex JOB. 30. II. REG. 19. &c., ubi, quemadmodum dicatur luctus verſus fuiſſe in gaudium, ita &, quod Magorum virgæ *verſæ in dracones* leguntur, hoc de ſubſtitutione intelligi queat. Sed devoravit ſerpens Moſis magorum ſerpentes. Æqualis reſponſio eſt ad alios duos Magorum conatus ægyptiasque aſtutias EXOD. VII. & VIII., quando Moſes OMNEM AQUAM ægypti in ſanguinem vertit, & ranarum agmen Ægyptum infeſtare juſſu divino fecit; ubi additur *feciſſe maleficos ægyptiorum incantationibus ſuis* SIMILITER. Et ita intelligimus, cur liber Sapientiæ repetens hæc Dei pro populo ſuo miracula, de Magorum ſtolida arte emphatice addat: *Et magicæ artis appoſiti erant deriſus, & ſapientiæ gloriæ* (quam præ ſe ferebant magi gentium (§. LXXIII.)) *correptio cum contumelia.* SAP. XVII. 7. (*c*). Cf. inf. initium §. CLXXXV.

CLXXIV. Confirmabimur in ſententia, poſtquam mandatum ſeu decretum DOMINI, quod populo ſuo terram Canaan ingreſſuro promulgavit, perſcrutati fuerimus, quo illum ab gentium abominationibus avertere intendebat. Id legitur DEUT. XVIII. 9. „ Quando ingreſſus fueris Terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, cave, ne imitari velis abominationes illarum gentium. Nec inveniatur in te, qui luſtret filium ſuum aut filiam *ducens per ignem*, aut qui *ariolos* ſciſcitetur, & *obſervet ſomnia*, atque *auguria*, nec ſit

(*b*) de *Canoniz. Sanctor.* L. IV. P. I. c. 3. n. 4.

(*c*) CL. COELESTINUS in libello ſup. §. 135. quem vide, excitato quem inſcripſit *egregio viro* M. JACOBO JUNIO *decretorum doctori & præſidenti in Camera inquæſtarum* regis galliæ, ſequentem in modum pro ſuo tempore philoſophatur c. 8. fol. 23. p. b. „ Nota quoniam ſecundum ſententiam NICOLAI ORESME (dicit hunc Claudius *magnum illum philoſophiæ ſcrutatorem*) opera magorum ſunt ſolum deceptiones & illuſiones; unde & de Magis Pharaonis negat, quod virgas mutaverint in dracones aut aquam in ſanguinem. Aut ſi ita fuit, a dæmonio factum eſt; quoniam vere miraculum eſt. Ex quo videtur Pharaonem juſtam habere, ut Moſi non crederet, excuſationem propter miraculum factum contra Moſi miraculum. Reſpondeo, ſi Moſes non feciſſet poſtea miracula, quæ ſufficienter evacuabant facta magorum, vere Pharao erat excuſandus, ſicut de miraculis dicitur, quæ per Antichriſtum fieri debent. Illa enim invalidavit dominus per ſcripturas ſacras, ut futuri ſint inexcuſabiles eis attendentes contra ſcripturarum prohibitionem. „

„ *maleficus*, nec *incantator*, nec qui *pythones consulat*, nec *divinos*, „ aut quærat *a mortuis* veritatem. Perfectus eris & absque macula &c „. Admonitione universali C. XX. v. 18 subjuncta „ ne forte hi populi „ doceant vos facere cunctas abominationes, quas ipsi operati sunt diis suis, & peccetis in Dominum Deum vestrum „. Prædixit postea JESAIAS Babyloniis pœnas eos sibi gravissimas arcessituros esse ob eadem plane scelera C. XLVII. 12. *Universa*, detonat, *venerunt super te propter multitudinem maleficiorum tuorum*, ET „ PROPTER DURITIAM INCANTATORUM TUORUM VEHEMENTEM. „ Et fiduciam habuisti in malitia tua, & dixisti, non est, qui videat me. Sapientia tua & scientia tua hæc decepit te „. Ironice subdens: „ Sta cum incantatoribus tuis & cum multitudine maleficiorum tuorum, in quibus laborasti ab adolescentia tua, SI FORTE „ QUID PROSIT TIBI, aut si possis fieri fortior. Defecisti in multitudine consiliorum tuorum, stent & salvent te augures cœli, qui „ contemplabantur sidera, & supputabant menses, ut annunciarent „ ventura tibi „. Habemus heic rursus Magiam & Astrologiam, quæ gentes in errores rationi abominandos induxerunt, omnium scilicet & innumerarum superstitionum matres (§. XLVIII.), nec vel levissimam operæ dæmonis mentionem.

CLXXV. Ut autem decreti divini mentem percipiamus, juvabit aliquot præcipuas species magorum orientalium ad ejusdem ductum examinare. Animadverti oportet omnia in eo tantum ideo prohiberi, quod gentem hebræam ad Idololatriam alioqui pronam magis adhuc a Deo vero abducerent. Ita mox prima est prohibitio: ne quis filium aut filiam suam lustret per ignem, quod ignis ab idololatris inter præcipui Dei simulacra referretur, quam relligionem etiam *Zardusht* retinuit § III. (*d*). Sicque pariter alibi Magia idololatriæ jungitur, dum Manasses omnia scelera in deuteronomio interdicta in usum revocasse legitur IV REG. c. 21. & JEZABELI *exprobratur quod adhuc ejus fornicationes & (φαρμακα) veneficia* (§. LXI.) *multa vigeant*. IV. REG. C. IX. v. 22. ubi *fornicatio spiritualis*, seu idolomania secundum consuetam scripturæ phrasin intelligitur. Est quippe ars magica idololatriæ parens (§. IX.). Sequitur in lege divina prohibitio,

(*d*) Cf. Ep. mea de *ritu ignis in Natali S. Johannis accensi* p. 19. seqq.

ne arioli conſulantur (*e*). *Ariolus* videtur eſſe terminus generalis, ut quum Deus inobedientiæ & ariolandi peccatum comparat, dicens per Samuelem: *Quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle adquieſcere* I. REG. C. XV. v. 23., uti & dum ejusmodi homines illis, qui ſine mente loquuntur, æquiparantur, *in ſimilitudinem arioli, & conjectoris æſtimat, quod ignorat*, PROV. XXIII. 7. cf. ſup. §. LVII. Interim in Talmude ita pingitur (*f*): „ Imponit os avis, „ cui nomen Jedua, ori ſuo, & ſuffitum facit, aliaque opera peragit, donec procidat inſtar epileptici, loquaturque ore ſuo ea, quæ „ ut fiant futurum eſt „. *Propheta aut fictor ſomniorum*, qui locutus eſt, ut populum a Deo domino ſuo averteret, & de via recta errare faceret, interfici jubetur DEUT. XIII. v. 5. *Augures* quid ſint, explicavit Jeſaias (§. præc.) *Malefici* ſunt goetæ (§. XI.) in ſpecie. *Incantatores* in ſtrictiore ſenſu ſumti miris ſomniis animos populorum orientalium paſcebant, quum ita ſcenam inſtruerent, ut ſibi a Diis ſuper animalia ſed ſerpentes inprimis commiſſum dominium adfectarent. Hos paullo attentius conſideremus.

CLXXVI. Scilicet convocabant ſerpentes muſica vel incantationibus, adlectis ita ſpiritibus & phantaſia horum animalium, quod maxime in his fit per ſonum naturali talium ſibilantium aut cantillantium beſtiarum ſono analogum (*g*). Facit huc, quod THOMAS FAZELLUS (*h*) de captura Xiphiorum piſcium teſtis *ἀυλοπτης* ſcribit, græca eos voce edita capi, quum ea adlecti piſcatorum ſcaphis & vado adpropinquent, in eo ineptus, quod id putet arte magica fieri; addens: „ Quodſi ſpeculator aut quivis alius ſermonem italicum temere effuderit, ſtatim, quaſi mors iis protenderetur, diffugere „. Notatur inter acta ſocietatis Anglicæ (*i*) poſſe animalia fera beneficio certorum inſtrumentorum & rhytmorum muſicorum cicurari, ac ad ſervitia humana ſubjugari, cujus exempla in libro, qui illic lauda-

(*e*) LEVIT. XIX. 31. *Non declinetis ad Magos, nec ab ariolis aliquid ſciſcitemini.*

(*f*) Cod. *de Idololatria* C. VI. Sect. I.

(*g*) Notum eſt JOANNEM RHEDI naturæ myſtam Serpentes ſonos muſicos edocuiſſe.

(*h*) *De reb. Sicul.* Lib. I. *Decad.* I. c. 4.

(*i*) Editore HENRICO OLDENBURGIO num. 114.

tur, *de humana industria & ingenio* adducantur, posse denique ea arte vetus illud plenumque dominium super animalia reduci. Ejus artis vestigia apud VARRONEM (*k*) sunt „ *Quintus*, ait, *Orphea* vocari „ jussit, qui quum eo venisset cum stola & cithara & cantare esset jussus, buccinam inflavit, ubi tanta nos circumfluxit cervorum, aprorum & ceterarum quadrupedum multitudo, ut non minus formosum mihi sit spectaculum, quam cum in circo maximo ædilium, non sine africanis bestiis fiunt venationes „. In *libro Mirabilium* saga thessala dicitur *μιμεισθαι την φωνην του θηριου imitari vocem animalis.* In Praxim deducitur id a rege africano in regno *Gingiro*, de cujus electione hæc memorat TELLEZIUS (§ CLXX.): (*l*) „ Descendentes electores veniunt cum magno clamore in illum locum, ubi electus est, statimque eum adeunt, illumque reperiunt circumdatum leonibus, tigridibus, draconibus & pardis „ præter tamen rationem subjungens, „ quos tanquam prætorianos & aulicos omnes ibi diabolicis suis magicis artibus unum in locum congregant „ quasi vero bestias cantu (*m*), pabulo, assuetudine attrahere diabolicum quid sit! Ut jam ad incantatores nostros revertar, certum est etiam, illos a serpentibus vaticinandi peritiam expectasse (*n*). Id vulgo creditum fuit serpentes aures lambendo vaticinium præstare, quod Heleni, & Cassandræ exemplo docet *scholiastes Euripidis* (*o*) *ἐλθοντες ὀφεις και τα ἀυτων περιλειξαντες ὠτα ὀξυηκοους εἰργασαντο, ὡστε μονους τας των θεων ἀκουειν βουλας, και μαντεις ἀκρους εἰναι.* „ Accedentes serpentes, ait, „ & eorum Aures circumlingentes auditum illorum adeo exacuerunt, ut soli consilia deorum audirent, & summi vates evaderent „. Et hinc PLINIUS (*p*) ex veteri fama *Melampodi aures lambendo dedisse*

(*k*) De re rustica Lib. III. c. 13.

(*l*) LUDOLF. *Comment. ad hist. æthiop.* p. 216.

(*m*) cf. MORHOF. in Stentore ὑαλοκλαςη cap. XVI. p. 432. inter academ.

(*n*) Hinc נחש & *Serpentem* notat & *augurium*. Hinc Πυθων a פתן quæ vox genus quoddam Serpentis significat. v. BOCHART. *Hierozoic* L. I. c. 3. Part. I.

(*o*) In *Hecubam.* add. TZETZES *Prolegom.* in *Lycophron.* Dracones Pellæos immani magnitudine, ita mansuetos & familiares narrat LUCIANUS in *Alexandro*, ut infantum more lac e papilla sugerent.

(*p*) Hist. N. L. X. c 49. cf. elegantem nummum ΑΒΩΝΟΤΕΙΧΕΙΤΩΝ ap. SPANHEM. *de usu & pr. num.* Diss. III. p. 177.

diffe intellectum avium sermonis Dracones meminit. Quæ denique hi homines remedia superstitiosa pro variis morbis ex animalibus jactaverint, ita sibi & diis suis cuncta adserendo, conjici potest ex iis, quæ de arctophoris adhuc inter christianos prohibita fuerunt (§. CXVII.) a Concilio Trullano (*q*).

CLXXVII. Ceterum artem suam sæpe sibi infeliciter cessisse ostendit ECCLESIASTICUS XII. 13. *Quis miserebitur*, ait, *incantatori a serpente percusso & omnibus, qui appropiant bestiis?* Et DAVID, qui meminit *aspidis surdæ quæ non exaudit vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter, Psalm.* LVII. 5. 6. (*r*) Idem supponit JEREMIAS VIII. 17. ubi ad persuasionem vulgi adludendo: *Mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio, & mordebunt vos.* Succedit inhibitio de *Pythonicis*, quos septuaginta ubique ἐγγαστριμυθες die Bauchredner reddunt. PLUTARCHUS mire confirmat & illustrat vulgatam versionem, ubi in caussas oraculorum inquirit (*s*), aitque *quos olim Engastrimythos, Eurycleas, quod e ventre sermonem fatidicum procurent, nunc Pythonas nominari.* Sunt itaque illi, qui non in ore, sed in gula & quasi in ventre imo sonos & vocem formabant; quare in JESAIA dicitur XXIX. 4. *Erit quasi Pythonis de terra vox tua* (*t*). Talis in Talmude ita describitur: „Stans notum suffimen adolet, virgamque myrti manu tenens agitando offert, atque incantationem loquitur verbis apud illos notis, donec consulens audiat, ac si secum aliquis loqueretur, ipsique de interrogatis responderet, verbis e terra prolatis voce admodum submissa, ac si auribus non perciperet, sed eam cogitatione assequeretur. Similiter, qui cranium cadaveris accipit, eique suffitum facit, & in eo augurium captat, donec audiat, ac si vox prodiret ex axillæ suæ lo-

(*q*) cf. *L. ult. D. de extr. crimin.* EVER. OTTO *de Tut. viar.* III. 3. p. 452. Ad legem illam etiam conferendus est CORN. CELSUS *de Medicina* L. V. C. 27. qui Psyllorum & circulatorum serpentes tuto tractantium imposturas acute detegit.

(*r*) Adde proverbium: *Ova aspidum ruperunt.* JESAIÆ c. 59. v. 5.

(*s*) De defectu oraculorum.

(*t*) Notabis heic etiam Orientalium loquendi modos ex JOBO c. 32. v. 18. *Plenus sum sermonibus & coarctat me spiritus uteri mei. En venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod laguncculas novas disrumpit.*

„ co, eaque valde ſubmiſſa, quæ ipſi reſpondeat „. Notabile admodum ejuſmodi nebulonis pythonici exemplum adfert Wierus (u), qui hac arte matrimonium puellæ divitis ſibi a matre procuravit, quod curioſi ibidem legant ex ore Hadriani Turnebi profeſſoris Pariſienſis relatum, Franc. Mercurius ab Helmont pariter id de propria experientia teſtatur & ſimul explicat, *quod talis ſermo fiat per epiglottidem, ut quis ſcilicet attracto Spiritu loquatur in ventrem ſuum, ore penitus clauſo* (x). Habuimus & Vindobonæ B. de M. qui vocem eo modo ſimulare noverat. Qui igitur ſpiritu quodam in ventre reſidente conſulentibus reſpondere credebatur, is *Pythonem habere* dicebatur, cujusmodi impoſtores occidit Saul; de eo quippe legitur I. Reg. 28. v. 3. *Abſtulit Magos & ariolos de terra; & interfecit eos, qui pythones habebant in ventre.* Ex quo intelligitur rumuſculum popularem puellæ illi talem ſpiritum indidiſſe, quam revera obſeſſam a dæmone liberavit Paulus *Act.* XVI. v. 16.

CLXXVIII. *Divinans*, a quo poſtremo Judæi ut caveant, monentur, in Talmude (y) dicitur „ qui aliud quoddam opus facit, ut ecſtaſi abripiatur, ipſiuſque vacet mens ab omnibus rebus, „ donec ea, quæ futura ſunt, prædicat, aut quæ fieri debent „. Hujuſmodi autem tenebriones narrantur ibidem proni jacere humi, quandoque arenæ, lapidibus, ſpeculo aut baculo ad eam rem uti ex Hoseæ IV. 12. Iidem ergo etiam a mortuis veritatem quærebant, hoc eſt *necyomantiam* exercebant, de qua in capite II. & poſtea ubi de Saule (z) ſermo incidet. Horum omnium (a §. CLXXIV.) communis ſcopus erat futura prædicere (§. L.) quare & Pſeudopropheſ-

(u) De *præſtig. dæm.* L. II. c. 14. n. 8. 9. p. 140.

(x) *Alphabet. vere naturale hebr.* colloq. 3. pag. 23.

(y) Tit de *Idololatria* c. 11. ſect. 6.

(z) Antiquiſſimæ hujus ſpeciei divinationis populis idololatris omnibus uſitatiſſimæ conantis veritatem ab ipſis defunctorum animabus reſciſcere, exempla plurima proferunt poetæ *Homerus* tot. L. XI. Odyſſ., *Lucanus*, *Silius Italicus*, quin & *Apulejus* in Metamorph. unum habet. Impoſturis his templa propria dicata fuiſſe, ubi evocationes manium celebrarentur, referunt hiſtorici *Pauſanias Lib. III.* & *Plutarchus in vita Cimonis* atque *de ſera numinis vindicta.* Originem ejusmodi templi in Epiro v. in le Clerc *Bibliot. Univerſelle* tom. VI. in explicatione fabulæ Cereris Quis hodie non rideret eum poetam, qui vellet fingere heroem ſuum ipſos conſuluiſſe manes?

tarum nomine veniunt, & quum omnes ſenſu Dei & Chriſtianorum goetæ eſſent (§. LXXVI.), goetæ vero impellerentur auri ſacra fame (§. XXIV. XXV.) dicit MICHÆAS de populo Iſraelis in idolomaniam prolapſo: *Prophetæ ejus in pecunia divinabant* III. 11. Et ſic tandem facile intelligi datur, quos legislator ſapientiſſimus in breviſſima illa lege comprehenderit, qua imperat: *Maleficos* (§. XI. LXXXVII.) *non patieris vivere* EXOD. XXII. 18. fecem eam hominum evellere intendens, quæ fini reipublicæ perfectiſſimæ condendæ in electo populo e diametro repugnabat; quam denique, ſi tolerare voluiſſet, perfectionibus theocratiæ vel maxime repugnaturam fuiſſe nemo non videt (*a*). Addi heic poteſt alia priſca decreti, in quod nunc commentati ſumus, divini translatio, quam ſervavit *Pariator legum Moſaicarum & Romanarum* (*b*), quæque non vanus de Eccleſiæ hac in re ſenſu teſtis eſt. Sic autem interpretatio iſta ſe habet: „ Non inveniatur in te, qui luſtret filium tuum, aut filiam tuam, nec divinus, apud quem ſortes tollat: nec conſentiat venenariis impoſtoribus, qui dicunt, quid conceptum habeat mulier: *Quoniam fabulæ ſeductoriæ ſunt.* Nec intendas prodigia, nec interroges mortuos. „ Non inveniatur in te augurator, nec inſpector avium, nec maleficus, aut incantator, nec Pitonem habens in ventrem, nec aruſpex, „ nec interrogator mortuorum, nec portenta inſpiciens. Omnia namque iſta a Domino Deo tuo damnata ſunt, & qui fecerit hæc „.

CLXXIX. Usque huc de primo Magorum exemplo in Scriptura ſacra memorato egimus. Succedit alterum ſub regibus populi Iſraelitici. Scilicet SAUL, quum derelictus fuiſſet a Deo, deſperanti & inſano ſimilis magos & ariolos, quales antea tamen interfecerat, I. REG. 28. v. 3. iterum conſulendos cenſuit, quare ſuis famulis in mandatis dedit, ut *quærant* ſibi *mulierem habentem Pythonem ib.* XXVIII.

(*a*) Add. GROT. *de J. B. & P.* L. II. c. 20. §. 9. n. 5. Heic ergo de genere idem ſtatuendum erat, quod de ſpecie jam monuerat. Nam & fictores ſomniorum *Deut.* XIII. 5. & Pythoniſſos *Levit.* XX, 27. occidi juſſerat divinum Numen.

(*b*) Tit. XV. de *mathem. & manich.* Scripſit Pariator ad finem ſeculi V Exſtat in SCHULTING *Juriſp. ante - Juſt.* p. 784.

v. 7. Unde adparet tunc hanc illuſoriam artem jam ſolas mulierculas profeſſas fuiſſe uti fere apud Germanos, quum olim ab utroque ſexu exerceretur Levit. XX. v. 27. Famuli invenerunt hujusmodi mulierem in Endor. Igitur Saul de nocte cum duobus ſociis ſe viæ accingit, mulieremque accedit, at ab illa, Samuele revera a mortuis reſurgente, triſtis recedit, quod ipſi una cum ſuis filiis Samuel mortem intimaſſet. Quæſtio an Samuel verus, an ejus phantaſma, an ad artis magicæ nutum ſe ſtiterit, inter interpretes agitatur. S. Thomas (*c*) duas ſententias ſufficit. Primam ex Augustino, qui dicit „ non eſſe abſurdum credere aliqua diſpenſatione „ permiſſum fuiſſe, ut non dominante arte magica vel potentia, ſed „ diſpenſatione occulta, quæ Pythoniſſam & Saulem latebat, ſe „ oſtenderet ſpiritus juſti aſpectibus regis divina eum ſententia per„ cuſſurus „. Secunda eſt ipſius Thomæ, quam mox ita ſubjicit: „ Vel non vere ſpiritus Samuelis a requie ſua excitatus eſt, ſed ali„ quod phantaſma vel illuſio imaginaria diaboli machinationibus fa„ cta, quam ſcriptura Samuelem adpellat, ſicut ſolent imagines re„ rum ſuarum nominibus adpellari „. Quam poſtremam ex ſuppoſitis Auguſtino libris Gratianus variis ratiociniis pictam, fuſe in decretum ſuum retulit (*d*). Poſtquam tamen hodie auctoritas libri Eccleſiaſtici canonica ab univerſali Eccleſia agnita fuit, quæ etiam D. Thomæ ætate adhuc vacillaverat, recepta eſt ſententia, quam Augustinus prius foverat, ſed dein rurſus deſeruit (*e*), quum in Eccleſiaſtico narretur Samuel poſt mortem ſuam *notum feciſſe regi finem vitæ ſuæ* (*f*). Atque etiam hæc interpretatio ſacro textui convenientior eſſe reperitur. Prævertiſſe Deum imperio ſuo conatus vanos mulierculæ ex eo patet, quod antequam mulier ſuas incantationes concepiſſet, jam vidiſſe Samuelem, & quidem in majeſtatis ſplendore quodam velut deum aſcendentem memoretur; coram quo illa terrore magno concuſſa fuerit. Dein Samuel continuo ad Saulem ſermonem

(*c*) *Summa* II. 2. q. 95. a. 4. ad 2.

(*d*) Can. 14. C. XXVI. q. 5.

(*e*) Mentem Auguſtini hac de re curate indagat Tartarott. *Congr. nott.* App. Ep. §. 18. & 19.

(*f*) Cap. XLVI. 23.

ſuum dirigit, eaque ipſi prædicit, quæ mulier ſcire non poterat, ergo neque fingere, nec demum etiam tam odioſa prædicere auſa fuiſſet auri fame (§. CLXXVIII.) repugnante. Quinimmo aufugiſſe illa videtur, quando Samuel incipiebat loqui, quod finito ſermone ad Saulem præ timore viribus defectum & in terram porrectum tunc demum INGRESSA fuiſſe dicatur. Illud vero prorſus a ratione alienum eſt, diabolum vi artis Magicæ animam juſti excitaſſe (*g*). Neque præterea Deus gentiles per hoc miraculum in errore artis magicæ confirmavit, quum potius Saul & mulier goëta manifeſtiſſime operationem ſupernaturalem ſenſerint, & enti ſummo adhærere didicerint, aut certe diſcere facile quiverint.

CLXXX. Quo autem penitius vanitatem artis magicæ veterum perſpiciamus, removendum nunc eſt dubium, quod ex SS. Patrum minus apta interpretatione oriri poſſet. Deduxit enim ex eorum ſcriptis ILL. MAFFEUS (*h*) quamdam traditionem, quod poſt redemtionem generis humani dæmoni non amplius facultas competat votis eorum obſecundandi, qui eum invocant. Hoc argumento uſus cum multis aliis CL. TARTAROTTUS; concludebant ergo artem magicam tamen ante Chriſtum natum exſtitiſſe, id quod Maffeus in opere ſecundo ſpecialiter refutare opus habuit (*i*). Sed uti aliqua in fervore diſputationis & ILL. MAFFEO, & CL. TARTAROTTO exciderunt, quorum fidejuſſorem me præſtare nollem, ita & hoc in themate eveniſſe, quamvis minori cum detrimento quæſtionis, quum reipſa de hodiernis temporibus quæratur, mihi videtur. Nos interpretationem Patrum aliquibus obſervationibus juvabimus. Primo igitur loco ex ſuperioribus repetendum eſt, quod, dum a Chriſtianis quæritur, an apud gentiles diaboli notione deſtitutos (§. LVII.) & ſolummodo quoddam ens Deo ſummo contradiſtinctum ſibi fingentes ars magica pro goëtia accepta aliquid valuerit, res ab illis ita debeat concipi, ut quæri fingatur, an, dum hic vel ille ſceleratus a ſummo omnium rerum parente averſus ens illud malum corde ſuo in-

(*g*) v. Scripturæ interpretes.

(*h*) *Arte M. dileg.* §. 13. p. 34 38. *Arte magica annich.* L. III. c. VI. & VII.

(*i*) *A. M. annich.* L. I. capo 4.

timo arcessere in auxilium adnisus est, aut ab eo quid imploravit, Deus permiserit diabolo potestatem illi scelerato favendi? Nos id tuto negamus, quum in tota Scriptura non exstet vola, non vestigium, quod Deus talia permiserit, atque illud pythonissæ exemplum huc non faciat (§. CLXXIX.). Separandæ omnino ab hac quæstione sunt tentationes & illusiones diaboli, detentiones in erroribus idololatricis, quin immo tempore adventus Christi, & post eum ad demonstrandum in omnes spiritus dominatum a divino numine admissæ obsessiones dæmoniacæ, de quibus memorabile exemplum Damascius apud *Photium* (k) adfert; Hieroclem videlicet uxorem habuisse dæmonio obsessam, quod juramentis Theosebius, quamvis Theurgiæ peritus non esset, exire compulerit adjurans id *per solis radios & Hebræorum Deum*, quo facto exiverit dæmon, clamans, *colere se quidem Deos, hunc Theosebium vero se timere.* Cum quibus omnibus Magia nihil commune habet (l).

CLXXXI. Quæstioni ergo, an SS. Patres artem magicam jactatam a Gentilibus crediderint, ut respondeamus, negamus & pernegamus eos his gentium adsertis, quibus illi seu deos bonos sive malos ad obsequia cogi persuadere voluerant, fidem adhibuisse certe numquam ullove modo defendisse aimus, cujus contrarium non evincitur per id, quod in Patrum scriptis oppositum inveniri quibusdam videatur; quod hi videlicet prudentissime agendo non difficilibus & tamen sæpissime frustraneis factorum inquisitionibus se ingerendo, paucas etiam de his revelationes urgendo, denique supponendo interim facta & propria gentilium asserta in suum usum vertendo, *argumentis ad hominem*, ut ajunt, gentiles a falso cultu revocaverint, quum illis ostenderent, quidquid illi pro relligione sua dicant, omnia a malo dæmone esse inspirata, malaque eos dæmonia colere, quæ non possint ad beatitudinem ducere. Proferam aliquot eam in rem Patrum textus. Primus prodeat Euse-

(k) Cod. CCXIV. p. 353. CCLI. p. 749. Suidas in *Hierocle*.

(l) Notandum etiam exorcizare antiquis sæpe sumi pro cathechizare. Exempla sunt in Voelli *Bibl. Jur. Canon.* ubi v. Indicem. De exorcizatione & exsufflatione in baptismo, quo Ecclesia *filios fidelium a potestate tenebrarum & a principe mortis eruit*, quaque *princeps mundi & a parvulis ejicitur foras*, v. August. L. VI. *cont. Julian.* c. 5.

BIUS (*m*), qui ita habet: „ Jam vero non alios ab initio maleficæ „ artis magistros, quam egregia numina constat: qui enim isthæc „ homines aliter nosse potuissent, nisi dæmones iis res suas ipsi ape- „ ruissent, & quibus quique vinculis constringantur, indicassent? „ Neque vero NOSTRAM hanc ORATIONEM esse putes, quippe QUI „ NIHIL ISTORUM A NOBIS INTELLIGI, AUT EXPERTI FATEMUR, „ idem a nobis testis (Porphyrius) producatur, qui & sapiens a suis „ habetur, & omnes RELLIGIONIS PATRIÆ rationes accurate non „ modo novit, sed etiam exposuit &c. Excipiat HIERONYMUS „ (*n*): Sunt quidam dæmones amoribus & amatoriis carminibus ser- „ vientes; nam barbara quædam eorum nomina esse DICUNTUR, „ ut sæpe CONFESSI SUNT hi, quos vere vulgus *maleficos* vocat, „ & incantationes & preces & colores varii, & diversa vel metal- „ lorum genera vel ciborum, ad quæ invocati assistere dæmones & „ infelices animas capere MEMORANTUR. — Ideo autem nunc eo- „ rum, qui magicis infelices artibus serviunt, & facere ista PERHI- „ BENTUR, in medium exempla protulimus, ut retundamus eorum „ opinionem, qui putant, omnia vitia esse carnis & sanguinis, & „ nullam habere dæmones potestatem „. (En quid solummodo S. Pater ex his concludat, quod nemo sanus negare ausit!) UT NOS INCITENT AD PECCATUM „. Succedat AUGUSTINUS, qui quum theurgicas animæ purgationes & inde adparitiones deorum a Porphyrio propalatas exposuisset, subjungit: — „ O animæ prædicanda „ purgatio! ubi plus imperat immunda invidentia. — — Quod, qui „ has sordidas purgationes sacrilegis ritibus operantur, quasdam mi- „ rabiliter pulcras, sicut iste commemorat, vel angelorum (§. „ XIV.) imagines vel deorum tanquam purgato spiritu vident, SI TA- „ MEN VEL TALE ALIQUID VIDENT, illud est, quod Apostolus „ dicit, quoniam satanas transfigurat se in Angelum lucis (*o*) „. Addamus LACTANTIUM (*p*): „ Magorum ars omnis ac potentia ho-

---

(*m*) de *præpar. evangel.* Lib. V. c. 7.

(*n*) in *ep. ad Ephes.* T. VII. Opp. Lib. III. c. 5.

(*o*) de C. D. Lib. X. cap. 10. excitato jam sup. cap. II. §. 78.

(*p*) Inst. div. L. VI. c. 15. cf. MAFFEI *A. M. ann.* L. III. c. 6. n. 8.

„ rum (dæmonum) aſpirationibus conſtat, a quibus invocati viſus „ hominum præſtigiis obcœcantibus FALLUNT, ut non *videant, quæ ſunt,* „ *& videre ſe* PUTENT ILLA, QUÆ NON SUNT. Hi, ut dico, ſpiritus „ contaminati ac perditi — omnia INSIDIIS, FRAUDIBUS, ERRORIBUS COMPLENT „. Ineptus forem, ſi alia Patrum (*q*) loca ab adverſariis objecta adcumularem, quæ omnia eumdem ſenſum habent, hoc eſt, vel referunt mendacia pernicioſa gentilium, quibus illud EZECHIELIS XXII. 28. jure adplicueris: „ Prophetæ (§. CLXXVIII.) „ liniebant eos absque temperamento, videntes vana, & divinan- „ tes eis mendacium, dicentes: Hæc dicit dominus Deus, cum „ Dominus non ſit locutus „; vel nihil aliud quam fraudes idololatriæ depingunt: nec dicunt per Magiam, aut pro lubitu magorum a dæmonibus poſſe homines occidi, morbos aut dæmones immitti, mala vel bona quæcumque phyſica patrari, quod dæmonographorum abſurdum commentum eſt. Denique licet concederemus aliquos Patres his facti rebus de una ſpecie magiæ venditatis fidem adhibuiſſe, velut forte Lactantium lib. VII. c. 13. quis nos eodem obſtringet?

CLXXXII. Fluit ex his intellectus ejus, quod Patres ſtabiliunt, Chriſti adventu Magiam deſtructam, ejusque vires annullatas eſſe (*r*). Scilicet popoſcerat id Patrum ſyſtema, quo ii totam ethnicorum relligionem & cum ea connexa dæmonibus adſcripſerant, cui conſequens erat, ut Chriſtus dæmonum opera deſtruxiſſe diceretur (*s*). Illuſtrant hoc adſertum ea, quæ iidem de oraculis paganono-

(*q*) Immo TERTULLIANUS aperte: *Quid ergo dicemus Magiam? Quod* OMNES PENE FALLACIAM. de Anim c. 57. De illa Magiæ ſpecie, quæ necyomantia vocabatur, ubi animas prius ſeparatas a corpore fingebant evocari (§. 30. 99. 178. not. *z*) *quod*, ejusdem ibidem Tertulliani phraſi, *videretur eas potiſſimum animas ad vim & injuriam facere, quas per vim & injuriam ſævus & immaturus finis extorſit, quaſi ad vicem offenſæ*, S. CHRYSOSTOMUS exclamat: „ Quis ratione præditus „ credere poſſet, animam læſam ſe lædenti ſociare? „ Hom. XXVIII. in Matth. T. VII. *opp.* p. 336. Quid de Faſcinationibus ſenſerint, lege ſupra §. 72. quid de dæmonibus incubis, tempeſtariis &c. ſparſim adde §. 186. not. *m*.

(*r*) v. Patrum loca ap. MAFF. *A. M. ann.* L. III. c. 6. & 7.

(*s*) S. ATHANASIUS de *incarnatione verbi Dei:* „ Si de univerſa arte magica ejusque nomine Crux Chriſti triumphavit, perſpicuum „ eſt, Salvatorem Magum (v. §. 77. not. *g*) „ non fuiſſe, utpote quem dæmones quos alii „ magi invocant, tamquam dominum fugiunt „. Nota DE NOMINE triumphaſſe.

norum dixerunt. Poſtquam hodie lis inter P. BALTUM, & elegantiſſimum FONTENELLIUM deferbuit (*t*), certum eſt, oracula hæc meras fuiſſe Sacerdotum gentilium impoſturas, quum alias Deus admittendo dæmoni, ut relligionem eorum tot ſeculis per miracula firmaret, non poſſet imputare gentibus, quod eæ in Idolomania tot ſignis confirmata manſerint (*u*). Confirmat Scriptura, ubi de eo, qui idola de eventibus rerum ſuarum conſuluit, ait: *Non erubeſcit loqui cum illo, qui ſine anima eſt*, & *qui in omnibus eſt inutilis* SAPIENT. XIII. 17. 19. quia idola *nec male poſſunt facere, nec bene* JEREM. X. 5. ISAIÆ VIII. 19. *Ventus & inane ſimulachra idololatrarum* ISAIÆ XLI. 29. I. CORINTH. 8. EUSEBIUS aperte theologiam gentilem *popularem* illam fuiſſe ſcribit, quod in idolis & ſimulacris virtutes divinæ ſpiritusque condantur; eaque omnia aſtutiæ, fallaciis & artibus eorum, qui profeſſionem magiæ faciebant, & ſic animabant oracula (§. XLII. LXXXVI.) adſignat verbis ſequentibus. „ *His igitur collectis*, ait, *aliisque pluribus merito neget* quispiam *tam dæmones quam deos* ſparſorum per urbes oraculorum *auctores* fuiſſe, remque totam in ERROREM VULGI AC GOETARUM FALLACIAM conferat. Et vero integræ quoque ac præcipui nominis philoſophorum ſectæ hujus opinionis duces ac vindices exſtitere, puta, qui ex Ariſtotelis diſciplina prodierant, & quotquot deinceps peripatetici nominati ſunt, nec non cynici & epicurei, quos equidem mirari eo nomine plurimum ſoleo, quod quum græcorum in moribus ab ipſis incunabulis educati fuiſſent, ac deos eſſe, quos ante diximus, pueri a ſuis quisque parentibus accepiſſent, numquam tamen erroribus

(*t*) FONTENELLE *Hiſtoire des oracles.* P. BALTE *Reponſe. Remarques ſur le demelée entre le Pere Balte & Ms. Fontenelle* dans *la Bibl. choiſie* de *Ms. le Clerce.* T. XIII. it. BASNAGIUS ad CUNÆUM *de republ. hebræor.* in Collectione Antiquitatum judaicarum gallica Amſtel. 1713. T. II. 8. Libro II. ſect. 3. C. X. — XII. Porro de oraculis perpendi meretur CAR. FERD. HOMMELII diſſ. de *Apolline Jurisperito*, *in qua oſtenditur oracula primis temporibus non de futuris, ſed de jure conſulta fuiſſe.* Lips. 1748. 4.

(*u*) *Operatio miraculorum*, ait S. THOMAS Quæſt. Diſput. q. 6. a. 5. *eſt quoddam divinum teſtimonium, indicativum divinæ virtutis & veritatis; quæ ſi dæmonibus, quorum voluntas tota in malum eſt, daretur, Deus falſitatis eorum teſtis exiſteret*, QUOD DIVINAM NON DECET VOLUNTATEM.

„ iſtis irretiri ullo modo potuerint ; ſed potius , quæ paſſim jacta- „ bantur oracula , quæque omnium concurſu populorum vaticinia „ celebrabantur , ea non modo vanitatis ac mendacii coarguerint, „ ſed etiam exitii potius quam utilitatis ullius cauſſas eſſe demon- „ ſtraverint „. Addatur Origenes (*x*) & S. Clemens Alexandrinus (§. ſeq. in fin.).

CLXXXIII. Probe itaque intellexerant Sancti viri gentilitatis projectæ placita fuiſſe technas & impoſturas hominum , nihilominus tamen conceſſerant paganis id , quod ipſi tuebantur , omnia ſua a diis venire, atque , quum ſatis eſſet ad triumphum ab his reportandum , hos deos oſtendere non alios poſſe eſſe quam dæmones, inhæſerunt huic ſolum argumento , ut patefacerent cultum dæmonum omnino rejici debere. Et quidem, quod ad oracula attinet, oſtenderant eorum reſponſa indigna eſſe , ut bono alicui enti tribuantur. Hæc ergo erant argumenta ex ipſis rei viſceribus petita , popularia, obvia & cuique vel parum ſanæ mentis illucentia , quum e contra oſtendere technas & fraudes hominum & Sacerdotum valde odioſum, difficile ac periculoſum (§. CLXXXI.) foret. Sicut igitur porro , ut ſcopum feriam , iidem Patres profeſſi ſunt oracula in adventu Chriſti ceſſaſſe, ſic & neceſſario propugnare debuerant, Magiam fuiſſe deſtructam (*y*). Quæ cuncta tamen non ſimpliciter accipi debent. Nam ſcimus oracula ex Cicerone aliqua multo ante Chriſtum natum fidem apud gentiles philoſophia magis excultos perdidiſſe , ſcimus ex Plutarcho , & aliis multa oracula uſque ad finem ſeculi poſt Chriſtum quarti reddi continuaſſe. Scimus Magicam artem ante Chriſtum ab acutioribus irriſam fuiſſe , ſed & eamdem

(*x*) Lib. VII. *Cont. Celſum* , qui Chriſtianis objecerat ab iis contemni oracula , ubi paria Euſebii verbis leguntur.

(*y*) Ita ipſe Porphyrius confeſſus eſt Ἰησοῦ τιμωμένου οὐδεμιας τις θεων δημοσιας, ὠφελειας. ᾐσθετο ap. Eus. *Præp. Evang.* L. V. c. 1. *Ex quo JESUS coli cœptus eſt* , *publicam Deorum opem neminem ſenſiſſe.* Sacerdotes gentium pudebat enim jam impoſturis uti , & plurimi a relligione pagana defecerant. Quare ſacrificulorum gregis hæc pervulgata vox erat: „ Negliguntur dii , atque in templis jam raritas „ ſumma eſt : jacent antiquæ deriſui ceri„ moniæ , & Sacrorum quondam veterum „ ritus relligionum novarum ſuperſtitioni„ bus occiderunt „ auctore, qui Porphyrio coævus fuit, Arnobio L. I. *adv. gent.*

hodiedum jactari. Non igitur dicta Patrum aliter accipienda sunt, quam Theophili Alexandrini sensu (v. §. LXXXVIII.) destructa Idololatria connexam ejus parentem artem magicam in origine sua utique & caussa destructam fuisse, quod adeo non posset amplius populis omnibus illudi, quo sensu MICHÆAS de adventu suo Salvatorem ipsum loquentem inducit: *Auferam maleficia de manu tua, & divinationes non erunt in te* Mich. V. 11, *quibus*, ut exponit HIERONYMUS (z), *ipse decipiebaris ab aliis, vel deceptus alios decipiebas;* & IESAIAS: *Ego sum — irrita faciens signa divinorum & Ariolos in furorem vertens* (a) XLIV. 25. in quibus quum pependerit tota gentilis relligio, intelligitur, nihil aliud per ista significari, quam totam idololatriam cum omnibus suis consectariis & parente sua destructum iri. Neque demum aliud in his declaratur, quam futura relligionis Christianæ divinitas, ejusque cum ratione concordia. Quæ omnia non impediunt, quin in effectu ex hominum incuria doctrinæ populorum idololatricorum reliquiæ ab aliquibus non perpensæ resuscitari fonte perdito potuerint, quibus ipsi sibi illuserint, incitante nunc sicut prius diabolo, facultate illa, quæ per Christum hominibus tradita illa dignoscendi plene reddita est, posthabita. Huc facit, quod S. CLEMENS ALEXANDRINUS (b) *oracula* Clarium, pythium, didymeum, amphiaraum, apollinem amphilochium, *monstrorum inspectores, augures & aruspices, somniorum conjectores, divinatores ex farina & hordeo, & eos, qui adhuc apud multos sunt in honore, ventriloquos, adyta ægyptiorum & necromantias hetruscorum mandari tenebris* jubet, hoc superdicto: μανικα ταυτα, ὡς ἀληθῶς, ἀνθρωπων ἀπιστων σοφιστηρια, *hæc omnia verissime delusiones esse insanas hominum infidelium*,

CLXXXIV. Spero me hac ratione non levem adfudisse lucem, majoremque systemati celeberrimi MAFFEI cohæsionem arces-

Ee 2

(z) T. VI. *Opp.* p. 497.

(a) Quid sit in furorem vertere, explicat ipse Propheta, dum ita in eodem loco pergit: *Convertens sapientes retrorsum & scientiam eorum* STULTAM FACIENS. Ergo in furorem vertere est stultum facere. Oportet ergo, ut hæc habita pro tali scientia jam ante fuerit stulta, ut stultitia modo detegatur.

(b) Admon. ad Gentes *Opp.* pag. 7.

ſiviſſe, quod is, ubi laborioſe vanitatem artis magicæ oſtendiſſet, neſcio, quam traditionem Patrum eruere conatur, qua docuerint artem magicam poſt Chriſtum natum omni effectu deſtitui, quaſi ante Chriſti nativitatem aliquis præter deceptionem exin effectus exſtiterit. Certe per id poſſet videri una manu everti, quod altera eleganter adſtructum eſt, neque per id vel interpretatio genuina, vel decor Patrum ſatis ſalvari. Illa enim inprimis locutio, qua dicunt aliquid ſolvi, deſtrui, auferri Chriſti adventu, tam vaga eſt, ut idem antea exſtitiſſe minime adfirmare velle videantur. Sufficiat unica propoſitio Chrysostomi (*c*), qui pugnans contra eorum errorem, qui ſtellam in Chriſti Nativitate Magis adparentem ſignum eſſe volebant aſtrologiam judiciariam veram eſſe diſciplinam, ita oſtendit Chriſtum non potuiſſe hanc adprobare: *Quomodo ergo, ſi illo ritu & modo natus eſt, aſtrologiam ſolvit, fatum ſuſtulit, dæmonum ora obturavit, errorem expulit, & omnes ejuscemodi præſtigias eliminavit?* Sicut heic Chryſoſtomus non ideo credidit aſtrologiam, vel fatum ante Chriſtum exſtitiſſe, aut dæmones hominibus collocutos fuiſſe, ita idem de ſolutione, annihilatione, extinctione Magiæ judicium formari debet. Ceterum hoc loco mihi D. Chrysostomum & Aſtrologiæ & Magiæ fundamentum *Fatum* eſſe indicaſſe perſuadeo, quippe, quod per illam indagari, per hanc ſolvi ethnicis videbatur (§. XII. N. III.). Denique & illud in lectione Patrum perpetuo & ſedulo notaſſe oportet, quod dum de factis nudis adverſus gentiles diſputant, hæc potius nihil definiendo ſupponere ſoleant, quam in ea inquirere, quum id ad ſcopum non eſſet neceſſarium. Sic in re noſtra Augustinus (*d*): „ Sive hy„ dromantia, ſive necromantia id ipſum eſt, ubi videntur mortui „ divinare. Quibus hæc artibus fiant, IPSI VIDERINT. Nolo enim „ dicere has artes etiam ante noſtri Salvatoris adventum in ipſis ci„ vitatibus gentium legibus ſolere prohiberi, & pœna ſeveriſſima „ vindicari. Nolo, inquam, hoc dicere, fortaſſis enim talia tunc li„ cebant „. Nos vidimus ſacra ſtricte magica, in quibus occiſio hominum uſitata erat, in Græcia olim pro parte relligionis habita

(*c*) Hom. VI. in Matth. T. VII. p. 84. (*d*) de C. D. Lib. VII. c. 35.

(§. XXXVIII.), in Italia exosa fuisse scribit SERVIUS ad Virgil. *Æneid.* IV. v. 492. his verbis: *Cum multa sacra romani susciperent, semper magica damnarunt. Probrosa enim est ars habita.* cf. Galenum sup. in not. ad §. CXIV. & nos passim.

CLXXXV. Ego itaque non video, cur novam traditionem effingere velimus, in re, quæ semper arbitrii moderati fuit, ubi ex historia & ratione certum est, nullam umquam fuisse artem dæmones cogendi, aut iis, quod Augustinus ridiculum censet, imperandi (§. XIX.), neque ullum in Scriptura exemplum reperitur, quod umquam sola prava voluntate mediante homines potestatem in diabolum adquisiverint, contra vero ejus artis irrisio (§. CLXXIII.) exserte adnotatur pro nostra certe notitia & imitatione; præterea quod de effectu artis magicæ numquam fuit expressa quæstio instituta, neque tales effectus a Patribus suppositi fuerunt, quos speciatim aboleri necesse fuisset. Alias ambages facit ILL. MAFFEUS (e), urgendo textum ex Apocalypsi Joannis XX. 1. ubi Angelus catena magna diabolum per annos mille ligavit, quum, postquam Christus in cœlum profectus est subjectis sibi Angelis & potestatibus & virtutibus I. PET. III. 22. interim princeps hujus mundi ejectus sit foras. JOAN. XII. 31. Pertinent hæc partim ad tempora Antichristi, partim ad manifestandam gloriam Christi. Sed a Maffeo ita magicæ adplicantur arti; tres fuisse Satanæ vias potentiam in homines exserendi: per tentationes, per obsessiones corporum & obedientiam Magis præstitam, ut cultum divinum sibi adrogaret. Priores duas facultates dæmonem hodiedum habere, ergo tertiam ei per adventum Christi ademtam. Profecto hæc stabilitis in secundo opere principiis iterum contraria sunt. Ego sic censeo, adductos textus loqui de æqualitate Christi cum Patre suo, de præstantia regni Christi, quodque diabolus non habeat potestatem genus humanum in idololatria detinendi propalato ei Evangelio, plane vero hinc nihil colligi de magia, quæ numquam fuit ars, quemadmodum alchumistica, cabbalistica, chi-

(e) *Arte mag. dileguata* §. 11.

romantica, aſtrologica, lulliſtica &c. Quod ad obſeſſiones dæmoniacas attinet, ſtatuo cum Cl. Melchiori (*f*), quod ſpiritus reprobi non ex generali divina permiſſione, quæ non rumpit curſum naturæ ordinarium eventorumque mundanorum, ſed ex prorſus ſpeciali permiſſione Dei & voluntatis divinæ concurſu demum poſſint humanum pectus inhabitare, ſicuti tum adparuit, quando fides novella miraculis plantata fuit. Manifeſtarium id eſt ex uno Scripturæ exemplo. Quum enim divinus Servator duos illos energumenos, qui in ſepulcretis dormiebant, liberaſſet, tota ſpirituum legio ejecta rogavit Jesum, ut ſe ſaltem in porcorum gregem proximo paſcentem loco mitteret. Matth. VIII. 21. Marc. V. 10. Colligitur inde, quod dæmones neque beſtias ingredi potuerint absque juſſu ſpeciali divino, de quo capiendus eſt Chrysostomus, quando iterato inculcat (*g*) *dæmones ne quidem porcos invadere poſſe, ni id permiſerit univerſorum Deus.* Etenim ſi generalis illa divina permiſſio operationes malas non impediens ſuffeciſſet, ſpiritus hi ſe non humiliaſſent, ut Chriſtum veniam rogarent (*h*).

CLXXXVI. Quid igitur de dæmonis poteſtate dicemus? Poſſumus admittere illuſiones ab eo factas idololatris cum S. Athanasio *de incarnatione verbi divini*: „ Olim dæmones variis ſpectris „ hominum mentes decipiebant, fontibusque & fluviis, lignisque „ aut lapidibus inſidentes ſtultos mortales præſtigiis percellebant; „ jam vero poſt divinum verbi adventum evanuerunt hujusmodi fal„ laciæ „. Et cum S. Chrysostomo (*i*) adverſus eos pugnante, qui voces ex ſepulcris audiri & ſpectra adparere ſpargebant: „ Quod„ ſi aliquando dæmones valebant phantaſmatibus repræſentatis deci„ pere, hoc fuit dumtaxat, dum fons luminum nondum multis ad„ paruit non poſt temporum illuſtrationem „. Deinde cum illuſtribus viris Comite Carli, Scipione Maffeo (*k*), & aliis defen-

(*f*) *Diſſertaz. epiſtolare* §. 67. 68. p. 35.

(*g*) T. VII. *Opp.* p. 337.

(*h*) Ruit inde etiam argumentum illud aliquorum, quo ſolemni ſophiſtarum more a permiſſione furtorum, adulteriorum aliorumque peccatorum, quæ ſunt hujus mundi accidentia (v. §. II.), ad extraordinariam Dei admiſſionem concludunt.

(*i*) T. II. *Opp.* p. 536.

(*k*) Carli ap. *Tartar.* pag. 339. Maffei *A. M. annich.* p. 257.

dimus, diabolo quidem facultatem instigandi, & tentandi, quemadmodum primi Parentes nostri experti sunt, hominesque omnes quotidie experiuntur, competere; eum tamen numquam plus vel egisse vel agere, sed patentem campum pravæ hominum voluntati relinquere cetera adimplendi. Idipsum SS. Patres & alii in effectu docent, si forte solum ORIGENEM excipias, qui modo pugnare pro arte magica, modo contra eam disserere (*l*) videtur, cujus tamen auctoritas in re nostra nulla est, quod is etiam a philosophia ethnicorum deceptus in multis aliis aberraverit. Immo, quum is dubius fuerit, ejus mentem in bonam partem interpretari debemus, præcipue, quod non videatur consulto voluisse defendere, quæ ejus ætate & proxima dumtaxat hæretici tradiderunt, prouti in historia vidimus C. III. Quid demum ex Patrum dictis concludimus? Id quod nos recta ratio & res perpensa jam non semel docuit, confirmari per eos, post Christum natum, & sublimatam naturam humanam prorsus indignum esse, illud adserere, quod recentiores dæmonographi garriunt de viribus dæmonis, & nescio, qua potestate homines in feras transmutandi, per aëra vehendi, occidendi (*m*) &c. de quibus illud S. AGOBARDI repetatur ex §. CXXVII.: tanta jam oppressit stultitia miserum mundum, ut plus nunc credatur a Christianis, quam olim ab ethnicis acutioribus. Bene MURATORIUS: „ Attribuere diabolo tantam potestatem inter Christianos, ex quo divinus Servator noster infernum subjugavit, est injuriam sanctæ nostræ religioni inferre (*n*) „. Et Cl. Comes CARLI (*o*): „ Lis, quæ de strigibus magisque vulgantur, fidem adhibere est abuti relligione, est mysterium, quod habemus pretiosissimum deturpare, est demum characteris hominis Christiani indignum tantis chimeris indulgere „.

(*l*) v. MAFF. l. c. L. III. C. VI. n. 9.

(*m*) In *antiquis quæstionibus*, quæ S. JUSTINI operibus subjici solent, docetur Q. 31. *non oportere credi, quod incantamentis pluviæ & grandines possint induci;* id quod S. AGOBARDUS fuse deduxit. AUGUST. de C. D. L. XVIII. C. 18. *Nec corpus humanum ulla ratione crediderim dæmonum arte vel potestate in membra bestialia posse converti.*

(*n*) *della forza della fantasia* C. X. p. 126.

(*o*) l. c. pag. 346.

CLXXXVII. Quodſi urgere pergas, Deum tamen ante adventum Filii ſui videri ob particulares circumſtantias una vel altera vice admiſiſſe, ut homini ens Deo adverſarium invocanti (§ CLXXX.) ſpiritus obedirent, etiam hoc ad momentum unum temporis conceſſero; ſed quin hoc ipſum plurimum utilitatis in rem meam adferat, negare non audebis, ni arte magica ipſum Deum, ut petita ſecundet, cogi adfirmare velis, quod tamen nonniſi in blaſphemo, ſtultoque ethnicorum ſyſtemate evinci poteſt, quorum magi omnes deum demogorgona mox eorum adjurationibus obaudientem ſpiritus inferiores coacturum effutiebant. De quibus Luctatius Scriptor Chriſtianus vetus ad *Statii* IV. *Thebaidos*, quem citavimus alibi, verſum 516. dicit, „ Deum demogorgona ſummum, cujus nomen ſci„ re non licet. Infiniti autem Philoſophorum, Magorum, Perſæ „ item confirmant revera eſſe præter hos deos cognitos, qui colun„ tur in templis, alium principem & maxime Deum ceterorum nu„ minum ordinatorem &c. Sed dire sentiunt, qui eum inter„ eſſe nefandis artibus, actibusque magicis arbitrantur „. Quid enim? Si Deus tale quid rariſſime indulſit (rariſſime, inquam, nam qui plurimum creduli ſunt, duo vel tria hujusmodi exempla in tanto ſeculorum ſpatio ex tota Scriptura proferre ſuo modo norunt), indulſitne id artis magicæ intuitu? Deus ſapientiſſimus, optimus, qui ſemper bona ex malis elicit, pluribus his gentium inſtitutis uſus eſt, immo, quum liberum hominum arbitrium tollere nequeat, uti debuit ad fines ſuos olim ſibi præfixos adſequendos. Sic enim ab Hebræis ſub talium rerum imagine ſe coli paſſus eſt, quibus ipſi jam adſueti erant, ſic ſomnia *Joſephum* & *Danielem* interpretari juſſit, ſic gentium Aſtrologos, aut, ſi mavis, magos elegit, ut ortum Servatoris adnunciarent rudibus populis (*p*), ſic ſe a Paulo ex ethnicis poë-

(*p*) Chrysostomus Hom. VI. in Matthæum n. 3. *Opp.* T. VII. p. 90. „ Quia „ conſuetum ſibi quisque morem libenter „ ſequitur, & Deus & viri a Deo ad or„ bis ſalutem miſſi ita res tractant. Ne ita„ que indignum Deo putes, quod per ſtel„ lam magos vocaverit: ſic enim omnia „ quoque improbabis judaica ſacrificia, nem„ pe, purificationes, neomenias, arcam „ ipſumque templum. Hæc quippe omnia „ ex Gentium craſſitudine ortum duxerunt. „ Attamen Deus ad errantium ſalutem his

poëtis declarari voluit. Sequiturne igitur dari artem somniorum interpretem, artem fortunæ humanæ ex stellis expiscatricem, de qua JEREM. X. 1. *Hæc dicit dominus; juxta vias gentium nolite discere, & a signis cœli nolite metuere, quæ timent gentes*: quam tamen TERTULLIANI (q), & CHRYSOSTOMI (§. CLXXXIV.) ætate quidam ex trium regum historia defendere ausi fuerunt (r) &c. Nos systemati nostro consequenter concludimus Deum rerum arbitrum imposturas magicas, uti ceteras idololatriæ fraudes, licet impedire potuisset, justissima sententia usque ad Christum natum universaliter tolerasse. Consentientem præter alios habemus TERTULLIANUM, qui hæc scribit loco citato: „ Aliam speciem Magiæ (§. LII.), quæ miraculis (s) operatur, etiam adversus Moysen æmulata (§. CLXXIII.) „ patientia Dei traxit ad Evangelium Dei usque. Nam exinde & „ Simon Magus jam fidelis, quoniam aliquid adhuc de circulatoria secta cogitaret, ut scilicet inter miracula professionis suæ etiam „ Spiritum S. per manuum impositionem enundinaret, maledictus „ ab Apostolis de fide ejectus est; & alter Magus, qui cum Sergio „ Paulo, quoniam iisdem adversabatur Apostolis, luminum amis„ sione multatus est. Hoc & Astrologi retulissent, credo, si quis in „ Apostolos incidisset. Attamen, cum Magia punitur, cujus species est Astrologia, utique & species in genere damnatur. Post „ Evangelium nusquam invenias aut Sophistas aut Chaldæos, aut „ incantatores, aut conjectores aut Magos, nisi plane punitos.

„ se passus est coli, quibus dæmonas gentiles illi colebant, illo tamen cultu tantisper mutato, ut illos paullatim a consuetudine abductos ad sublimem illam philosophiam deduceret. Id quod etiam circa magos effecit, cum illos per stellæ vim vocavit, ut deinde sublimiores redderet &c. „

(q) TERT. *de Idolol.* C. IX. *Magi & Astrologi ab oriente veniunt! Scimus Magiæ & Astrologiæ societatem* (§. 4.). *Primi igitur stellarum interpretes natum Christum annunciaverunt, primi muneraverunt. Hoc nomine Christum opinor, sibi obligaverunt. Quid tum? Ideo nunc & mathematicis patrocinabitur illorum Magorum relligio?* &c.

(r) Miraris? Recentioribus temporibus HENR. VALESIUS & alii Rabbinorum placita resumentes Chiromantiam ex JOB. XXXVII. 7. stolide tueri adgressi sunt.

(s) VOX: miracula in eo sensu sumenda, quo alibi dixit: *Si multa miracula circulatores præstigiis ludunt.* Apologet. c. 23.

„ Ubi ſapiens, ubi literator, ubi conquiſitor hujus ævi? Nonne infatua-„ vit Deus ſapientiam hujus ſeculi? „ (§. CLXXXIII. not. *a*). Ceterum de admiſſione divina exemplum nullum repertum iri autumamus.

CLXXXVIII. Attamen, ſi recentiora tempora conſulas, ſique horum temporum Scriptoribus fidem habeas, permiſſionis talis divinæ exempla reperies plurima. Intelligi heic volo ſecula a nato Chriſto ſextum ſequentia, quæ merito ſecula ignorantiæ compellantur, in quibus omnium inſipidarum narrationum, quæ deinceps maximos etiam viros ſeduxerunt, ſemina jacta ſunt. Specimen harum nugarum inter Saracenos Seculi VIII. dedit S. Joannes Damascenus (§. CXIX.). In Gallia variæ defixiones magicæ fidem denuo invenerunt præcipue in impotentia conjugibus inducenda, qua populari opinione Hincmarus Eccleſiæ mentem deturpavit ſeculo ſequenti (§. CXXVIII.), quum hodie conſtet impotentiam talem non niſi a natura venire, vel etiam tantas vires eſſe imaginationis undecumque læſæ. Interim hæc opinio longiſſimo tempore duravit, a Gratiano canonizata, & a collectore decretalium Gregorii IX. licet is in relatis ibidem pontificiis decretis nec verbum hujus rei & nec γρυ quidem invenerit, ipſis tamen inſcriptionis verbis ex præjudicio ſeculi confirmata. Inſcriptio etenim ita ſonat: *De frigidis & maleficiatis.* Manet eadem opinio hodie in Gallia inter plebeos, & vocatur *nouer l'aiguillete* (*t*), hoc modo ſibi mutuo metum incutientes, obſervatque Cl. Muratorius de hoc terriculamento in Italia nihil audiri, unde & ibi nemo ſe lamentetur effectum hujus defixionis ſentire (*u*), quod

(*t*) i. e. *nectere nodum* Neſtel knüpfen locutio ab inſtituto ethnico ſuperſtes. Virgil. Ecl. 8. *Terna tibi hæc primum triplici diverſa colore licia circumdo* &c. *Veneris dic vincula necto* &c. Lucanus L. VI. 455.

—— *Quos non concordia miſti*
Alligat ulla tori, blandæque potentia formæ
Traxerunt torti magica vertigine fili:

cf. de hac ſuperſtitione Gallorum St. Andre *lettres ſur la Magie.* Arniſæus de *jure Connub.* C. VI. n. 19. p. 316. „ Ego in tota „ Gallia adeo familiariter obſervavi necti „ nodum, *Lier le noeud* ipſi dicunt, ut „ plerumque ſponſi miſſis nocturnis, ante„ quam luceſcat, copulentur, ne ab incan„ tatoribus per lucem conſpiciantur „. add. *Eſſais* de *Montagne* L. I. ch. 20. T. I. p. 164. Ideo vero etiam olim ſaluberrimam illam Innocentii III. legem de proclamationibus novorum nuptorum eccleſiaſticis Petrus Lombardus l. 4. diſt. 28. e medio tollendam eſſe cenſuerat, ſatis quidem ridicule.

(*u*) *della forz. del. fantas.* C. X. p. 132.

idem de Auſtria noſtra dicas. **Ant. Florius** teſtatur ſe audiiſſe hanc defixionem in Gallia inter caſus a jurisdictione ordinaria confeſſorum exemtos computari, reſpondet tamen nihil id impedire, quo minus hæc opinio rideatur, quod qui illa opinione ductus aut ea intentione impotentiam conjugum inducere velit, quamvis nullus effectus ſequatur, nihilominus tamen graviſſime peccare queat; & hinc omnino caſus reſervari poſſit (*x*).

CLXXXIX. Similes nugas ejusdem Seculi IX. de tempeſtariis S. **Agobardus** profligavit (§. CXXIV. ſeqq.). ſed & abuſus maximos, ne alia miremur, in Eccleſiam per exorciſmos aquæ introductos ibidem vidimus, uti & varias preces contra Eccleſiæ mentem tum adfuiſſe S. Agobardus docet, qui ideo libellum conſcripſit *de quibusdam nævorum errorumque caſtigationibus ac emendationibus in Antiphonariis.* Pariter in vulgo retenta eſt fabula faſcini Patribus ignoti. Optandum inde ſane fuiſſet, ut ſequentes doctores ſcholaſtici has nænias populares excuſſiſſent acribeia quadam; ſed ea tum non erant tempora. Propterea **Albertus** M. cum ceteris *maleficium*, vocabulum, quod jam ad ſolam impotentiam conjugalem a dæmone productam denotandam adhibitum fuit, certiſſime ſupponens, explicat dicens: „*Quod* „ *virtute* divina fiat compulſio, & ſit potius vindicta quædam & pœ„ na graviſſimi peccati, quam exauditio maleficii, ut qui in ſordibus „ eſt, ſordeſcat adhuc; unde compulſio fit per Deum & per SS. An„ gelos, ſed operatio per dæmonem (*y*) „. Et S. **Thomas** de faſcino ita ratiocinatur a philoſophis quibusdam ſeductus: „Faſcinationis „ cauſſam aſſignavit Avicenna ex hoc, quod materia corporalis na„ ta eſt obedire ſpirituali ſubſtantiæ —— Melius dicendum eſt, quod „ ex forti imaginatione animæ immutantur ſpiritus corpori conjuncti, „ quæ quidem immutatio ſpirituum maxime fit in oculis, ad quos

(*x*) *A. M diſtrutta.* pag. 32.

(*y*) in IV. *ſentent* diſt. 34. art. 8. Huc pertinet ejusdem farinæ ratiocinium, quod **Albertus** in II. *ſent.* diſt. 6. art. 6. profert de venditata ab antiquis evocatione mortuorum. **Idololatræ**, ait, *animas hominum per operationem dæmonum evocabant, ad inſtrumentum ſuæ fallaciæ, ut quaſi teſtes eſſent cultus idolorum & ſic tanto difficilius ab eis recederent, & quaſi ſuper talem errorem fundatur ſomnium Scipionis.* Alia docent Patres §. 181. not. ult.

„ ſubtiliores ſpiritus perveniunt. Oculi autem inficiunt aerem conti-
„ guum uſque ad determinatum ſpatium, per quem modum ſpecula,
„ ſi fuerint nova & pura, contrahunt quandam impuritatem ex aſpe-
„ ctu mulieris menſtruatæ, ut Ariſt. dicit in L. de ſomn. & vigil. Sic
„ igitur cum aliqua anima fuerit vehementer commota ad malitiam,
„ ſicut maxime in vetulis contingit, efficitur ſecundum modum præ-
„ dictum aſpectus ejus venenoſus & noxius, & maxime pueris, qui
„ habent corpus tenerum, & de facili receptivum impreſſionis. Poſ-
„ ſibile eſt etiam, quod ex Dei permiſſione vel etiam ex aliquo facto
„ occulto cooperetur ad hoc malignitas dæmonum, cum quibus ve-
„ tulæ ſortilegæ aliquod fœdus habent „ (z).

CLXXXX. Atque hæc ævi medii fuere de operationibus dæmonum philoſophumena, in quibus tamen illud ex Th. Cantipratano (§. CXXXVI.) animadverti velim, quod, quemadmodum nuſquam hactenus de pacto aliquo ad Magiam ſeu recurſum ad dæmones neceſſario publice doctum fuit, ita primi ſcholaſticorum anteſignani longe alium de Magia, quam hodie multi habeant, conceptum ſibi formaſſe videantur. Quod ut curatius oſtendam, illud quidem mihi primum facile quemque largiturum confido, quod ex ſuperioribus repeto, Paganorum artem Magicam ſine omni pacto conſtitiſſe, quod iſti nullam diaboli notitiam haberent (§. LVII.), immo, perſuaderent adhibitas res non vi pacti, ſed naturaliter operari effectum coactionis dæmoniorum viribus quibusdam inditis (§. LV. in f.), ipſi vero dæmones tamquam boni ſpiritus allicerentur (ibid.) Lucanus ea riſit, dum quæreret, quæ umquam inter deos & homines familiaritas interceſſerit.

— — *cujus commercia* Pacti
Obſtrictos habuere deos?

Nec Patres Eccleſiæ quod tamen exoticarum ſententiarum patroni vellent, de iis cogitarunt, id quod patet eorum ſcripta legenti; neque, quem

(z) *Sum.* P. I. q. 117. art. 3.

unum obmovent AUGUSTINUM de veris sed potius de quasi pactis locutum fuisse docent ejus verba, ubi ait: „ Omnes igitur artes hujus„ modi vel NUGATORIÆ, vel NOXIÆ SUPERSTITIONIS ex *quadam* pe„ stifera societate hominum & dæmonum, QUASI PACTA QUÆDAM „ infidelis & dolosæ amicitiæ constituta penitus sunt repudianda & fu„ gienda Christiano (*a*)„; ipseque fatetur TARTAROTTUS de pactis Patres numquam verba fecisse (*b*). Habet autem omnino Instar societatis, quodsi impii homines cum malo spiritu ad eumdem malitiæ finem tendant, quæ tamen idea non debet ultra limites suos extendi, ut plus quam idololatriam producere dicatur, vel apostasiam quamdam. In recenti memoria, immo, observantia Christianorum quorumdam erant nefandissimæ majorum suorum idololatrarum superstitiones tempore S. Chrysostomi, nihil tamen is de pactis realibus vel somniavit. En ejus verba de maritorum loquentis libidinibus: „ *Etiam*„ *si enim*, ait, *hoc illius* (uxoris) sit facinus, sed tu maritus in caus„ sa es. Hinc IDOLOLATRIÆ. Multæ enim mulieres, ut jucundæ „ adpareant, incantationes, libamina (ἐπωδας, σπονδας) philtra „ & innumera alia machinantur. Attamen post tantam turpitudi„ nem, post cædes, post idololatriam res hæc multis indifferens esse „ videtur, multis etiam uxores habentibus, ubi major est malorum „ colluvies. Nam hinc venena parantur non in meretricis uterum, „ sed in eam, quæ læsa fuit, uxorem, insidiæ innumeræ, dæmo„ num invocationes (δαιμονων κλησεις), necyomantiæ, bella quoti„ diana, pugnæ irreconciliabiles & assiduæ contentiones (*c*)„. Immo, quum Sancti Doctoris ætate non pauci dicerent, dæmones gubernare res humanas, nemo tamen de pacto quodam reali cum dæmone cogitavit. Ego dæmonographis, qui tanta de viribus dæmonis venditant, dictum velim, quod ille suis adversariis respondet. „ *Si*, ait, *dæmones gubernarent*, nihilo meliori essemus in statu, quam „ dæmoniaci, immo vero deteriori. Neque enim illos in universum

(*a*) *De doct. Christ.* L. II. c. 23.

(*b*) *Apol. del Congress. Oss.* CXIII. p. 179. Infinitæ sunt in moralibus res, quæ speciem, simulacrum, Instar alterius cujusdam rei referunt, nec tamen ista sunt.

(*c*) Hom. XXIV. in Ep. ad Rom. Opp. T. IX. p. 699.

„ eorum tyrannidi expoſuit Deus, alioqui multo iſtis graviora paſſi
„ eſſent, quam nunc patiantur. Ego vero lubens ex iſtis, qui iſta
„ dicunt, ſciſcitarer, quam tandem in rebus præſentibus confuſionem
„ cernant, ut negotiorum noſtrorum regimen omne dæmonibus tri-
„ buant? Videmus enim omnia, cum ſupera tum infera ſuum ordi-
„ nem non tranſgredi, quem illis Deus ab initio præſcripſit (*d*) „.

CLXXXXI Ex idea illa, quam dixi poſſe concipi, ſocietatis inter diabolum & homines conſulto forte ſceleribus immerſos ſoliſque diaboli ſuggeſtionibus locum facientes, ut de illis, quemadmodum de Juda LUC. XXII. 3. dici queat, *intrare in illos ſatanam*, ex hac, inquam, idea allegorice & metaphorice etiam aſſerere licet paciſci hos cum ſpiritu infeliciſſimo contra ens ſupremum benigniſſimum (*e*); eoque magis, quod homines ejusmodi ſocietatem illam, quam cum ſpiritu exoſo licet inviti poſt mortem hanc reipſa inituri ſunt, jam in vita quaſi anticipare videantur. Hinc S. PAULUS idololatras vocat *ſocios dæmoniorum* I. COR. 10. V. 20. & ipſe ſe olim cum dæmone per deſideria carnis *converſatum eſſe* ſcribit ad EPH. II. Id vero, quod JESAIAS impios jubet dicere, ſe *percuſſiſſe fædus cum morte & cum inferno feciſſe pactum*, ſeque ideo nihil habere, quod ab iis hoſtile metuant, XXVIII. 15. ſeq. in ſtylo prophetarum ſublimi & hyperbolico exaudiendum eſſe, ac ratione prorſus invita a dæmonographis themati ſuo adcommodari plus, quam manifeſtarium eſt (*f*). Poſt S. S. Patrum tempora, quamvis ſeculis rudioribus philoſophia deficiente, fabularum colluvie aucta, hiſtoria rerum, ſanaque etiam criſi vel ignorata vel vilipenſa omnia vel parum mira dæmoni adſcriberentur, tamen ante Seculum XIII. nihil de pactis cum dæmone realibus reperiri in hiſtoria demonſtratum. Verum enimvero primi doctores ſcho-

(*d*) v. Hom *adverſus eos, qui dicunt dæmones gubernare res humanas* T. II. Opp., p. 256.

(*e*) Huc facit illud Chriſti: *Qui non eſt mecum, contra me eſt.* MATH. C. XII. v. 30. LUC. XI. 23.

(*f*) Immo eodem ſenſu dicitur *cum lapidibus regionum pactum tuum & beſtiæ terræ pacificæ erunt tibi.* JOB. V. 23. Sed & LUCANUS *pharſal.* L. IX. v. 898. *Pax illis cum morte data eſt*, de Pſyllis loquens.

lasticі ideam illam societatis hominum cum dæmone (§. CLXXXX.) resuscitantes adsumserunt eam ad gravitatem peccati invocationis dæmonum, quæ mundo coæva est, nec tamen quem statim magum sensu vulgari facit, plenius edocendam. „ *Omnis divinatio*, inquit, „ THOMAS (*g*), quæ fit per invocationes dæmonum, est illicita „ duplici ratione, quarum prima sumitur ex parte *principii divinatio-* „ *nis*, quod scilicet est pactum expresse cum dæmone initum PER „ IPSAM DÆMONIS INVOCATIONEM, & hoc est illicitum. Unde „ contra quosdam dicitur Is. 28. dixistis: percussimus fœdus cum „ morte &c. & adhuc gravius esset, si sacrificium vel reverentia dæ- „ moni invocato exhiberetur „. Et hinc pariter ex hypothesi sui seculi de vetulis fascinantibus possibile ipsi videbatur, ut diabolus clam cooperetur, cum quo hæ vetulæ ALIQUOD FOEDUS habeant (§. CLXXXIX.). Lucidius mentem primorum scholasticorum exprimit ALBERTUS M. (*h*) S. Thomæ præceptor: „ *Si divinationes*, „ ait, *per invocationes*, conjurationes, sacrificia, suffumigationes & „ adorationes fiunt, TUNC aperte pactum initur cum dæmone (*i*), „ & tunc est APOSTASIA ORIS. Si autem non fit, nisi opere simpli- „ ci, tunc est APOSTASIA OPERIS, quia illud opus expectatur a „ dæmone, & EXPECTARE aliquid a dæmone, vel aliquid VELLE „ percipere per ipsum, est FIDEI CONTUMELIA, ET IDEO APO- „ STASIA „. Ergo in sensu scholasticorum primorum genuino pactum sive expressum sive tacitum cum dæmone est æquivalens Apostasiæ expressæ vel tacitæ, & vi hujus apostasiæ credebant illi dæmonem operandi potestatem accipere occultam; quam tamen ipsam potestatem, quum ii solis factis falsis, puta maleficio impotentiæ & fascinatione (§. CLXXXIX.), probarent, nemo rerum intelligens majorem esse ea, quæ dæmoni in quemvis peccatorem datur, hodie admittet.

(*g*) *Sum.* P. II. 2. q. 95. a. 4.

(*h*) In II. *Sent.* Dist. VII. art. 12.

(*i*) Heic non verum pactum supponi, inde etiam evincitur, quia in invocatione licet expressa tamen tantum hominis adest consensus; cui deinde aliquando conjungi diabolicum frustra posteriores finxerunt; licet idea etiam aliqua pacti conciperetur. cf. inf. §. 198. seqq. & §. 190.

Ceterum, quam procul Apoſtaſia a pacto vero, quod Dæmonographi fingunt, diſtet, dicere opus non eſt.

CLXXXXII. Nihilominus eo ſemel in ſcholis conſtituto docendi genere, a theologis, qui magis, quam ceteri obſervante cel. MURATORIO (*k*) in imaginarias Magiæ hypotheſes bona fide prolapſi ſunt, ad ſtabiliendum corporale cum dæmone commercium fundamenta jacta fuere. Subtilis ille doctor, juſto heic ſubtilior, JOANNES DUNS mortuus An. MCCCVIII. doctrinam pacti hoc pingit ratiocinio, ubi de maleficio impotentiæ conjugalis agit. „ *Hæc*, ait „ Lib. 4. diſt. 34. q. 1. *fit per malignos* ſpiritus, qui habentes pactiones cum hominibus ſervant promiſſa, non quia veraces, ſed ut alii eis adhæreant, quia ſi nulla pacta ſervarent dæmones, nulli homines eis ſervirent; & ut illi, quibus ſervant promiſſa, eos colant. Nam ex ſuperbia ſua præcipue appetunt honores divinos. Deus etiam permittit eos exercere poteſtatem ſuam ad impediendum aliquos ab aliquibus actibus, quos poſſent, ſi non eſſent impediti, & hoc propter peccata eorum vel propter aliquam aliam cauſam occultam. Et hoc modo Magicus habens pactum cum dæmone procurat ab eo, ut iſtum impediat aliquo actu, quamdiu aliquod ſignum a dæmone poſitum perſeverat, puta acus curvata, vel aliquid id generis „. Habemus jam totius doctrinæ pactorum diabolicorum ex inepta faſcinationis hypotheſi prodeuntis principia, quia & requiſita mutui conſenſus preſſe explanantur, & quid dæmones aut homines ad hos contractus impellat; quæ tamen extra ſcholas theologicas ſtatim vix videntur fuiſſe recepta, prout ex ipſo Bartoli (§. CXLII.) Conſilio patet, quippe qui hanc traditionem theologis relinquit. Effecit autem inquiſitorum fidei ſeculis barbaris procedendi modus & præjudicium *ſtrigum Sectæ* (§. eod.) introductum, ut ſucceſſu temporis, ex vetuſto tamen errore paſſim rurſus ſtatueretur homines malos, quoſque magos adpellare lubuit, quaſi per ſe non ſatis nocere vel prodeſſe interdum poſſent, cum dæmone fœdus icere, vi cujus unitis viribus facultate polleant ventura prædicendi, animi affectus excitandi, & pro lubitu in rem quamcumque figendi, dæmones

(*k*) *Del. forz. del. fantas.* C. X. p. 128.

nes in quæcunque vaſa concludendi, aut aliis immittendi, morbos numeris, verbis, figuris, ſignis, inarticulato murmure, carminibus, imagunculis, contuitu, injectu creandi aut tollendi, vel & ſopiendi, in formas alienas ſe alioſve convertendi, faciendi, ut quis diſpareat inviſibilis, licet præſens; ad nutum per aera vehendi; quin etiam rebus inanimis vitam & ſenſus dandi reperiendi theſauros, pecuniam ſemper in heri peram ſponte reducem poſſidendi, illæſa reddendi contra armorum impetum corpora, elementis imperandi, naturam ipſam vincendi, ut aqua vel ignis non lædat; meteora pro juſſu in aere excitandi, domandi, & regendi ſolo incantamento belluarum ferociſſimas, demum ſolo vocis imperio neſcio quæ patrandi, plebecula numquam adſenſum negante.

CLXXXXIII. Verbo, videas hoc modo Magos veteris orbis iterum in ſcenam prodeuntes, hac ſola differentia, quod quæ pagani variis impoſturis aut aliis ſuis ſuperſtruxere principiis, chriſtiani exornare & ad relligionem ſuam adcommodare, quamquam infeliciter, contendentes, falſis hypotheſibus ſeducti pacto diabolico omnia poſſibilia eſſe ſumerent, quæ ethnici nugabantur; quo ipſo etiam œconomiæ divinæ, relligionisque veterum populorum hiſtoriam corruperunt; nam dæmonographi pleraque ſua aſſumta exemplis ex hiſtoria gentium antiquarum congeſtis adſtruere amant, quaſi harum, & chriſtianorum relligio eadem eſſet, immemores inſuper ejus, quod S. AUGUSTINUS (*l*) monuit: „ Nos non habemus neceſſe omnia credere, quæ „ continet hiſtoria gentium, cum & ipſi inter ſe hiſtorici, ſicut ait „ Varro, quaſi data opera & quaſi ex induſtria per multa diſſentiant; „ SED EA, SI VOLUMUS, CREDIMUS, QUÆ NON ADVERSANTUR LI„ BRIS, QUIBUS NON DUBITAMUS OPORTERE NOS CREDERE „. Hæc hujus doctrinæ origo, hic progreſſus, in cujus conſideratione adhuc diligenter notandum eſt, quod ſcholaſtici poſteriores pacta diabolica tantum ad maleficium impotentiæ & faſcinationem explicandam adplicaverint, hæc vero eorum traditio ab inquiſitoribus ulterius ad omnia ſuppoſitis Ma-

(*l*) De C. D. L. XXI. cap. 6.

gis impacta crimina produceretur efficienda, donec ultimam manum huic juri publico dæmoniaco imponeret JOAN. TRITTHEMIUS, qui, quemadmodum illud instruxerit, ex historia repetendum; ex cujus ore omnes deinde dæmonographi pependerunt. Adeo vero nugacia, & sanum hominis sensum excedentia sunt, quæ in his de pactis a sagis & Magis initis, de modo & formulis contrahendi, de loco contractuum, de dæmone ex throno (*m*) jus in suos vasallos respectu horum fœderum exercente leguntur, ut in mentem humanam illabi posse vix sit, ut persuaderi sibi hodie quis patiatur, ut nunc de contractibus sanguine fidejussorio scriptis taceam (*n*).

CLXXXXIV. Atque his principiis ars magica ab ejus opinionis plena inter Christianos introductione medio Seculo XIV cœpta usque ad nostram ætatem defensa fuit, donec CL. TARTAROTTUS ineptiis, credo, dæmonographorum adductus & offensus in mentem sibi induxit Magiam non necessario pacta supponere, quodque ista rectissime negari queant absque eo, ut idcirco substantia artis Magicæ tollatur (*o*); attamen vir doctissimus in eo systemate adeo se continere non potuit, ut contra manifeste prodat, artem, quam recentioribus dicere lubuit, magicam, absque ridicula hypothesi, seu pactorum doctrina si sit, sponte corruere. Definiverat ille in *Congressu nocturno* (*p*) hanc artem, quod sit cognitio *rerum superstitiosarum, ut verborum, versuum, characterum, imaginum, signorum aliarumque cerimoniarum, quibus mediantibus Magus intentum obtineat, non quod hæ natura sua aptæ sint natæ effectum talem producere, sed virtute pacti vel expressi, aut taciti cum dæmonio.* Verum acute in *Apologia* hujus libri (*q*) observat, quod quum apud scriptores antiquos & Patres numquam nisi forte figurata loquendi formula pacti mentio occurrat, neque dici possit dæmonem olim cum hominibus non contraxisse, nunc vero frequentissi-

(*m*) ALPH. A CASTRO *de impia Sortil. hæresi* C. II. *Mall. Mal.* T. II. P. II. p. 194.

(*n*) Georg Heinrich Götze von Unterschreibungen welche mit Menschenblut geschehen. Lübeck 1724. 4.

(*o*) *Apol.* Off. I. pag. 7. Offerv. CXIII. p. 175. seqq

(*p*) Lib. II. c. 13. §. 2. p. 160.

(*q*) *Apol.* Off. CXIII. p. 180.

me quasi deum ex Machina se malitiis hominum exsequendis paciscendo interponere, ubi tamen de mundo idololatrico potior hujus rei adferendae quam hodie caussa fuisset, omnis pactorum procusorum radix in seculis ignorantiae quaerenda sit, in quibus notitia artis magicae, ego mavelim, historiae, relligionis veterum & medicinae Hippocraticae deperdita, veris rerum notionibus falsae & in cerebro hominum superstitiosorum natae substitutae sint, allegoricis denique veterum quorumdam expressionibus in proprio sensu sumtis tota eruditio confusa fuerit. Quare vir egregius monet, se per ista pacta expressa vel tacita nihil aliud intendisse exprimere, quam veram familiaritatem, adsistentiam, cooperationem daemonum. Redit is tamen ad pactorum in eadem Apologia doctrinam, atque concedit quidem (r), circulos, triangula, nomina barbara, nullam relationem cum spiritibus infernalibus habere, sed eam tamen recipere a conventionibus homines inter & daemones ea conditione initis, ut faciendo tale quod signum, talia verba pronunciando hi subito obedire, & talem certum effectum producere velint. Ut adeo herbae, lapides &c. queant tamen *medium* quoddam *morale*, quod profecto aliud non dicit, quam *signum Pacti* esse, vi cujus obedientia daemonum obtineatur. Et alibi (pag. 96.) docet, quod nec *Magi nec sagae, quando magice operantur, pactis imaginariis fidant, sed potius pactis realibus & veris seu expressis seu tacitis, quippe sine quibus Magia non detur.* Profecto ars sibi ipsi contradicens nonnisi contradictionibus defenditur!

CLXXXXV. Relinquitur, ut hoc systema pactorum, de quo hactenus ex historia disquisivimus, ad rationis trutinam examinemus, inprimis, quod viri jam plures magni penitiorem ejus discussionem desideraverint, inter quos celeb. MURATORIUS in libello *de Naevis in relligionem incurrentibus* (s) ita mentem suam declaravit. „ Nescio quis primus ex ingenio tantum suo opinionem invexerit de

(r) p. 18. 19. 147.

(s) Lucae ed. an. 1749. 8. Cap. VIII. p. 124. licet in prioribus suis scriptis aliter sentire videatur. cf. tamen ejus epist. ad Maffeum, quam moribundus scripsit in *sua Vita* p. 206.

„ pactis tacite ab aliquo singulari homine cum diabolo initis, ex
„ quorum vi, etiamsi alii nihil eorum conscii, nihil de maligni spiri-
„ tus concursu recogitantes, nihil sacrorum, nihil ignotorum cha-
„ racterum, sive signorum adhibentes, mirabiles tamen curationes
„ & effectus producant. Essent hæc, quantum quidem mihi videtur
„ diligentiori criterio excutienda, neque tam facile in caussas diabo-
„ licas rejiciendum, quidquid præter consuetum naturæ ordinem ac-
„ cidisse putamus „. Multum juverit principia historica large huc usque suppeditata iterato heic paucis repetere, & conclusionibus firmare. Magi seu sacerdotes gentium lucelli gratia se cum diis commercium habere necessario jactare debuerant. Dii hi apud omnes omnino gentes boni vel mali habebantur, illis omnia bona, his omnia seu physica vel metaphysica aut moralia etiam mala a plebe theologiæ scilicet illa magistra, semper adscribebantur. Enati ergo sunt innumeri magi seu sacerdotes seu philosophi, qui se actiones hominum dirigere ad præcipuum & ultimum eorum scopum simulabant, atque cuncta pro lubitu a diis peculiari cultu obtinere se mundo infanti & idololatrico persuadebant. Ad quam persuasionem tuendam proportiones & consensum omnium rerum & entium ejusque per varia tentamina quamvis scelestissima inprimisque vocem humanam seu per *incantationes* movendi, excitandi, dirigendi rationem plebeculæ objiciebant (*t*); quare & se medicos, se mathematicos, se physicos, se vates, seu spirituum in rebus cunctis latentium dominatores profitebantur. Hæc prima mundi deum creatorem suum deserentis philosophia, quam, ut supervenientes veri philosophi & scientiarum cultores exstirpare ex solo rationis lumine perpetuo conati sint, hi ta-

(*t*) Nihil magis illusit plebi paganæ, aut eam incertiorem traxit, quam quæstio ea, an quædam incantationum vis sit? Refert id Plinius H. N. L. XXVIII. c. 2. qui addit *viritim sapientissimi cujusque fidem respuere* hanc credulitatem; simul tamen putat, *quod si semel recipiatur ea ratio, deos preces aliquas exaudire, aut ullis moveri verbis, confitendum esse de tota conjectatione.* Nihilominus post relatas fuse vulgares fabulas concludit sibi *in prodendo obstare ingentem verecundiam in tanta animorum varietate.*

men philoſophi relligionem popularem obſervante AUGUSTINO (*u*) convellere non auſi, meliorem nequaquam reddidere. Unde & ſoli Legislatores hinc inde Magorum furori frena pauliſper injicere potuerunt, quod in romana Republica factum eſſe ſub mathematicorum, vatum, maleficorum quin etiam expreſſo Magorum nomine, memoravimus (§. CLXXXIV.). Magus vero a vulgo is exiſtimabatur ſemper, *qui*, ut APULEJUS *more vulgari* definit (*x*), *communione loquendi cum diis immortalibus ad omnia, quæ velit, incredibili quadam vi cantaminum polleat.*

CLXXXXVI. Ex his claret, quam lepidum foret dicere, paganos cum ſuis diis fictis, quorum licet cultum veri dæmones ſibi vendicarunt, pactum iniviſſe, vel vi pacti illis imperare quæſiviſſe, quum potius hoc imperium rebus naturalibus adſequi, & ſcientiis venditatis ſibi vendicare conarentur, unde & Lucanus, probe callens pacta a Magis plerumque non admitti, eos ſugillat quærendo, an forte deos pactis obſtrictos habeant? (§. CLXXXX.). Nec oggerant dæmonographorum adſeclæ, paganos habuiſſe commercium cum dæmonibus! Diſcant enim, amabo, ex contribuli ſuo J. ERN. FLOERKIO (*y*), ſolum etiam Chriſtianorum cum diabolo, quod ita dicunt, commercium nequidem pactum involvere tacitum, ut eorum phraſi utar, quum pactum etiam tacitum requirat conſenſum tacite per facta a ſciente ſuſcepta declaratum. Vendicarunt enimvero dæmones mali ſibi cultum, quem Gentiles diis ſuis fictitiis adhibebant, ſed hi diabolicæ animarum rapinæ ignari ab omni omnino conſenſu etiam ab adverſariis abſolvendi veniunt (*z*). Neque ſecutis temporibus ullam pacti ideam mentem Judæorum Cabbaliſtarum inſediſſe tuto adſeri poteſt (§. LXV. ſeq.). Nec prioribus Chriſtianiſmi ſeculis aliam opinionem invaluiſſe ſcripta Patrum

(*u*) Monet is c. V. *de vera relligione, non eſſe relligionem a philoſophis quærendam, qui eadem ſacra recipiebant cum populis, & de ſuorum deorum natura ac ſummo bono diverſas contrariasque ſententias in ſcholis perſonabant.*

(*x*) APOLOG. *Opp.* p. 291.

(*y*) de crim. conjur. ſpirit. p. 63.

(*z*) Iſraelitæ idolis adolentes dicuntur. *immolaſſe dæmoniis & non Deo, diis, quos ignorabant* DEUT. XXXII. 17.

testantur (§. CLXXXX); immo, quum AUGUSTINUS *dæmones cogi ridiculum* esse doceat (§. XIX.) æque risurus utique fuisset dæmones *ex pacto cogi*. Nec demum secula, quæ solemus κατ' ἐξοχὴν barbara adpellare, fidem habuisse pactis, quæ forte tum plebs rudior venditabat, diabolicis eo luculentius consit, quo minus in earum ætatum scriptoribus mentio eorum exstat, immo contra ex S. Agobardo, regum Francorum capitularibus, Canonum Ecclesiæ collectionibus planum est omnem prorsus contemtam fuisse traditionem de societate dæmonum pactitia, quod & CREDI prohiberetur.

CLXXXXVII. Pluribus opus non judico, ut perspiciatur totam fœderum dæmoniacorum doctrinam in plebea quadam theologia ortum suum agnoscere, qualis deinde Seculo XIII. in virorum quorumdam eruditioni deditorum circulis insinuare se cœpit, atque porro narrationes varias de dæmone coemtore animarum, de incubis & succubis &c. produxit, uti videre est in CÆSARIO HEISTERBACENSI, & B. TH. CANTIPRATANO, qui tamen postremus egregie de incertitudine animis hominum suæ ætatis per tantas fabulas injecta testatur (CXXXIV.), monstrans simul, quemadmodum viri prudentes malis temporis illius mythici depressi saltim consensum cohibuerint. His non obstantibus scholastici posteriores in scholis, quarum sæpe Zelus indoctus dux est, quum veteribus theologis nomen pacti adridere viderent (§. CLXXXX. CLXXXXI.), parum curii, quo sensu id fieret, fabulas vulgares de pactis dæmoniacis in theologiam invehere cœperunt, ratiunculisque Scotisticis (§. CLXXXXII.) pingere. Accedens paullo post infelix illa, quæ orbem occupaverat, jurisprudentia criminalis, quæ in foro reis pro talibus habitis quidvis ex scholæ vulgique præjudicio vel suggerebat, vel adfingebat, vel fidiculis extorsit, plenam ἀκμὴν dogmati imaginario dedit. Philosophi oratores poetæque gentilium phrases, loquendi formulas ac fucos, narratiunculæ variæ sine auctore & fide, apologi, allegoriæ, sententiæ auctorum a corpore suo divulsæ, allusiones, auctoritatem sufficere debuerunt. Certatum ita fabulis est, isque victoriam obtinuisse visus, qui hominibus miserrimis quam plurima imputare unde unde tentaverat. Atque hac ratione doctrina, quæ soli phantasiæ plebeæ natales suos debuit, eadem duce & comite strenue propagata est. Nam

& viris alia & feminis fere alia, singula singulis pro phantasiæ *morbis*, quos MURATORIUS recte vocat, *epidemicis* (*a*) attribuebantur, excitatis eam in rem vetustissimis incuborum & succuborum, suscitationis tempestatum, itinerum aëreorum, conventuum dianianorum &c. fabulis. Sane mulierum germanicarum, (*b*) quam vel italicarum (*c*) vel gallicarum (*d*) depositiones aliis inhærent visionibus; denique Anglicis illud prorsus peculiare est, quod eæ de spiritibus gentilitio nomine *Imps* deliraverant, diabolum videlicet, eos ad se in forma catti, canis, araneæ, pulicis, talpæ, ranæ, pediculi &c. mittere, qui vetulis illis lac exsugerent, easque ad varia impellerent maleficia (*e*). Attamen hæc singula phantasticam suam exuere naturam censebantur, quamprimum pactorum dæmoniacorum glaucoma objiceretur. Itaque hæ ideæ omnes in Scripturæ S. expositiones, in philosophiæ commentaria, in jurisprudentiæ systema intrusæ sunt, adeo, ut quæreretur, qua actione vasallus diaboli perfidus ab eodem conveniri posset (*f*)?

CLXXXXVIII. Age jam exploremus, historia paulisper seposita, an ratione aut relligione consulta dæmonographi in veterum historiarum ignoratione ex fœderibus cum dæmone artem quamdam magicam effinxerint. Illud primum ex dictis adverti convenit, duos dumtaxat esse modos, quibus effectum huic arti adserere liceat. Vel

---

(*a*) Observatum scilicet fuit, solere ita fieri, ut quemadmodum morbi pro variis regionibus existunt epidemici, ita sui variis ingeniis sint phantasiæ morbi, qui prout magis vel minus intenduntur, idola furentis imaginationis producunt. Facit eo, quod TRIGALTIUS de Sinis L. I. c. 9. p. 93. „ *Non* „ *inferiore*, ait, *cura laborant* futura præ- „ scire. Hujus artis varii se magistros ja- „ ctant &c. Tantum porro multi prædi- „ ctoribus his tribuunt, ut *ipse metus fidem* „ *faciat*; nam si iis prædictum fuerit, tali „ eos die morbo corripiendos esse, is ubi „ advenit dies, in morbum incidunt, ac uti „ metu afflicti cum ægritudine & aliquando „ etiam cum morte luctantur. E quibus „ eventis impostoribus auctoritas non parum „ accrescit „. Pertinet huc sollicitudo populi Tudertis (§. 36.) pulvis beneventanus (§. 127.) Vampyrismus (§. 165.)

(*b*) cf. de novo genere Sagarum §. 158.

(*c*) v. TART. Congr. L. I. c. 9. §. 13. L. II. c. 1. §. 18. & c. 10. §. 4.

(*d*) v. ST. ANDRE *Epitres sur la Magie.*

(*e*) *Hutchinson* Hist. Vers. von der Hex. p. 88. 91. 103.

(*f*) *Fr. Torreblanca dæmonolog.* L. II. c. 6. n. 4. seq. diabolo actionem præscriptis verbis suppeditat, excitatis eam in rem Doctorum & legum auctoritatibus. *Schröter* de *Lamiis* cap. 3. quæst. 2. §. 7. sagas se nec præstando interesse ab hoc pacto liberare posse contendit.

enim is in ipsis rerum virtutibus, vel in pacto quærendus est, prout jam tum SENECA eleganter innuerat, dum judicia hominum prudentum de Cleonianis illis χαλαζοφυλαξι (§. CXXIII.) referret. „ *Alteri*, inquit, *ut homines* sapientissimos decet, negant posse fieri, ut cum grandine (puta cum diis aëreis (§. XIII.) aliquis PACISCATUR, & tempestates munusculis redimat, quamvis munera etiam deos vincant. Alteri suspicari ipsos ajunt esse IN IPSO SANGUINE vim quamdam potentem avertendæ nubis ac repellendæ „ Cui adde Lucanum sup. §. XL. Auctores nostri Christiani ad pactum delapsi sunt, quin immo delabi debuerunt (§. CLXXXXIV.), haud perpendentes, an hoc doctrinæ genus vel umquam vel in civitate Christiana locum obtinere queat. Nec juvat, quod iis quadrata rotundis continuo miscentibus solemne est, nescio, quas adparitiones, lemures, spectra, ostenta, visiones, portenta dæmonumque operationes crepare; namque illud disputari & probari oportebat, an foedus cum dæmone subsistere, an vi hujus dæmon ad desideria scelesta hominum cogi possit adimplenda? (*g*) Scio quidem, quod videri nolint se docere dæmonem pacto cogi; dicunt enim hoc pactum dæmoni liberum esse præstare vel fallere; eumque, cum stat promissis, id sponte ac subdole facere, ut sic magos retineat sibi devinctos, & alios alliciat (*h*). Sed hæc præcipua eorum contradictio & πρωτον ψευδος, ex quo totum eorum systema absurdum consistit. Etenim primo ipsis factis sibi adversantur, dum infinitam quamdam mirabilium a magis patratorum farraginem obtrudunt, quæ isti non casu, non fortuito, sed extorquendo dæmonum obedientiam, sed pro lubitu quandocunque & imperatorie, alias quippe etiam nulla foret ars magica, ve-

(*g*) Et immo multo magis de Vampyris idem perquirere oportebat, quorum ne heic immemores simus, verba viri immortalis memoriæ ANT. MURATORII iterum admetiamur, quæ is in libello §. 195. laudato adlatis ibidem verbis mox subjungit: „ Si hæc „ miranda nobis videntur, nonne mirandum „ magis est tantum posse unius hominis, „ ETIAM DEFUNCTI, voluntatem, ut obligetur diabolus, fallacissimus nempe spiritus & mendacii pater, ad tam relligiose „ observanda promissa atque insciis nobis „ ad ea patranda concurrat? „ Cf. de Vampyris sup. §. 165.

(*h*) Ita Coryphæi Tritthemius (§. 149.) Delrius disquis. mag. L. II. q. 4. concl. 2. fingunt.

verum vana potius jactantia, produxerint (*i*). Deinde qui quæso pactum adpellari potest, quod alterum in plena libertate relinquit? aut si paciscens promissarii securus non est? Sequitur ergo potius mox in limine, quod adversarii saltim contra ipsam naturam humanam docuerint vel præsumserint, homines Christianos inire velle corporale pactum cum spiritu, de cujus impotentia, perpetua malitia & mendacitate ex JOAN. VIII. 44. convicti sunt, ut ita solum suum detrimentum, nullam utilitatem sperare possint? Igitur vel omnes paganos esse censere debent, qui spiritus cunctos saltim in effectu bonos, veraces, sibique propitios fore persuasi erant, aut eorum doctrina ruit.

CLXXXXIX. Verum ut ii cunctas hypotheses precario sumunt, ita negligunt pariter præjudicialem quæstionem, an dæmon evocari possit? Quæ omnino neganda est. Utor hanc in rem argumento, in quo mihi cum eo convenit, Clarissimi Viri GORINI CORIO (*k*), quod & ex parte suum fecit CL. BARTHOL. MELCHIORI (*l*). Vocem, inquiunt illi, non agere in distans, neque in tartara. Non enim diabolo seu Angelo malo, creaturæ limitatæ, posse immensitatem Dei, ut ubique adsit, & nos audiat, tribui, nec ei mox potestatem veniendi a Deo sapientissimo concedi posse. Quodsi ajas, sanctos nos exaudire, facile convinceris eos in Deo videre, id quod nos Deo Sanctisque dignum petimus; diabolum numquam in conspectum Dei admitti. Nunc pacto insistamus. Pactum non potest facere, nisi qui jus fœderis ineundi habet, sed unde probabitur, si negetur diabolum habere jus vel promittendi vel acceptandi? Profecto actiones ejus omnes ab ente perfectissimo pendent, ut in

(*i*) Adverte quod præterea contra communem conceptum loquantur, quum & ethnici & hæretici veteres, quorum maxime intererat discipulos suos de arte magica convicisse, nihil magis, quam coactionem hanc spirituum urgere in animum induxerint, testibus tribus primis capitibus hujus libri. Ac sequelam exinde optime pervidit Lucanus VI. v. 527. dum canit:

OMNE NEFAS *Superi prima jam voce precantis* CONCEDUNT, *carmenque timent audire secundum.*

Ergo nihil promovent his libertatis diabolicæ vindiciis.

(*k*) *L' Antropologie* 1761. 4. cap. 59. p. 276. ejusd. *Politica, diritto e Religione* Mediol. 1742. P. II. L. III. c. 8.

(*l*) *Differtaz. epistolare* §. 26. p. 15.

Jobo (§. CXXVI.), in perfido rege III. Reg. 22. v. 22., in tota legione ſpirituum (§.CLXXXV.) adparet. Unde porro ſi ad ipſum venditatum contractus ſubſtantiale, ſeu animam, reſpiciamus, non eſt ea in commercio, neque ſpiritus immundus, nec homo de ea diſponendi facultate pollet.

CC. Non ſatisfit dicendo Deum id permittere, atque dominio, quod habet in animam Magi, renunciare. Haud ſatis perpendunt homines incauti, quam ita loquendo ſanam impugnent rationem. Quidquid ens ſapientiſſimum facit, ejus rationem ſapientiſſimam habet. Sed poteſtne deſiderium impium hominis vel ſtulti vel blaſphemi, dæmonis perverſa inclinatio ad deſtructionem creaturarum generalem tendens divinæ eſſe voluntatis motivum? Quid quod benigniſſimo enti repugnet ſinere ſibi ab adverſario dominium ulterius tam iniquo titulo eripi, aut occaſionem ſuæ ſuavitatis, ſapientiæ, bonitatis, juſtitiæ, quam per totam hominis vitam continuare ſolet, oſtendendæ? Quamque in altera nonniſi invitus ponit ab ipſo peccatore coactus? Quid quod libertati humanæ inſidiæ ſtruerentur irreſiſtibiles, ſi dæmoni paciſci daretur, ut quem tempore certo elapſo pertrahat in tartara? Quam difficultatem quidam ſentientes de remedio circumſpexerunt dæmonem cogendi, ut ſchedulam contractus redderet. Sed pudet me plura commemorare auctorum noſtrorum, ut leviſſime dicam, deliria. Materia cetera contractuum (§. CLXXXXII.) talis eſt, ut dæmon non minorem, quam Dei potentiam adſumere debeat, ſi eam præſtare velit (*m*), qualis adſertio eo magis temeraria haberetur, quod nemo adhuc auſus eſt narrare hunc ſpiri-

(*m*) Uſi jam ſunt hoc argumento Damaſcenus (§. 119.), Agobardus (§. 124. ſeqq.) Canones Eccleſiæ (§. 107.) Habeſſini ex veterrima traditione (§. 170.). Urgeri & illuſtrari ex eo poteſt, quod Angelorum natura nihil aliud ſit, quam *velle* & *intelligere*, voluntas vero in ſolo Deo ſit ſimul ipſa omnipotentia & exſecutio. Igitur, quum motivum contractuum in corporum motione conſiſtere dicatur, probandum eſſet inter ſpiritus omnes & corpora ſive fluida ſive ſolida hanc eſſe a Deo legem ab initio conſtitutam, ut ad illorum deſiderii nutum hæc commoverentur; adeoque ut dæmon, ſi e. g. mulierem ad convivia, quæ ipſe inſtitueret, per aërem exportare vellet, corporis humani gravitatem, quæ bis centum ac ultra vicibus ſuperat fluidum aëris, tollere, vel aërem ſpecifice graviorem efficere, aut corpori humano avis conſtitutionem, atque alas ad ſuſtentandum, quæ duodenis millibus vicium excederent vires corporis, adaptare, ubique

tum infelicem alicui famem vel fitim fedaffe. Deinde vero pactum cum Sanctis ftatuere de anima certo tempore elapfo ad cœlum perducenda, licet id, quam pactum cum dæmone, magis reddi queat probabile, fibi nemo fidit. Dixi magis probabile, quia faltem in Evangelio revelatum fuit quamdam effe etiam in hac vita communionem & focietatem Sanctorum, indubitate vero ex Scriptura colligitur nullum absque immediato divino miraculo vel fuiffe vel effe poffe fpiritus adverfarii cum hominibus commercium vifibile (*n*). Et quæ heu! ifta contradictio: oramus nos, ut fancti non vi propria, eam etenim illos habere non putamus, fed interpofitis apud Deum precibus pluviam cieant, grandinem avertant, dæmonem interim omnia ifta facere pro lubitu ad Magorum incantationes facile perfuademur!

CCI. Obftrepere heic iterato aliquos audio, non ifta dæmonem facere, fed DEUM permittere! Redeo & ego ad refponfionem datam, quod impletio defiderii fordidiffimi hominis non queat effe ratio fufficiens volitionis divinæ, quam, fæpenumero in graviffimis neceffitatibus, ex rationibus nobis imperviis preces juftorum fruftra fatigant. Iniquos nihil mereri adipifci, quia non in *certitudine fidei* petant, docuit S. AGOBARDUS fup. §. CXXV. An vero Deus fupervacuas fpiritui infenfiffimo faciet occafiones mortales ad regnum fuum detrudendi, quum alioqui fatis adfecurationis in filiis tenebrarum habeat, *qui non refipifcunt a laqueis diaboli, a quo captivi tenentur ad*

Hh 2

fimul ejusdem in tanta celeritate fuffocationem præcavere poffet. Quæ quum oftendi nequeant, fequitur, ut quæ in Scripturis de Angelis bonis narrantur, a quibus etiam ad malos non licet concludere, peculiari Dei decreto, quo iisdem materiam obtemperare jufferit, adfcribenda fint, talique virtuti a Deo fuperadditæ, qualis ea eft, quæ hominibus ope divina interdum miracula patrantibus concedi folet. Sic judica de angelo Habacuc babylonem transferente DANIEL XIV. 34. fecundum illud Pfalmiftæ: *qui facit Angelos fuos fpiritus*. Pf. CIII. 4. Quod vero ajunt CHRISTUM adfumtum a diabolo & portatum in pinnam templi, Matth. IV. 5. 8. id fenfui vocis παραλαμβάνειν a Matthæo adhibitæ prorfus non congruit, quum & eadem phrafi dicatur Chriftus *adfumfiffe* difcipulos Matth. XXVI. 37. Marc. XIV. 33., immo Lucas IV. 5. 9. aperte innuat, ductum dumtaxat, & præeunte diabolo Chriftum in montem fecutum in pinnaculum afcendiffe. cf. BENED. XIV. de *Canoniz. SS.* L. IV. P. I. c. 3. n. 10.

(*n*) Cf. Cl. Com. CARLI ap. *Tartar.* p. 345.

ipſius voluntatem II. Tim. 2. v. 26. ? Certe hic olim mundum in idololatria detinuit, & neſcio, quæ umquam potuiſſet majora inferre damna, ſi omni momento novum iniviſſet cum alio pactum; neque igitur putandum eſt dæmonem exigere a Deo eam poteſtatem velle. An Deus ordinem naturæ ſapientiſſime a ſe conſtitutum in gratiam adverſarii turbari, deſtrui, convelli ſinet? Cuncta hæc jam olim videntur Romæ fuiſſe deciſa. Quum enim ſub Pontificatu Pauli quarti Monachus quidam Benedictinus Cardinali Gondy, poſtea Epiſcopo Pariſienſi, ab officiis, ſe octuaginta duas a malis ſpiritibus agitatas comprehendiſſe contenderet feminas, quarum pleræque a Judaiſmo converſæ fuerant, illeque poſt trium menſium exorciſmos ſe ab iſtis dæmonibus reſponſum tuliſſe diceret, quod maleficiis Judæorum in earum mulierum corpora immiſſi eſſent, Pontifex capitali alioqui odio in Judæos tentus, illos relegaturus erat, ni doctus quidam Jeſuita imperterrite coram eo ſecundum Sorboniſtarum ſententiam defendiſſet, hominibus eam facultatem non eſſe, ut in ullius corpus diabolos immittant; quæ tum doctrina a ſummo Pontifice & omni Roma ſuſcepta fuit. Hæc narrante Jo. Bodino An. 1554. contigerunt (*o*). Inde vero nova exoritur quæſtio, an Deus ſumme juſtus & miſericors admittere poſſit, quo diabolus unica magi vel ſagæ anima potiatur, ut plurimas alias in ſcelera, deſperationem, ruinam, miſeriarum barathrum præcipitare queat?

CCII. Reponunt alii Deum ſe per hæc vindicare. Ergone Majeſtas infinita non alia media pro ſuo arbitratu citius aut ſerius poteſt adhibere, quam dum Magus vel Saga vult? Nec alio modo, nec alio tempore punire poteſt, non aliter præmiari, quam tunc & ſicut vetula deſiderium ſuum ineptum, impium, ſuperſtitioſum conceperit? Deus bone quo devenit ratio communis! Ethnici probe videntes artem illam, quam dicebant, magicam aliter tueri ſe non poſſe, jactabant hac arte fata ſolvi (§ XII. N. III.), quod idem eſt, ac Deum cogere apud nos. Lucanus, interpres theologiæ gentilis, eleganter pingit illam fatorum ſolutionem, ubi ſagæ ſuæ artes deſcripſit: *Pharſal.* L. IV. v. 460.

(*o*) Bodin. *Dæmonomania* L. II. c. 3. L. III. c. 6.

Cessavere vices rerum: dilataque longa
Hæsit nocte dies; legi non paruit æther.
Torpuit & præceps audito carmine mundus.
Axibus & rapidis impulsos Juppiter urgens
Miratur non ire polos, nunc omnia complent
Imbribus & calido producunt nubila Phœbo,
Et tonat ignaro cœlum Jove. Vocibus iisdem
Humentes late nebulas, nimbosque solutis
Excussere comis; ventis cessantibus æquor
Intumuit, rursus vetitum sentire procellas
Conticuit turbante Noto: puppimque ferentes
In ventum tumuere sinus; de rupe pependit
Abscissa fixus torrens, amnisque cucurrit
Non qua pronus erat — — —
— — — *Impulsam sidere Tethyn*
Reppulit Hæmonidum defenso litore carmen &c.

Christiani non cogitant æque in hoc doctrinæ ethnicæ genus se incidere, si mordicus velint adsertiones suas de magia tueri. Alligant enimvero Dei ordinationes voluntati vel hominis, quod jam dictum, vel dæmonis. Etenim, si tota ars in fœdere consistit, sed fœdus nonnisi a Deo in origine & duratione sua pendere potest (§.CLXXXXIX.), tunc vel dæmon Deum cogit, vel hic admittit: Si in Dei admissione res consisteret, jam diximus, quæ ad divinam admissionem requirantur; tum vero ars magica non evinceretur, in qua effectus a dæmonis solius arbitrio exspectatur, quod is solus fœdere adstringitur, seu ut S. Agobardi ex §. CXXV. verbis utar, *præstigiis malis hæc fieri putant, non voluntate Dei;* ergo dæmon deberet deum cogere, ut is pro lubitu suo impleat fœdus. Quare videant auctores nostri, ne in blasphemum ac insanum gentilium chaos, quod ipsi horum sapientes irriserunt, revolvamur. Atque si duo vel tres magi contrariis pactis concurrerent, an non major confusio, quam ea sit a Lucano descripta, in systema mundanum introduceretur? Nulla autem est in mundo confusio, ut Chrysostomus monuit (§.CLXXXX. in f.) Neque etiam dæmones inter se dissident (§. LXXXIX.).

CCIII. Confectum generatim est fœdus diabolicum non subsistere. Nunc paucis videndum, quæ de eo dæmonographorum doctrinæ in scenam prodierint. Partiuntur illi pactum in *expressum* & *tacitum.* Quum enim omnibus non auderent pactum aliquod expresso contractu initum adfingere, hoc ultimum addere e re sua esse duxerant. Expressum vocant, quod Magi adparente eis in corporea quadam forma diabolo colloquio instituto ineant. „ *Familiariter*, ait „ Godelmannus ex tortuali confessione, *iis colloquitur* multis„ que fallacibus obligationibus pollicetur, se vocatum ab ipsis quo„ vis tempore præsto futurum, consilia collaturum, omnibus in re„ bus & maleficiis opem laturum, ad interrogata quæcumque re„ sponsurum, ex omnibus periculis, & carceribus liberaturum, opes, „ divitias, voluptates sine ipsorum labore subministraturum &c. Per„ acta deinde hac nefaria confœderatione discipulos suos, vel ipse „ per se vel per veteranos Magos & libros magicos edocet initia ar„ tis magicæ: primum quomodo solennes mysterii sui ceremonias in„ stituere secundo monstrosos characteres depingere, sigilla sculpere, „ imagines ex cera & metallis fingere; tertio quas res, ut stirpes, „ lapides, metalla, terras, rotarum & furcarum & funiculorum, „ quibus pœna affecti sunt fontes, particulas, ossa & pilos mortuo„ rum, aliave plura, quo loco, quo tempore, quibus verbis ad „ peragenda sua maleficia, ut vim maleficam nanciscantur, adhibe„ re debeant. Quarto, quomodo hæc ipsa intra corpus exhibere, „ vel foris applicari, offundi, suffundi, & quomodo usurpari con„ veniat. Hoc modo instructis discipulis ipse statim vocatus adest, „ vel hominis vel animalis monstrosa forma, quæ sibi placeat, ut „ & videri existimetur, & humana voce uti, & cum ipsis familia„ riter colloqui, consilia suggerere, ad interrogata respondere, fu„ turaque prædicere (*p*) „. Joh. Weichardus Baro de Valvasor, facit illud sextuplex 1) corporale 2) dolosum 3) superstitiosum 4) naturale 5) adulatorium seu pseudosanctum 6) singulare (*q*).

(*p*) Godelm. de *Magis & Venef.* L. I. c. 2. §. 10.

(*q*) Ehre des Herz. Crain. T. III. L. XI. p. 71. seqq.

CCIV. Tacitum doctores nostri ita concipiunt, ut ii tale pactum habere dicantur, qui res & observationes illas adhibent, quales in expressis diabolus sibi placere edocuit. Et primi quidem non attenderunt illam regulam, quod ibi dumtaxat possit fingi pactum aliquod tacitum, ubi locum habere posset expressum, neque de eo, an consensus, an non intervenerit, quæsiverunt. Ergo ex illorum mente pactum ejusmodi foret, si quis quamvis in remotissima regione convenisset cum dæmone, ut is sibi ad hæc vel illa verba pronunciata, ad hæc signa adhibita determinatum produceret effectum, egoque in alia regione ignarissimus conventionis hujus initæ, ea verba pronunciarem, ea signa æque adhiberem, tum quidem particeps æque ego fierem hujus fœderis, eosdemque experirer effectus. Quod dogma quam sine omni ratione defensum, atque incogitanter orbi obtrusum sit, quum ita homines pila diaboli lusoria constituantur, quivis hodie me non monente perspicit. Vergente demum seculo decimo sexto Jo. BODINUS a se primo observatum esse scribit in hac caussa, quod ad pactum consensus expressus vel tacitus, quem ignorantia excludit, semper requiratur (*r*). Nihilominus grandis ille sensus communis osorum Patronus MARTINUS DELRIUS, qui observante FLOERKIO pactum tam late accipit, ut omne commercium cum dæmone sub eo comprehendat (contra §. CLXXXXVI.), ne quid in systemate suo fabulis ut plurimum anilibus demonstrato desideraretur, duo pacti taciti genera effinxit; *primum*, ut ejus verbis utar, *quando* quis SCIENS VOLENS, superstitiosis utitur signis, quibus uti solent Magi, quæ quidem ex libris aut sermonibus eorum, vel aliorum acceperit; *secundum*, quando quis IGNORANS utitur magicis signis, quia nescit esse mala, & a dæmone instituta, quod illis solet accidere, qui bona fide libros legunt superstitiosos, putantes, eos esse probatorum philosophorum ac medicornm: item iis, qui accipiunt ea ab hominibus, vulgo habitis bonis & fidelibus. Acutius adhuc distinguit VALVASOR loco citato 1) in corporale 2) dolosum sive obcœcatum, 3) superstitiosum 4) pseudosanctum,

(*r*) BOD. *dæmonoman.* L. I. c. 1. p. 59. & c. 3. in f. p. 116.

5) ſingulare, ſive particulare vel temporale, 6) voluntarium 7) ignarum 8) lepidum ſeu ſatuum 9) credulum 10) innocens, quorum omnium exempla lepida ejus commentator adſtruit Erasmus Francisci (s).

CCV. Utraque jam pacta, quidquid de illis &, neſcio, quibus eorum circumſtantiis dicatur, vel fingatur, corruere ſponte liquet, ac in ſpecie quod expreſſa attinet, fere non concipi poteſt, quomodo homines non prorſus rudes realem adparitionem & congreſſus dæmonis cum hominibus pro arbitratu ſuo adfirmare voluerint. In Sacris Literis, ubi tam ſæpe ſermo fit de diabolo, de tentatione, de obſeſſione, eſtne vel verbum de pacto cum uno ex iis inito, de contractu, de ſtipulatione? Boni angeli ſæpius a Creatore miſſi in figura hominum converſati & in favorem quorumdam egiſſe reperiuntur, ſed Angelus malus ad invocationem pro contrahenda ſtipulatione adveniens, vique hujus deſideria mortalium adimplens non ullibi memoratur. Non præbet effugium, quod Sanctis compluribus, quin & ipſi Christo dæmon adparuerit: aliud enim eſt, quod Deus id permittat ad tentandas animas beatas, earumque triumphum augendum, qualis intentio omnino divinæ ſapientiæ convenit; aliud, eumdem ſceleratis ad eorum convocationem adparere, ad deſperationem augendam & firmandam etiam damnationem, aliud cum iisdem colloquia iterata & congreſſus inſtituere quale quid in hiſtoriis fide dignis non habetur. Immo heic denuo dæmonographos non perpenſa natura humana loqui videmus. Quis eſt in orbe terrarum, qui alioqui malæ conſcientiæ ſtimulis agitatus, in quacumque ſe forma diabolus conſpiciendus præbeat, ſciens illum eum eſſe, auderet, ac tantos haberet animos ei converſandi, aut fami-

(s) In confirmationem pactorum adlegat Valvasor. T. I. p. 663. ſe inter peregrinationes multas, quas is obiit, de occultiſſima quadam ſatanæ ſchola in Gallia audiviſſe, in qua diabolus forma humana quaſcumque ſcientias, ſeu matheſin, ſeu theologiam ſeu philoſophiam, ſeu jurisprudentiam, ſeu denique Magiam velis, profiteatur, in qua ut quis recipiatur, non opus ſit, niſi ſiniſtro pede certo lapidi inſiſtere. Et ne quis de eo dubitet, adſeverat ſe doctiſſimos ex ea diſcipulos noviſſe. Pudet me hæc cogi transſcribere.

Si foret in terris rideret Democritus! Horat.

miliaritatem cum eo faciendi? Quis durante antipathia animi humani & ſpiritus malitioſi ſuſtineret ejus præſentiam? Qui demum umquam hujusmodi congreſſus teſtes exſtiterunt? Licet orbi coævum ſcelus ſit invocatio dæmonii, frequentiſſima etiam apud milites teſtante præter alios Ill. *Maffeo* (*t*). Poteſtne autem in aliquo orbis angulo magus, qualem vulgo concipiunt, oſtendi, niſi ad veteres goetas a diis ſuis edoctos, ad comoediarum ſcenas perfugium ſumas? Aut dicant mihi adverſarii rationem, cur diabolus tot curioſulos, tot deſperabundos homines nullo modo exaudiat, in ſuis vero hiſtoriolis mox comparuerit, vel adſignent nobis certa & evidentia ejus rei ſigna! Poſt hæc omnia mirari non deſinam judices olim adeo præjudiciis obcoecari potuiſſe, ut ex ſolo præſumto pacto homines ad mortem condemnare auderent En genuinam de ſaliſburgenſibus Jos. Kofleri confeſſionem! „ Ceterum, ait ille, domini judices ſaliſburgenſes valde pru-
„ denter ut plurimum ad pacta veneficorum maxime expreſſa re-
„ ſpexerunt; cum enim in his *occultis* delictis probatio difficilis ſit,
„ ſæpe etiam labor vanus in veritate inquirenda, emigrationes quoque
„ ſeu tranſvectiones ſagarum non ſemper certæ, concitatio vento-
„ rum & tempeſtatum naturaliter poſſibilis, & per ſe contingens,
„ damna etiam, quæ facere putant venefici, rarius verificentur, &
„ alii nefarii actus in conventibus illorum valde dubioſi, & ſomniis
„ quandoque non abſimiles ſint, quis tuto certum quid deliberabit,
„ aut poenam abſque trepidatione ſtatuet? (*u*) „.

CCVI. Si porro pacta ſingillatim tacita excutere volupe ſit, facile intelliges ea, quum expreſſis tota innitantur, cum his collabi. Quandoquidem etiam alterum eorum genus ab ipſis dæmonographis paullo prudentioribus exploditur (§. CCIV.), unicum dumtaxat in quæſtionem venire poteſt. Et in hoc tamen omnes eæ difficultates obſtant, quas contra expreſſa movimus. Nec fas erit dicere, dæmonem ſe ipſum ſentire obligatum ad obedientiam præſtandam. Pro-

(*t*) A. M. Dil. §. V. p. 13.

(*u*) *Koſt. obſerv. mag. theor. pract.* Frcf. 1686. 8. quæſt. 2. n. 3. p. 33.

fecto habebit is ex prava sua inclinatione motiva plurima, quæ illum perpetuo in necessitate constituant, animabus inhiandi, nec tamen eam umquam per artes fictas magicas sortiri effectum necesse est, aut juvat. Si exemplis judicandum est, adstruunt auctores nostri infinitam farraginem eorum, quæ vel ex paullo occultioribus caussis, naturalibus tamen semper processerunt, quibus pacta tacita evincere putant, qua de re egregius alias P. Le Brun videndus (*x*). Lepidum inprimis, quodque ostendat viros etiam doctissimos his nugis capi, illud est, quod Cl. Tartarottus velut exquisitissimum fortissimumque arietem in medium profert, ad muros adversariorum expugnandos, eosque ex possessione sententiæ suæ proturbandos. En ejus verba (*y*): „ Sunt nobis facta verissima, nec minimum fabulis „ deturpata, quæ naturali cuidam caussæ adscribi non possunt, & „ ideo tacitis adsignantur pactis. *Vidisse me quosdam* (testatur Abbas „ Tritthemius in tertia quæstionum suarum ad Maximilianum) *eadem* „ *vanitate curatos a spasmo negare non possum. Item verbis & herbis for-* „ *tissimas quasdam aperuisse seras mihi constat* (*z*). Quis umquam per- „ suaderi sibi patietur verba naturali virtute gaudere seras aperien- „ di? Quare subdit laudatus auctor: *Innumera, quæ vidi & audivi,* „ *possem introducere similia, quorum effectus manifesti quid sunt aliud, quam* „ *quædam dæmonum miracula?* „. Hæc Tartarottus, ex quo uno discas, quam levis armaturæ milites dæmonographi sint omnes. Quod enim is ex Tritthemio suam comprobare sententiam conatur, facit id ex horum quidem more, quia communis est Magicæ vanitatis stator Tritthemius, sed egregie tamen cum eo decipitur. Quid enim

(*x*) *Hist. critique des erreurs populaires.* In universum de superstitionibus notandus est, legique meretur hic P. le Brun liber cum altero consimili Patris Thiers, qui ambo tractatus Amstelodami junctim in uno volumine auctiores correctioresque recusi sunt cum hoc indice: *Superstitions anciennes & modernes Prejugés vulgaires qui ont induit les peuples à des usages & à des pratiques contraires à la Religion.* 1733. fol. In his tamen ea, quæ frequentius de pactis cum maligno spiritu memorantur, ex dictis dicendisve omnino corrigenda sunt.

(*y*) *Apol. del congr. nott.* off. XXIX. p. 61. 62.

(*z*) Notari heic potest veterem istam fuisse olim Goetarum fabulam, *æthiopidis herbæ tactu clausa aperiri omnia;* in cujus relatione Plinius H. N. L. XXVI. c. 4. exclamat: Non satius fuit Æmilianum Scipionem Carthaginis portas herba patefacere, quam machinis claustra per tot annos quatere!

homini ſuperſtitione & præjudiciis adeo obcœcato credas, ut ipſe non ſciat, quid audiat vel videat? qui etſi millies jurato adfirmet, fidem nequaquam meretur? Deteximus ſupra ejus genium, & hoc loco unum dabimus ſpecimen ex quæſtione IV. ejusdem operis ad MAXIMILIANUM, ubi ſomnambuli cujusdam hiſtoriam ita exponit, ut cunctos lectores in eamdem mecum ſententiam ituros plane confidam. Nec opus eſt, niſi verba adſcribere. Ita vero inſit: „ Dicat mihi naturæ „ quisquis ignarus, utrum *corporale pondus operatione mentis alleviari* „ poſſit. Ego conteſtantibus mecum duobus rem dico expertam. „ Cum proſequerer adoleſcens ſtudia literarum, in uno lecto quatuor „ eramus nocte quadam dormientes. Surrexit e latere meo coevus, „ & dormiens, ut ſolebat in ſomnis domum oculis clauſis & luna „ introlucente quintadecima quaſi vigil circumambulabat. Lectum „ quoque ſecundo & tertio ſopitus tranſcendit, calcavit nos pedibus „ omnes, nec majus ſenſimus pondus, quam ſi mus nos contigiſſet. „ Quocunque dormiens corpus movebatur, ſubito januarum omnes „ ultro aperiebantur clauſuræ. Altiora domus ædificia velociſſime „ penetravit, & more paſſeris hærebat in tectis. Viſa loquor non „ vaga relatione audita! „

CCVII. Ad finem hujus fœderum dæmoniacorum confutationis rejecimus grave aliud argumentum, quo aliis modis probatur talium opinionum diſſeminationem relligioni obſtare naturali, ac Eccleſiæ Dei nocere. Relligioni videlicet naturali ideo obſtat, quia *dæmonophobiam*, quæ eſt ſuperſtitioſus ſpirituum ſuperiorum præſertim cacodæmonum timor, illi ingenerant, qui ea commenta phantaſiis hominum intrudunt; dæmonophobia autem vetita jure naturæ, quod homo ea captus ridiculus, mollis, præcipitis judicii evaſurus ſit, & quod præcipuum eſt, in Deum fiduciam derelinquit (*a*). Quare & in Scriptura ſacra non niſi generaliſſima de dæmonibus nobis revelantur, de quibus ethnici innumera finxerunt. Profecto ſi quotidie omnique hora a Magis, ſagis ac diabolo in hac vita timere deberemus, ne

(*a*) v. BAUMG. *Ethica philos.* §. 395.

nos occidant, vulnerent, malis maximis corporalibus adficiant, Deum relinquendi plurimis facillimus esset prætextus. Deinde Ecclesiæ Dei nocet, quia, ut bene advertit Florius (*b*), tamdiu nullus Parochorum superstitiones, quæ vulgo adhærent, evellere potis erit, quantumcumque ex sacris detonent pulpitis, donec populus & maxime feminæ credent hanc artem esse veram, ejusque virtute diabolum ad obedientiam allici, propterea quod semper aderunt, qui signa, figuras, sanguinem, vincula jactitent, qui rebus sacris gravissime abutantur, ad aliquem effectum, quem imprudenter sperant, obtinendum (*c*). Ubi e contrario omnibus his abusibus occurretur, quando eximiis quibusdam rationibus suaderi poterit, quod omnia hæc frustra fiant, neque ex his vanitatibus quidpiam lucri expectandum sit, sed quod gravissimum peccatum plane absque omni emolumento (*d*) ad vindictæ solum divinæ provocationem patretur. Vel maxime autem illud Augustini memori gestandum pectore: *Dum per mendacium tenditur, ut fides doceatur, id demum agitur, ut nulli habeatur fides* (*e*).

CCVIII. Claudam hunc locum monito Senecæ, quod is mox sub initium operis de vita beata habet. „Nihil ergo magis præstandum est, quam ne pecorum ritu sequamur antecedentium gregem, pergentes, non qua eundum est, sed qua itur. Atqui nulla res nos majoribus malis implicat, quam quod ad rumorem componimur: optima rati ea, quæ magno adsensu recepta sunt, quorumque exempla nobis multa sunt; nec ad rationem, sed ad similitudinem vivimus. Inde ista tanta coacervatio aliorum super alios ruentium. Quod in strage hominum magna evenit, cum ipse se populus premit, nemo ita cadit, ut non alium in se attrahat, primi exitio sequentibus sunt; hoc in omni vita accidere videas, licet; nemo sibi tantummodo errat, sed alieni erroris & caussa & auctor est. Nocet enim applicari antecedentibus; & dum unusquisque mavult

---

(*b*) *A. M. distr.* pag. 1. add. Maff. *A. M. dilegu.* §. 16. p. 47.

(*c*) Hæc observatio ex historia abunde confirmatur. Immo si opinio magiæ, radix plurimarum superstitionum, exscindetur, tunc demum relligio pura præstabitur.

(*d*) Observavit id fere jam Augustinus can. 16. c. XXVI. q. 7. (v. §. CXXXII.)

(*e*) Lib. *ad Consentium* C. IV.

„ credere, quam judicare, numquam de vita judicatur, semper
„ creditur: versatque nos & præcipitat traditus per manus error,
„ alienisque perimus exemplis. Sanabimur, si modo separemur a
„ cœtu: nunc vero stat contra rationem defensor mali sui populus „.
Resipiscant ergo tandem aliquando viri eruditi, utantur recte illa, quam habent auctoritate, seque ab illo veteri fabularum expediant lethargo, quo & sibi & plebi, & cuncto humano generi, ipsisque ejus rectoribus imponebant olim. Rimentur altius veros rationis humanæ limites, quos si egrediaris, ad absurdissima quæque persuadenda gradus est paratissimus. Perpendant, quemadmodum, prout CARDANUS sapienter monuit, quemdam esse ingenii humani circulum, in quo illud perpetuo revolvatur, (*f*), ita phantasiæ efferatæ sibique relictæ suum esse quasi circulum excentricum, quem tota Magiæ historia edocet, in quem, ne illabamur, summopere cavendum sit.

CCIX. Neque absterreantur viri docti ab investigatione ac eliminatione harum narrationum vulgarium ex eo quod aliquæ in libros, quos Ecclesiæ tribuunt, irrepserint, atque adeo præsidium in iis, & auctoritatem nancisci videantur. Non enim Ecclesiæ nomine venditari queunt fabulæ, nec hæ aliam existimationem indipisci possunt, quam earum inventores habeant. Non aliter judicatum olim fuit de falsis illis Evangeliis, epistolis, sacrorum textuum interpretationibus librisque in ipsis Ecclesiæ primordiis ab hominibus quibusdam qua dolo, qua simplicitate præposterove de relligione bene merendi studio fabricatis (*g*). Eumdem ergo in modum etiam nunc judicari oportet. Et sane quis aliam hodie ferat sententiam de idololatria Marcellini Papæ ex libro Pontificali in breviarium Romanum translata? Quis aliam de Cypriano Mago, cujus breviarium idem meminit ad d. XXVII. Septembris, quod ea historia desumta sit ex confessione Cypriani sublestæ fidei scripto (*h*)? Quis postea

(*f*) MORHOF. *polyhist.* T. I. Lib. I. §. 22. n. 27.

(*g*) v. J. ALB. FABRIC. *Codex pseudepigr. Veteris T.* item *Codex apocryphus Novi T.* Add. ejusd. *Bibl. Græc.* L. VI. c. 12. §. 2. p. 128.

(*h*) v. MAFF. *A. M. ann.* L. III. c. 6 p. 214.

absque indignatione respiciet deturpationes sacro exorcistarum ordini factas? Quis sine nausea videat Hieronymi Mengonis *fustem dæmonum* aut ejusdem, de quo jam pridem Calmeto visum fuit eos ritus una cum libro S. Rom. Ecclesiam censura inussisse (*i*), *flagellum dæmonum* &c., in quibus suffumigia acerrimi odoris, medicinæ & sorbitiones, ridiculæque preces & conjurationes ad expellendos commendantur dæmones? Quis ferat apud Martenium (*k*) dæmoniaco abstinentiam a tinca & anguilla, ab oleribus, a contactu cadaveris præscribi, quod ipsi Cl. Tartarotto (*l*) in doctrina philosophorum gentilium fundari videtur? Haud dissimilia quædam suggeruntur consilia in recentioribus editionibus Ritualis romani extra corpus textus, ubi suadetur: „ Exorcista jubeat dæmonem dicere, an „ detineatur in illo corpore ob aliquam operam magicam aut malefica signa &c. vel instrumenta, quæ si obsessus ore sumpserit, evomat &c. quærat de nomine, de caussa ingressus, de numero dæmonum, simul cavere jubetur, ne *ad Magos aut Sagas*, ne ad „ aliquod remedium vanum & illicitum & superstitiosum recurrat „ quæ omnia sunt pariter citati Hier. Mengonis, ut videantur ex hoc exscripta esse consilia; quasi vero sacer aliquis exorcista loco precum & ad Deum refugii velit sagas magosve suppositos potius consulere! Nemo heic objiciat hos libros cum adprobatione Pontificum prodiisse. Est hic locus communis hominum confusis ex ideis ratiocinantium. Adprobarunt scilicet Pontifices, & breviarium Romanum, & Rituale Rom. & Gratiani decretum, addita clausula *ne quid addatur vel detrahatur.* Sed quis tueri queat has collectiones corrigi amplius non posse? Non nisi is, qui nesciat eosdem libros sub variis pontificibus varias mutationes subiisse licet ab unoquoque clausula hac munitos; aut, qui non legerit votum Benedicti XIV. *ut arduum negotium corrigendi & reformandi breviarium romanum assumatur* (*m*), quique ignoret, in emendato a Gregorio XIII. Gratiani decreto

(*i*) Diff. in *Dæmon. Asmodæum.*
(*k*) de *Antiq. Eccl. Ritib.* L. III. cap. 9.
(*l*) *Apolog.* p. 154.
(*m*) de *Canoniz.* SS. T. IV. p. 660. ubi porro de breviario romano doctissime differitur.

multa recte reprobari, multa tolerari non posse (*n*). Palam fit inde, Romanis Pontificibus eam clausulam in ejusmodi librorum adprobationibus fere solemnem esse, quo majoribus abusibus via praecludatur, atque cum tempore saltim uniformitas ac decentia quaedam externa in Ecclesia obtineatur. Ergo & in rituali, quo nunc utimur, PAULI V., urgentioribus aliquando negotiis remotis consilia illa, quibus tamen alioqui nemo sacrorum exorcistarum absque contumacia culpave obedit (*o*), tollentur, corrigentur. Et hic est usus Ecclesiae (*p*).

CCX. Ut vero Eruditorum nostra quidem in caussa eo luculentius patescat officium, delineabo illud verbis numquam satis laudati MURATORII ex libro ejusdem *de viribus intellectus humani* in latinum translatis. (*q*) „ Illud, inquit, extra controversiam positum est, speciatim in seculis barbaris, quia ab hoc quidem vitio nullum tempus eximitur, fictionem, imposturam, simplicitatem obtinuisse, magnosque ubique obvios fuisse abusus. Postquam inde ab anno millesimo post Ch. N. scholae variarum disciplinarum aperiri coeperunt, multis bonum frumentum permixtum est zizaniis. Deo laudes, quod ultimis seculis cum resuscitatione bonarum literarum aliquantum promotum sit. Fidem perdiderunt multae fabulae a temporibus ignorantiae superstites, reformati sunt plurimi exsecrandi abusus, & nemo amplius Aristotelem festa philosophiae praescribentem stupet. Quum tamen regnum rationis & fidei seculis illis infelicibus, etsi Ecclesiae catholicae dogmata numquam non in sua perstiterint puritate, totum vepribus dumisque horridum evaderet, non potuit omnis uno momento silva caedi, ut adeo tamen nunc haud minima restet terrae portio culturae indiga. Quodsi tamen hodie quis se accingat expurgandae historiae ecclesiasticae, everrendis vitis Sanctorum, breviariis, certis quibusdam usibus, sen-

(*n*) v. inter alios J. DOUJAT. *Praenot. Can.* L. IV. c. 12. tot. Cl. Professor Vindobon. DE RIEGGER diss. *de decreto Gratiani*. §. 84. 85.

(*o*) cf. MAFF. *A. M. ann.* Lib. I. c. 7. n. 3. 4. L. III. c. 8. n. 6. 7. & c. 9. n. 1.

(*p*) v. c. 6. X. de *celebr. Miss.* §. fin. *tertio loco*.

(*q*) *delle forze dell' intendimento umana* cap. XXIV. ad fin. p. 334. ed. Venet. An. 1748. 8.

„ tentiis & opinionibus non nixis Scriptura Sacra, nec legitima traditione, sed ex mera procedentibus barbarie, is opus habet querelis, accusationibus & impetui eorum se exponere, qui nimia sua bonitate nesciunt tantam sibi effingere inter mortales seculorum lapsorum malitiam aut simplicitatem, ut ausi fuerint fabulas & cudere & credere, eoque etiam devenerint, ut ritus non convenientes sanctitati Ecclesiæ catholicæ introducerent. Alii ab interno proprio vel patriæ aut relligiosi ordinis sui amore adacti potius quam ut examinent an incauti a nimia credulitate decepti sint, persequuntur eos, qui ipsos in viam reducere adgrediuntur. Alii denique pervicaces nihil, quod pietatem spiret, seu sint opiniones, seu legendæ, seu visiones, sint miracula aut usus, quamvis veritate destituti, vel bono reipublicæ nocivi, vel superstitionis characterem secumferentes, credunt tangi posse, sed reverentiam eorum moleste exigunt, subitoque relligionem periclitari injuriose vociferantur, quasi de publicis latrociniis ageretur. Exempla non congero „.

CCXI. Pergit vir celeberrimus: „ Nec defuit in Gallia zelosus relligiosus (*r*), qui criticam in criticam nostri [illegible] ris exercere in mentem induxit monstrare contendens, quod plurimi libri, traditiones populares & reculæ aliæ, quæ a doctissimis quibusque rejiciuntur, sustineri possint, per hoc sibi persuadens, grande se orbi præstiturum fore beneficium, si quemlibet ad devorandas patenti gutture nenias, quas finxerunt aut somniarunt majores nostri, exsuscitaret. Neque boni hi homines advertunt indiscretum suum aut potius indoctum zelum ad augendum & confirmandum Protestantium immo magis incredulorum animum, quo sanctam nostram relligionem & Ecclesiam traducere student, mirifice conferre. Ista vero innixa columnis veritatis cum ipsa veritatis professione durat & durabit semper, nec indiget fictionibus aut narratiunculis dubiis ad amorem Dei vel pietatis opera vel alias virtutes excitandas. Id quod falsum est, multoque magis quod su-

„ per-

(r) Is est, opinor, HONORATUS A S. MARIA.

„ perſtitionem ſapit, nocere ei dumtaxat aptum eſt. Ideo inſtituta ſunt ſacra tribunalia, nemo ut audeat miracula venditare falſa, viſiones vana credulitate pro ſupernaturalibus habitas, aliasque imposturas, credulitatesve haud firmo nixas talo. Criticus eruditus, modo ei ne deſit diſcretio, idem prorſus exſequitur ſalutare officium inſurgendo contra ſimiles falſas merces, quas, quod jam in foro ad vendendum proſtent, quis dicere audeat privilegium mercaturæ ſortitas eſſe, ne, ſi tales probentur, examinari rejicive queant? Sunt nobis imposturæ hiſtoricæ, genealogicæ, chemicæ, alchemicæ, medicæ &c. Omnes has, ſi poteſt, evitare cupit Eruditus. „

CCXII. Liquet nunc etiam quid apud Chriſtianos de crimine Magiæ (nam apud ethnicos id niſi forte in adjunctis contra externam reipublicæ ſalutem peccatis non dabatur), nobis, qui etiam Tribunalia profana reſpicimus, ſentiendum ſit. Admetiar heic verba ERNESTI JOH. FRID. MANZELII Profeſſoris Roſtochienſis, qui unus omnium ſive theologorum, ſeu JCtorum, ſive philoſophorum optime rationes ſubduxit, atque ad meam mentem ſatis adcommode rem concepit (*s*): „ *Statuo*, inquit, *dari* homines circa propositum inclareſcendi, diteſcendi, libidinem explendi & vindictam privatam exercendi a Deo aberrantes ac adverſus eundem prævaricantes, quia per ipſius providentiam intentionem ſuam non pro voluptate obtineri poſſe vident. Sunt illi, qui pro ſymbolo habent: flectere ſi nequeo ſuperos, acheronta movebo. Primus igitur (*ex Chriſtianis*) veneficus (i. e. *magus*) prodidit diffidentiam erga Deum, & confidentiam erga ens immateriale, quod male agentibus propitium eſt (*t*). Atheus talis practicus & rebellis adverſus Deum vel nulli principio præter naturales omnium rerum virtutes ſe commiſit (*reflecte mentem ad ſyſtema proportionale*) vel etiam impuro & Deo ubique contrario enti ſe concredidit. Modus hoc faciendi *ideam pacti* induere debuit: (*ſenſu quo expoſui §. CLXXXX.*). Prima talia pacta fuere omnino implicita (*non quod nugantur ſcriptores innumeri corporaliter inita*). & nullo præ-

Kk

(*s*) in Exiguo programmate citato ſup. in Hiſtoria §. 162.

(*t*) Quatenus ſcilicet poteſt eſſe propitium.

„ ceptore præeunte vel viam monſtrante potuit talis homo nexum (*u*) cum hoc principio malo ſanciviſſe. Propagatio hæc mali ſucceſſive nacta eſt ſuos præceptores (*præcipue quod ex paganiſmo abſurdæ doctrinæ reliquiæ undique ſupereſſent*), qui ſecundum (*x*) artis regulas docuerunt, quomodo procedendum ſit, & ſtulta inclinatio plebis ſciendi futura vehementer promovit hoc delictum. Eſt enim quædam apud vulgum inſania divinandi & futura ſciendi (*vidimus, quid mali hæc in ethniciſmo produxerit*). —— Ponamus id, quod tamen abſit dixiſſe, diabolum eſſe non ens; credo, quod tamen queat eſſe delictum pacti cum diabolo impliciti; abnegatio Dei ſemper eſt facta, & quod ad novum fœdus, ſatis eſt pro conceptu delicti hujus, quod formale adſit, quamvis non detur materiale „.

CCXIII. Pergit CL. MANZELIUS: „ Quod ad continuationem & perſeverationem in delicto, error & opinio poſſunt adeo altas agere radices, ut quis putet ſe videre, quæ non videt, & audire, quæ non audit. (*Eſt hoc ita exploratum, ut nemo, qui vel parum metaphyſices gnarus eſt, diſſentire queat.* Et vel ex eo ſolo capite mirum videri non poteſt, quod excellentes viri conſimilibus phantaſmatis indulſerint. Sane præſtantiſſimus poeta Italorum epicus, TORQUATUS TASSUS inſigne ejus rei præbet exemplum, de quo in vita ejus (*y*) narratur, eum ſibi ſæpenumero præſentem adeſſe quemdam ſpiritum imaginatum fuiſſe, cum quo is etiam, ut amici audiverant, altiſſimis de rebus fixo ad feneſtram radioſque ſolis per eam intrantes obtutu confabulari ſolebat. Simile delirium HIERON. CARDANI (*z*), & poetæ celebris Galli LA FONTANI (*a*). De *Dominico Ciajeſio* refert JOAN. NIC. ERYTHRÆUS *pluribus* eumdem *rerum inanium imaginibus* tentum fuiſſe, ſed non aliis magis, quam GALLI INDICI, *quem ſemper in ore habebat*, & *ſoricis*, *quem pluviali indutum Pontificio cum equitum Hieroſolymitanorum inſignibus perpetuo ſibi ante ocu-*

(*u*) Intellige, quem Manzelius in ſequentibus vocat, *nexum putatitium*.

(*x*) v. ſup. §. IX. not. *y*

(*y*) Hæc vita italice conſripta eſt ab intimo Taſſi amico & ejus actionum teſte IOANNE BAPT. MANSO, gallice reddita a D. C. D. D. V. 1692.

(*z*) v. MORH. *Polyh.* T. II. p. 240.

(*a*) *La vie de M.* LA FONTAINE.

los versari ajebat (*b*). Quid igitur si vetulis anglicis diabolus talpæ specie visus §. CLXXXXVII. ?). „ Præsertim si accedit ignorantia „ physicæ experimentalis, & si phænomena curiosiora & operatio- „ nes extraordinariæ, quæ pientissimus physicus in nomine domini „ potest exhibere, ad supernaturalia referantur, & ceu in malum fi- „ nem elicitæ, pro Deo adscribendis non habeantur. Paucis pos- „ set quoddam delictum blasphemiæ & prævaricationis adversus „ Deum concipi, etiamsi non daretur diabolus „.

CCXIV. „ Et credo, quod multæ Lamiæ nihil utilitatis „ ex hoc nexu etiam putativo habuerint, præter quasdam operatio- „ nes, quæ ex accidenti & ex naturali rerum virtute provenerunt (*). „ Plurimæ lamiæ enim œconomiæ fuerunt studiosissimæ, & quia „ Deus etiam malis hominibus dat panem quotidianum, & solem „ suum omnibus prodesse sinit, id per solam suam diligentiam ob- „ tinuerunt, quod pessime errantes diabolo & suis mussitationibus „ & aliis superstitionibus adscripserunt. Cogitetur de voce plebis „ multorum diligentissimorum & Deo devotissimorum patrum ac „ matrumfamilias sortem hoc dente rodentis: der kan hexen: de „ heft dat thohop gehext. — Blasphemia est ubique fundamentum, „ unde sæpissime in antiquis protocollis observavi daß die erste Le- „ ction in der Erlernung der Hexerey gewesen eine Annahme ei- „ nes weißen Stöckchens unter den verdammten Worten: Ick „ nehme disen witten Stock, un verlögne minen Herren Gott. „ Obvenerunt mihi passus in actis superioris ævi, daß die zaubern „ könnenden Persohnen ganz ungehalten worden auf ihre erlernte „ Kunst, und ihren Geist Hans ꝛc. Daß wohl ehender einer sei- „ ne Meisterin geprügelt, da er gefunden, daß er nichts rei- „ cher oder besser dadurch geworden, daß er hexen könnte. Ad „ articulos: ob inquisitin mit dem Teufel wirklich gebuhlet? re- „ spondetur: Ja, aber das wäre doch so nicht recht gewesen. „ En illusiones somniorum! Ob sie wirklich etwas von dem Sa- „ tan an Gütern erhalten? resp. Nein, sie hätte oft gemeynt, „ daß sie was hätte, aber wenn sie was haben wollen, hätte

(*b*) *Pinacoth. II. num. 33.*

(*) *Immo hoc de omnibus adseri debet.*

„ sie eben wohl arbeiten müssen, als andere Leute. Quod ad „ equitationes illas famosas, dudum fuit exploratum, quod ante o- „ culos probatissimorum Virorum per totam jacentes noctem sequen- „ te die ad protocollum longum enarraverint itinerarium (*c*). v. Et- „ was von gelehrten Rostockischen Sachen. An. 1737. p. 105.

CCXV. Quæ sequuntur, ad meum palatum haudquaquam esse, haud difficulter ex doctis docendisve deducetur. „ Attamen exemplum CL. MANZELIUS advocat, quod nos supra ex- „ scripsimus (§. CLXII.), ex quo concludit inter plebem adhuc „ dari doctrinam de modo veneficiorum (*intellige magicæ superstitio-* „ *nis*), & scientificam quamdam tractationem „. Neque sane dubitandum est, quod plebs ad superstitionem quin & idololatriam cultumque sensualem semper prona æqualiter cum suis majoribus paganis aliquando cogitet, atque in familiis rusticis certæ traditiones doctrinæque heteroclitæ propagentur, quibus eæ in suis præconceptis firmantur opinionibus. Quod addit vir egregius homines ejusmodi tam firme sibi hæc cum dæmonibus commercia & congressus persuadere, ut neque per judices ab his phantasiis avelli possint, indeque concludit ad spiritum phantasiam per illusiones corrumpentem, facile id quidem concedo, quia & Ecclesia hoc credit in C. EPISCOPI (§. CVI.) & philosophia probat. Acutus ille philosophus anglus RADULPHUS CUDWORTHUS præter necessitatem ad commotionem spirituum provocat, dum de tristi immoderatæ imaginationis dominatione agens, in hæc verba subdit: „ Dicere heic, si vellem, mihi „ liceret aliquid de malorum geniorum imperio in eos, qui aut fre- „ na laxarunt libidini, aut alio modo indignos sese reddiderunt di- „ vinæ providentiæ, quam sibi polliceri ceteroquin omnes possunt, „ tutela & patrocinio. Nihil certe obstat, quominus & hi spiritus „ cerebri in ejusmodi hominibus ipsimet cieant & commoveant. „ Quodsi detur, & concedatur, ratio fortassis reddi potest earum „ rerum, quæ de magis & sagis vulgo perhibentur; quod quidem

(*c*) Idem testatur Muratorius sub IMP. JOSEPHO Viennæ exploratum fuisse *della forza del. fant. um.* c. X. *p*. 130. Conf. Speus *Caut. crim.* Dub. XLVI. ratione II. Tartarot. *del Cong. Nott.* Lib. II. Cap. XI. §. 4. 6. ubi exempla plura.

„ conviviis, aliaque tam facere quam perpeti, quæ ſanæ rationi „ & veræ philoſophiæ plane refragantur (*d*) „. At non aliter tulit ſyſtema philoſophicum Cudworthi.

CCXVI. Emerſis demum ex ingenti, quem doctores texuerant, cerebrini dogmatis Labyrintho, nihil prius eſſe oportet, quam certa definitione genuinam criminis Magiæ notionem figere, quæ inter tot portentoſorum commentorum farraginem atque cujusvis fingendi libidinem vix non evanuit; quod eo citius nos adſecuturos ſperamus, poſtquam ideas vel vulgares, vel ſitum trahentes a ſordibus depurgavimus. Vidimus ſcilicet in hiſtoria, quousque humana curioſitas & mentis in relligione incertitudo apud populos a vera relligione alienos, dum, ut PLINII (*e*) verbis utar, animus *ſemper aliquid immenſum expectabat, ac dignum deo movendo, immo vero, quod numini imperet*, rem deduxerit. Manet hodie Chriſtianis eadem curioſitas, ſed relligio ei frenum injicit. Neque tamen apud multos relligio effectum ſuum habet; quo fit, ut homines vel temerarii vel ſimplices vel curioſe relligioſi aut impii in proprios gentilium (*f*) errores relabantur. Eſt ergo apud Chriſtianos quoddam crimen, quale Magiæ nomine venire debet, definirique poteſt, quod ſit *Acceſſus mentis ad ſatanam cum fiducia aliquid ab eo obtinendi.* Unde mox pateſcit, non eſſe quodpiam delictum aut crimen Magiæ proprii generis, ſed ſpeciem horrendiſſimæ blaſphemiæ id conficere, in qua tamen ſimul gravia alia per conſequentiam concurrere queant ſcelera; quare antiqui doctores dixerunt, niſi fœdus cum diabolo ineatur, quod nos late negavimus, maleficium non eſſe, ſed impietatem, ſuperſtitionem, idololatriam, paganiſmum & apoſtaſiam (*g*). Exhaurit data definitio ideam criminis Magiæ, quam quum doctores innumeri non attenderent, ſed ſomnia artis magicæ, quæ unus ab altero deſcripſit, cum ipſo crimine confun-

(*d*) de *æterna & immutabili juſti & honeſti natura* Lib. III. cap. 4. §. 8. edit. Moshem. poſt ſyſtema Cudworthi.

(*e*) H. N. L. XXVIII. c. 2.

(*f*) *Non eſt augurium in Jacob, nec divinatio in Iſrael.* Num. XXIII. 23.

(*g*) Gœddæus de Delict. P. II. c. 6. conc. 7. q. 7. Theodoric. Colleg. Crimin. diſp. VII. th. 3. not. g.

derent, vulgique conceptus præ ſana ratione conſectari mallent, alii producta effectusve peccati reſpicerent, omnia turbarunt, reique toti denſiſſimas offudere nebulas. SUIDAS (*h*), quod horum hominum fiducia eos fruſtretur, atque priſci illi probe id agnoſcerent, cum Scholiaſte Sophoclis ſcribit ab antiquis Magos vocatos fuiſſe eos, qui *falſas ſibi imaginationes fingerent* μαγους ἐκαλουν ψευδεις φαντασιας περιτιθεντας ἑαυτοις (*i*). Noſtris temporibus magnum jurisconſultum JOAN. LEYSERUM invenio Magiam plebea notione (ſemper namque plebs cuicumque ſpirituum ideæ infinitam quamdam adnexuit potentiam) definire *crimen, quo quis facto dictove aliquid contra ordinem naturæ ſine divina auctoritate operatur, & efficit* (*k*). BOEHMERUS caſtigat ridetque doctorum commenta, ſed nec is nec alius quisquam ullam veram ſubſtituunt definitionem. Nos itaque his tandem effeciſſe ſperamus, ut quid in quæſtione longe omnium graviſſima ceterasque plerasque utilitate poſt ſe relinquente adfirmari, ſtatuive oporteat, cordato cuivis incurrat in oculos, viſuri deinceps, quid huic theoriæ conſequenter in ipſo rerum uſu debeat obtinere.

EXPLICIT LIBER PRIMUS.

(*h*) In Lexico v. Μαγεια.

(*i*) Phantaſias illas Libri hujus I. capite I. & II. delineavimus.

(*k*) Ad Pand. Spec. DCVIII. m. 3.

CONSTANTINI FRANCISCI DE CAUZ

DE

CULTIBUS MAGICIS

EORUMQUE PERPETUO

AD

ECCLESIAM ET REMPUBLICAM HABITU

LIBER SECUNDUS

QUI EST PRAGMATICUS

CUM ADJUNCTIS

Firmatur ſenium Juris, priſcamque reſumunt
Canitiem Leges, emendanturque vetuſtæ
Acceduntque Novæ; Talem ſenſere Solonem
Res Pandioniæ — — — —

CLAUDIAN. *de IV. Conſul. Honorii v. 505.*

CONSPECTUS
LIBRI SECUNDI.
ARGUMENTA CAPITUM ET PARAGRAPHORUM.

CAPUT I.
DE NOXIIS EFFECTIBUS OPINIONIS ARTIS MAGICÆ IN PROCESSU CRIMINALI.

§. I.

Considerandα esse seorsim in hoc libro judicia Criminalia. Superstitionis originatio. Monitio de ea qua pote exstirpanda. §. II. *Describitur in genere modus processuum magicorum.* §. III. *Tota magicæ artis detectio rumori populari innititur, ac semper* corpus *dumtaxat aliquod* facti, *numquam* corpus Delicti *producit.* §. IV. *Nec est fundamentum in confessionibus reorum quærendum. Quid Vulgus in his processibus olim potuerit.* §. V. *Ipsi Inquirentes hunc abominabilem procedendi modum interviderunt, sed praxi consueta se tuebantur. Crimen Magiæ in prima criminum exceptorum Classe ponunt, & hinc omnia in eo sibi licere putant. An dentur Crimina excepta? Notatur Bodinus.* §. VI. *Inquirentes olim adeo perplexi redditi, ut peculiari phraseologia sibi ac aliis imponerent.* §. VII. *Exponitur prima eorum phrasis.* §. VIII. *Proponitur secunda tertia & quarta.* §. IX. *Quinta & sexta.* §. X. *Septima. Non alius modus hos processus expediendi quam* denunciationes complicum *ita dictorum. Medium nullum semel captam redimendi, quod* §. XI. *illustratur. Frustra objectum sagis utpote infamibus in denunciatione non esse credendum. Quid Judices responderint, Primo &* §. XII. *Secundo. Ridiculum ostenditur.* §. XIII. *Disputarunt etiam, an tamen illis fides adhibenda esset, qui pœnituerunt. Inde novis dubiis impediti.* §. XIV. *Ratio cur eam disputationem moverint. Mysterium iniquitatis horum processuum. Paullo post non amplius de pœnitentia quærebant. Eo igitur adducta res est, ut jactaretur sagas nullibi, nec in Sacramento confessionis præterquam in equuleo ve-*

rum dicere. §. *XV* & *XVI.* *Unicum Judicibus effugium in Phrasi septima, quod tamen nullum esse fuse ostenditur, ubi sermo de amphibologiis* & *mendaciis in examinando adhibitis,* & *torturarum acerbitate. Adfertur quæstio an tortura in criminibus occultis facilius adhiberi queat,* & *quid confessionum cum denunciationibus convenientiam effecerit. V. Cl.* Andreas de Jenco *laudatur.* §. *XVII. Idea spiritus noxii irresistibilis mirifice lusit Quæsitorum animos. Quod ostenditur* (*1*) *in conquirendis Indiciis, ubi in transitu Remigius notatur.* §. XVIII. (*2*) *in Torturis infligendis, in quibus* maleficium Taciturnitatis *dire dominabatur.* §. XIX. (*3*) *in morte Reorum dijudicanda. Transfertur huc* & *explicatur phrasis decima.* Confrontatio *quomodo facta. Simplicitas judicum.* §. XX. (*4*) *in ipsa sententia ferenda. Transitus ad probationes a judicibus adhibitas.* §. XXI. *Phantasiæ vis* & *indoles elucidata.* §. XXII. *Continuatio.* Torquati Taſſi *phantasmata.* §. XXIII. *Unguentorum, quæ Magi Magæve adhibere dicuntur, origo* & *operationes.* §. XXIV & XXV. *Caussarum, cur Phantasiæ indulgentes eo deveniant, ut nihil idearum habitarum separare possint,* internarum *deductio.* §. *XXVI.* §. XXVII & XXVIII. *Inquiritur, quando primum divinatio ex aqua frigida invaluerit, quæ ejus ratio adlegata, quam late diffusa,* & *quo modo desierit. De probatione per lancem* & *stateram remissive.* §. XXIX. *Caussæ supernatationis physicæ.* §. XXX. *Observatur eventu magis quam ratione duce aquæ probationem hinc inde frequentari desiisse. De probatione ex stigmatibus* & *ictibus sagarum, Cum præteritione ceterarum mentis humanæ aberrationum. Adnotatio de homine invulnerabili.* P. *Spei iteratum eulogium.*

CAPUT II.

DE ADPLICATIONE DOCTRINÆ HACTENUS TRADITÆ AD JURISPRUDENTIÆ LEGISLATORIÆ ILLUSTRATIONEM.

§. XXXI. *Quid sit* Jurisprudentia legislatoria. *Quænam doctrinæ in ea occurrant.* §. XXXII. *Neglectæ hujus disciplinæ nocu-*

menta. Ad eam excolendam Jcti obſervatores *conſtituendi.* §. XXXIII. *Quid ſit* ſcientia Legum. *Scriptores ad utramque diſciplinam facientes. Delrii plagium. Inde totum hucuſque traditum ſyſtema ad Juriſprudentiam Legislatoriam illuſtrandam transfertur per obſervationes. Obſervatio* I. §. XXXIV. *An Deus in V.* T. *per maleficos intellexerit idololatras?* *Obſ.* II. §. XXXV. *Leges primæ Romanorum ſuperſtitioſæ recenſentur. An exinde intelligatur furtum per Licium & Lancem conceptum.* §. XXXVI. Æl. Hadrianus *Imp. Juriſp. Legislatoriam repurgat.* §. XXXVII. *Inſequentibus imperatoribus licet teterrimis ſuperſtitionibus deditiſſimis libri magici ſemper conquiſiti & exſtirpati. Fragmentum Ulpiani in l.* 1. §. 3. D. *de Obſeq. par. & patr. præſt.* explica*tur. Obſ.* III. §. XXXVIII. *Conſtantini M. in l.* 4. C. *de maleſ. propoſitum. Legis decimæ C. Theod. de maleſ. enucleatio. Juſtiniani conſtitutiones novellæ. Leonis Novella LXV. rejecta. Obſ. IV.* §. XXXIX. *Francorum, Longobardorum, Oſtrogothorum, Wiſigothorum & aliæ eccleſiaſticæ leges breviter perſtrictæ. Item* §. XL. *Caroli M. ſancita. Cl.* Heineccius *corrigitur. Obſ. V.* §. XLI. *Infelix ſors juriſprudentiæ romanæ ſeculis barbaris, quibus artis magicæ recentius efficta præjudicia firmantur. Contra Bullas Alexandri IV. & Johannis* XXII. PP. *Sortilegi in hæreticorum claſſem conjiciuntur. Caroli V. Sancita irrita proceſſibus magicis jam adultis. Obſ. VI.* §. XLII. *Cur Alexandri IV. conſtitutio non ſervata, immo contra potius leges romanæ detortæ?* §. XLIII. *Curia romana præſcribit inquiſitoribus regulas convenientiores in his proceſſibus. Dæmonographorum incertitudo in ratione pœnæ Magis dictatæ adſignanda. Obſ. VII.* §. XLIV & XLV. *Declaratur definitio noſtra criminis Magiæ atque judiciis criminalibus adaptatur.* §. XLVI. *Quæſtio an ſibi perſuadens ſe eſſe Magum puniri poſſit? & quid exinde olim deductum. Obſ. VIII.* §. XLVII. *Optima via Legislatori hodierno tenenda in opinione artis magicæ ipſoque crimine Magiæ exſtirpandis diſcutitur. Obſ.* IX. §. XLVIII. *Hanc elegiſſe docetur Dominam noſtram M.* THERESIAM *A. in exemplum omnium Legislatorum natam. Recenſentur principales ejus curæ in Annis* 1752. 1753.

1754. 1755. ſ. XLIX. Item in Anno 1756. Quibus ſucceдit novum decretum 1766. cujus contenta deinceps exponuntur. Proceſſus id veteres tollit, novamque procedendi methodum judicibus præſcribit, ne ulla umquam injuſtitia committi poſſit, ſ. L. in eruendo corpore delicti, ſ. LI. in Iudiciis ad inquiſitionem, in captura, in tortura, ſ. LII. in interrogatoriis ſpecialibus, ſ. LIII. in Pœnis dictandis, quarum occaſione noviter denuo elucidatur L. VI. C. J. de maleſ. ſ. LIV. Edicti divalis continuatio. ſ. LV. Ejusdem Adpendix de Sortitionibus, obſeſſione dæmoniaca, umbris defunctorum & Spiritibus oberrantibus, cujus uſus inſinuatur. Obſ. X. ſ. LVI. Paralipomena. Votum & finis Operis.

ADJUNCTA.

I. *Apologia pro morte Joannæ Darciæ, ſub nomine puellæ aurelianenſis notæ, inedita, qua Henricus VI. R. Angl. apud orbis proceres Virginis hujus excidium excuſare intendit, 1431. 16. Julii.*

II. *Sententia Abſolutionis & Juſtificationis pro Joanna Darcia an. 1456. 7. Julii edita.*

III. *Literæ, quibus puella aurelianenſis Bohemos ab hæreſi dehortata fuerat, ineditæ.*

IV. *Edictum Ludovici XIV. quo regnum ſuum ab hominibus Magorum nomen ſibi imponentibus purgat an. 1682. 31. Auguſti.*

V. VI. VII. *Tria reſcripta M. THERESIÆ A. in puncto ſuperſtitionis & Magiæ hactenus inedita.*

D E

CULTIBUS MAGICIS

LIBER SECUNDUS

CAPUT I.

DE NOXIIS EFFECTIBUS OPINIONIS ARTIS MAGICÆ IN PROCESSU CRIMINALI.

I.

Quamquam diverſis libri ſuperioris locis hujus, quam nunc adgredimur, inſpectionis argumentum nos occupaſſe videri queat, tamen & juvat, & oppido neceſſum eſt, ea partite examinare, quæ ad Judicia criminalia pertinent, neque imparatos ad ſequens caput dimittunt. Perſecuti ſcilicet ſumus libro primo multifaria illa damna infinitasque, quas opinio ſcientiæ cujusdam magicæ per Gentes ſparſa dederat, quibus demum intima chriſtianæ arx relligionis petebatur, turbas. Nunc ubi de ipſis re-

rum argumentis plenius agitur, ad tribunalia accedendum eſt, in quibus, dum corollariis ex illa opinione, quam etiam debellavimus, receptis in crimen Magiæ procederetur, omnia ſuſque deque habita ſunt, vitaque adeo ipſa hominum quam defendi protegique oportebat, in frequens omnino diſcrimen adducta eſt. Monebuntur inde populorum rectores, ne ſuperſtitionibus ullis frena vel paullulum relaxent, quod eæ ſi modo gradum moverint, mox latius graſſari quid quod flamma ferroque longe ſævius rempublicam depaſcere ſoleant. Ea quippe ſuperſtitionis ab eo, *quod ſuperſtet*, ſeu cujusque rei *legitimum excedat modum*, dictæ (*l*) natura eſt, ut nihil non confundat, miſceat, conturbet, limitesque rerum omnes migret. Quare eadem in imbecillis doctrinaque non probe ſubactis mentibus, quales naturaliter plerorumque ſunt hominum, hæret, dominatur, ſerpendoque eximiam civium partem in Caſſes ſuas trahit, eo majori exitio, quo gravior eſt, in quam illa incumbit, materies. Veteres ſuperſtitionum auctores dixerunt feminas. Ita Strabo Libro VII. Ἁπαντες γαρ της δεισιδαιμονιας αρχηγους οιονται τας γυναικας. Ἀυται δε και τους ανδρας προκαλουνται προς τας ἐπιπλεον θεραπειας των θεων και ἑορτας και ποτνιασμους· σπανιον δε ει τις ἀνηρ καθ' ἀυτον ζων ευρισκεται τοιουτος· i. e. „ Superſtitionis auctores & duces eſſe feminas „ omnes opinantur. Eæ enimvero viros invitant ad ſupervacuos „ nimiosque deorum cultus & dies feſtos & venerationes. At raro „ profecto vir cælebs ſibi vivens invenietur talis „. Nos quamvis id in caſibus particularibus non negemus, tamen generalem ſuperſtitionis originem ab animæ humanæ coarctationibus repetimus, illud autem Tullii cuivis bono commendamus: „ Ut relligio propaganda eſt, quæ eſt juncta cum cognitione naturæ, ſic ſuperſtitionis ſtirpes omnes ejiciendæ; inſtat enim, & urget, & quo te cumque verteris, perſequitur (*m*) „.

II. Jam in repræſentandis proceſſuum magicorum iniquitatibus ita verſabimur, ut ubique ſimul diligenter adnotemus ſuppoſita artis magicæ exiſtentia rem tamen aliter ſe habere non potuiſſe,

(*l*) v. Vossii *Etymologicum*. (*m*) De Divin. II. 72.

adeo, ut si hodienum denuo in crimen ejusmodi inquirere animum subeat, eosdem omnino irrationales produci effectus sit necesse. Quid enim? Si Judex ab infimæ plebis ratiunculis totus pendeat, si hominem ex vulgi malitiosi aut ignorantis rumusculis in carceres duci jubeat, si eidem ex plebis dicteriis catalogum quæsitorum proponat, neque desistat prius, quam is omnia ita esse adfirmet, quemadmodum plebis sermones volunt? Si nullo præsente delicti, quod ajunt, corpore captum præsumtionibus plebeis obruat? Si post omnes suggestiones tortura, quidquid velit, exprimat? Si demum judicis præjudicatis opinionibus abrepti arbitrio pleno cuncta committantur (*n*)? Habes brevem ideam processuum magicorum quorumcumque omnium, qualis ex *Malleo Maleficarum* velut eorum norma, ejus interpretibus, responsionibusque juris & actis, quæ vocant, magicis desumitur, atque vel ex ipso, quem nos, ne ἀσυμβολοι discederemus, huic libro subnexuimus, PUELLÆ AURELIANENSIS, ceteris omnibus ad amussim simili processu emergit. Sane ipse etiam CARPZOVIUS, ingens horum processuum patronus, fatetur, si *in delicto maleficii præsumtiones ad condemnationem sufficere* negetur, *rarissime aut numquam reum supplicio affici posse*, quod ejus criminis *ne minima vestigia aut corpus delicti umquam adpareat* (*o*). Ut adeo, quod unice consequens est, *suggestio* hujus processus utramque faciat paginam, id quod novissimo exemplo patuit (v. L. I. §. CLXIII.), quam SPEUS etiam *se & alios ad id clam destinatos observasse* scribit (*p*) *arcem esse doli & caput artis* judicum. Quare idem Imperatorem, principes ceteros, eorumque Consiliarios sequenti monito ab istis inquisitionibus dehortari conatus fuerat. *Fingatur*, inquit, *de industria atrocissimum aliquod crimen exceptum* (sub prætextu etenim criminis excepti judices sibi omnia licere adseruisse dicetur deinceps) *quo noceri sibi vulgus apprehendat, atque ejus deinde dispersa fama in id inquisitores sese accingant iisdem viis, quibus nunc in malefica; ajo sane, si in Germania* (poterat dicere: in Orbe) *paulo post-*

(*n*) *Delrius* Appendice II. ad Lib. V. permittit', *ut judex procedat in hoc crimine, quo sibi modo procedendum putat.*

(*o*) Part. II. Quæst. LX. num. 32.

(*p*) Caut. crimin. dub. XXVIII. arg. IV. n. 2.

pauciores erunt ejus criminis rei, quam nunc Magiæ, ſiſtam me ſummo Magiſtratui; & in flammas vivus injiciar (q).

III. Vias autem procedendi alias eſſe non potuiſſe ita porro probandum ſumo. Agebatur in crimine artis magicæ perſequendo de eo, ut quis commercii diabolici, quale tum ſupponebatur, convinceretur, cujus probatio ad ſummum ex concurſu duarum rerum vel fortuito vel naturali vel & præternaturali, ſemper tamen ignorata ejus ratione, adſumebatur; id ipſum vero, quod latet, id ipſum, quod ignoratur, occultumque tegitur, *Magia* vocabatur. Huic tamen voci idea commercii, quod vulgus concipit, diabolici adficta judices perplexiſſimos reddidit. Ergo ſponte deducitur, totam magicæ artis demonſtrationem in vulgi rumuſculis hærere, ac in famam inde procedentem reſolvi. Præclara papæ demonſtratio! Cape exemplum. Pone tibi conſtare Titium, plerumque enim nec de determinata perſona conſtat, ſed hæc ex vulgi calumniis deſumitur, capillos, putamina ovorum, ferramenta, ſcorias veſtibulo Gaji ſubjeciſſe, Gajum paulo poſt exareſcere, emori. Pone Gajam lurido adſpectu terribilem pueros adſpexiſſe, qui non multo poſt ex morbo deceſſerint. Ecce nexus capillorum cum morte Gaji nullus adparet, nexus adſpectus Gajæ cum puerorum morte concipi non poteſt. Unde igitur nexus hic efficitur? Profecto nonniſi ex plebis ignorantia, apud quam fieri iſta remurmuratis liturgiis magicis poſſe jactaetur. Habebis itaque ad ſummum *Corpus* forte *facti*, ut ita dicam, quod factum indicet, ad cujus efficientiam quævis potius cauſſa quam tua concurrit, numquam *Corpus delicti*, ſeu objectum, quod culpam humanam aut factum homini alicui imputabile redarguat. Neque judicium unius hominis de altero conſtituit corpus, quod ajunt delicti. *Neque ſic cauſſa intelligi debet, ut quod cuique antecedat, id cauſſa ſit, ſed quod cuique efficienter antecedat*, monet Cicero de *Fato* cap. XV.

IV. Tu dices forſitan, in ipſa rei confeſſione ſatis eſſe præſidii. Sed quum nec vola nec veſtigium pacti, concubitus, tripudiorum aut conventuum cum dæmone adſit, quamquam & nos ſtante hac re-

rum

(q) *Ibid.* dub. XXX. docum. XIX.

rum universitate eadem impossibilia contenderimus, quomodo, obsecro, nuda confessione judici humano se umquam reum constituat? Omnis confessio, ni inter chimæras referri debeat, ad rectæ rationis trutinam expendatur oportet, an scilicet præter id, quod ex tranquillo & sibi probe conscio non perturbato animo processerit, probabilitatis characterem secumferat, qui character non adparet, nisi cum aliquo tertio extra dubium posito comparari queat. Hoc tertium in nostra specie non sunt nisi indicia a plebe suppeditata, præsumtiones nulla legitima consequentia, aut ratiocinio geometrico deductæ, sed ex infimi popelli rumusculis haustæ. Quæ heic probabilitas? (*r*) Accedit confessionem debere circumstantias specifice tales continere, quas nemo umquam innocens scire potuit (*s*). Quis vero hoc requisitum convenire somniet fabulis vulgi per orbem totum decantatis? (*t*) Ex his fit manifestum, eum, de quo agimus, processum numquam potuisse ad leges institui. Dum tamen defenditur diabolum pro hominum Magorum nomine notatorum lubitu se mortalium actionibus interferere, ingens in eos homines conflatur odium, adeo, ut ex mortalium consortio ejiciendi putentur, populique furor in dies magis sæviat. Quod idem P. SPEUS experientia didicit, quare conqueritur, (*u*) „ morem esse vulgi, ut si Magistratus non subito „ ad quoscumque futiles eorum clamores capiant, torqueant, & „ urant, mox liberrime vociferentur, timere ipsos sibi & uxoribus „ ac amicis; corruptos esse a ditioribus, honestiorem quamque fa- „ miliam urbis Magiæ obnoxiam esse, pene digitis designari „ sagas posse, hinc procedere non audere „. Et iterum (*x*): In- „ credibilis vulgi apud Germanos & maxime, quod pudet dicere, „ apud Catholicos, superstitio, invidia, calumniæ, detractiones, „ susurrationes & similia, quæ nec Magistratus punit, nec Con-

(*r*) Penitius adhuc ista examinabimus infra §. 21 - 24.

(*s*) *Const. Carol.* art LIII. LIV. LX.

(*t*) adde LEG. XIV. §. 1. *D.* de interrogat. *Confessiones ita ratæ sunt, si id, quod in confessionem venit,* JUS ET NATURAM RECIPERE POTEST. Magia ex hypothesi cooperationem dæmonis requirit, quæ quod naturæ non conveniat, in concreto per rei confessionem probari nequit.

(*u*) *Caut. crim.* Dub. XV. §. *tertii generis.*

(*x*) *Ib.* dub. LI. n. 1. 2. 3. 4. 5.

„ cionatores arguunt, suspicionem Magiæ primum excitant; omnes „ divinæ punitiones, quas in sacris literis Deus minatus est, a sa„gis sunt! Nihil jam amplius Deus facit aut natura, sed sagæ omnia; „ unde impetu omnes clamant; ut igitur inquirat Magistratus in „ sagas, quas nonnisi ipsi tot fecerunt. Mandant ergo principes „ suis judicibus & Consiliariis, ut incipiant in sagas procedere. Ne„sciunt hi primum, unde ordiantur, cum indicia seu probationes „ non habeant. — Monentur interim bis terve, ut procedant. „ Clamat vulgus moram hanc non carere suspicione. Et pene „ idem sibi a, nescio, quibus informati principes persuadent „.

V. Non poterat fieri, quin hanc abominabilem procedendi methodum illi ipsi, qui se dicebant inquisitores, aliquando interviderent, & detestarentur. Fatentur itaque quidem apud Speum(*y*) debere *hæc talia morosius tractari, & expendi, debere ventilari & disceptari, sed tum sane se progredi non posse, satis esse, quod hæc hodie sit praxis; se nolle sic scrupulari.* Atque quum Speus objiceret, ac sæpius instaret, famam numquam legitime probari, respondebant, (*z*) *non aliam hodie esse praxim; nam si sic examinanda fama esset, non posse se umquam procedere.* Quum igitur una ex parte per ipsam rei naturam procedere non possent (§. II. III. IV.) ex altera vero thesin suam ita stabiliissent, ut nemo sine vitæ periculo eamdem in dubium revocare auderet, atque hinc neque defensores reorum admitterentur, quod tamen juris naturalis auctoritas exigit (v. L. I. §. CXXXIX.), facile judicatu est, quam absurdis sequelis ipsa ratio humana oppugnata fuerit. Nihilominus non deterriti judices, postquam unam alteramve feminam permittentibus principibus incinerarunt, jam solemni illa se tuiti formula: *hæc hodie est praxis*; ipsique rationi magno cum tripudio insultantes iniquitates iniquitatibus cumulavere. Ita effrontes crimen suppositum primæ *exceptorum* (*a*) classi adscri-

---

(*y*) *Ib.* Dub. XXXIII. resp. 2.

(*z*) *Ib.* dub. XXXIV. resp. 2. conf. Dub. IX. rat. 7.

(*a*) Heic semel notandum est, crimina, quæ nostri finxerunt, tam quoad pœnam quam processum excepta, non dari, quod communem procedendi modum in omnibus delictis in genere nulla exceptione habita & leges & ratio præscribant, ut adeo inquisitio & probatio criminum semper unica

pturi cum JOH. BODINO (*b*) propugnabant, nihil necesse esse relligiose quemquam regulis procedendi hærere, sed quia crimen magiæ tam turpe horrendumque sit, cujus tam difficiles sint probationes, tamque abdita scelera, scilicet si abditum scelus tumultuari debemus! ut e millenis vix unus supplicio merito affici queat, extra ordinem oportere fieri illius judicium diversa a ceteris ratione (*c*), & in exceptis criminibus licere jura transgredi (*d*). Deinde, quum principes ipsis certam judicium hoc peragendi rationem præscribere rei natura vetante nequirent, arbitrium suum quam latissime extendebant. Ita igitur mirum quoque non est, judices ipso hujusce praxeos ductu ad peculiarem phraseologiam delatos esse, qua denuo & sibi & principibus & populo imposuerunt.

VI. Phraseologiam illam, quam omnem vir summe post fata etiam venerandus FRID. SPEUS jurejurando interposito orbi palam fecit, utile est cognoscere, ut inde discatur, quousque præjudicia inolita humanam mentem a veritate exerrare jubeant. Visne igitur scire, quæ phrases in processibus magicis pro eorumdem adjumento invaluerint, quæ murmure omni, quantumcumque fingatur, magico potentiores rem totam transformarint? SPEUS ita inquit (*e*). „ Tentent se principes, sitne ex omnibus vel unus post tot excitata „ busta, qui in hodiernum diem noverit, quid significent hæ phra- „ ses Inquisitorum, cum sic ajunt; verbi causa:

eademque exactissima inviolabilique norma regantur. v. FLOERK. de *crim. conj. spirit.* c. IIX. in notis ad §. III. BOEHMER. *El. jur. crim.* Sect. I. c. 11. §. 217. quamvis punitio aliquando severior esse possit, quam alioqui communiter leges præscribant. v. CAUT. CR. Dub. V. ROLLANDUS A VALLE *Cons.* 12. n. 72. & 73. „ Sententia ista „ procedit in puniendo, videlicet, quando „ constat reum esse culpabilem & vere de- „ linquentem, secus autem in procedendo, „ quia in processu nondum scitur vere, „ an inquisitus sit delinquens, quia tunc „ pendente inquisitione non possumus dice- „ re, quod sin in enormibus delictis, „ sed in imputatione enormis delicti &c. „

(*b*) L. IV. *dæmonom.* cap. 3.

(*c*) Hoc Bodini ratiocinium *non imprudens* vocat Carpzov. Q. CXXII. n. 60. sed Godelmannus pridem recte monuerat Bodinum adeo desipere, ut eum nemo judicum illæsa conscientia sequi possit. v. Copia einer Antwort auf R. in Westphalen in fine in GODELMANNI *Tr. de Magis* libro III.

(*d*) *Caut. crim.* Dub. XXIII. prætextu I. & passim.

(*e*) *Caut. crim.* Dub. IX.

„ 1. Audita eſt Gajæ defenſio, non ſatisfecit.
„ 2. Habemus gravia contra eam indicia.
„ 3. Procedimus ſecundum allegata & probata.
„ 4. Titia ſe ream faſſa eſt ſine tortura.
„ 5. Liberrime ratificavit confeſſionem in tortura factam ad Bancum juris.
„ 6. Multæ pœnitentes ſuper Gaja mortuæ ſunt.
„ 7. Faſſa eſt Titia omnia puncta & circumſtantias easdem, quas denunciantes complices de ea depoſuerant.
„ 8. Sempronia maleficio taciturnitatis uſa eſt contra tormenta.
„ 9. Nihil ſenſit in tormentis, riſit, dormivit.
„ 10. In faciem convicta eſt eſſe rea, nihilominus impœnitens permanſit.
„ 11. Reperta eſt in carcere mortua, cervice penitus confracta, dæmon eam jugulavit. Et ſimilia. Ajo enim audacter non magis hæc ſignificare, quod ſonant, quam aut ſignificet equus bovem, aut aſinum Camelus, aut aqua ignem. „

VII. Hæc quidem ex eo, quod inquiſitores iſti ex impoſſibilibus poſſibilia facere niterentur, ſemperque reis totam ſpeciem facti antea ſibi ex vulgi dicteriis confictam obtruderent, ita obtinuerunt. Verum ulteriorem earumdem phraſium, quam Speus ſuppeditat, audire juverit explicationem, ut eo exactius de tota re judicemus. Primæ interpretatio hæc eſt (f). „ Vocat ad ſe inquiſitor captivam: „ ait non ignorare eam, ob quam cauſſam capta ſit, hæc atque iſta „ contra eam indicia produci: purget ſe igitur & reſpondeat. Ubi „ reſpondit, tum etſi ſingula, ut ipſe ſæpiſſime expertus ſum, ac„ curatiſſime diluerit, ſic ut replicari nec tantillum poſſit, tanga„ turque manibus accuſationis totius futilitas, nihilominus nulla am„ plius reſponſionis diſcuſſione facta, nec ſubjuncto verbo, quaſi „ in ventos mulier locuta ſit, aut ſaxo narrarit fabulam, hoc ſolum „ ei dicitur, ut in carcerem redeat, & melius apud ſe perpendat, „ an in negatione velit perſiſtere, decerniturque, ut igitur torquea-

(f) *Caut. crim.* Dub. XVIII. Coroll. XV.

„ tur. Cum deinde revocata eſt, hæc tantum audit: Stitimus te hodie coram nobis, & negaſti, conceſſimusque tempus, ut melius perpenderes, & a pervicacia reſpirares. Quid ais igitur? An adhuc perſiſtis & negas? Quodſi negare pergis, ecce tibi protocollum; factum eſt contra te *decretum torturale*, ſic enim loquuntur, poſt quæ verba, ſi adhuc negat, ducitur ad torturam, nec quæ attulit ad indiciorum purgationem vel tantilla eorum fit mentio, quaſi ea omnia ſolo ſilentio retuſa ſint, ac tantumdem plane fuerit, ſeu defenderit ſe mulier, ſeu oſcitarit „. Addit SPEUS: „ Teſtor autem Deum, tam accuratas me ſæpe audiviſſe purgationes, ut, qui ad diſputationes ſcholaſticas inaſſuetus non ſum, non inveneram, quid difficultatis fuerit relictum, quod non exhauſtum ſit. Idem & alios novi, qui jurati affirmare audeant viri docti. Soli principes ſunt, qui ut iſta neſciant, ſed longe aliter informentur, neſcio, qua divina punitione fit „.

VIII. Quod deinde garriebant magna ſe habere contra inquiſitos indicia, ejus falſitas ita perſpicitur, ut ei formulæ immorari non ſit opus. Dum vero orbi obtruſerunt ſe ſecundum allegata & probata procedere, „ *neceſſe* eſt, inquit SPEUS (*g*), *inique* procedi, etſi ex allegatis & probatis procedatur; quia tantumdem eſt dicere allegata & probata, quam allegata & non probata, ſed refutata. Quod ne videar invidioſe comminiſci, offero me ad probandum ſub pœna a jure decreta in calumniatorem. Mirantur amici, qui hæc legunt, & quærunt, an hæc igitur ſe ita habeant? Quibus reſpondere ſoleo, ignorare eos adhuc prima principia in hac materia, rogent Deum, ut excitet principes, qui veritatem ſcire velint „. Quarta phraſis eſt, inquiſitam faſſam eſſe ſine tortura, quam ſequentibus pandit noſter (*h*). „ Etſi acerbiſſimæ torturæ ſunt, tamen neque judices, neque alii multi eam acerbitatem apprehendunt. Non apprehendere autem colligo ex quadam valde ipſis uſitata phraſi, cum dicunt aliquas ſe reas eſſe faſſas ſine tortura.

(*g*) *ib.* Dub. XVIII. Coroll. XVI.

(*h*) *ib.* Dub. XX. ratione 9. Dub. LI. n. 22.

„ Nam ita egomet his meis auribus non ſemel & judices & vero
„ etiam Sacerdotes audivi affirmantes, atque inde probantes eas igi-
„ tur ſine ullo dubio nocentes eſſe. Mirum eſt, quo tandem loquen-
„ di licentia egrediatur, cum enim quærere deinde inſtitui, num
„ ſic haberet, intellexi eas omnino tortas fuiſſe; ſed tantum prelo
„ quodam ferreo & lato, cujus lamina anterior acutis ſtriis ſulcata,
„ cum ob tibias, ubi acutiſſimus eſt ſenſus, vehementius urgetur,
„ ac caro, exſiliente utrinque ſanguine, inſtar placentæ comprimi-
„ tur, is neceſſario exiſtit dolor, quem etiam robuſtiſſimi quique
„ viri intolerabilem ſibi viſum dicunt. Et hoc tamen iſti affirmabant
„ eſſe fateri ſine tortura; hoc ſpargunt apud vulgum; hoc ſcribunt
„ ad principes; non eſſe quod de crimine Sagarum dubitent, cum
„ & ultro plurimæ ſine tortura fateantur. Et quid igitur illi appre-
„ hendunt, qui hos dolores non apprehendunt! quid judicant &
„ reſolvunt conſulti doctores, qui nondum inquiſitorum idioma intel-
„ ligunt? „

IX. Notum eſt confeſſionibus reorum in tortura factis non credi debere, niſi eas ipſi tranquilliori animo poſt eamdem die integro ſaltim vel triduo interjecto in loco ſecuro atque ab omni metu alieno confirment (*i*), id quod *ad bancum juris ratificare* dicitur. Longe autem falleretur, qui hanc locutionem ſenſu conſueto noſtris in proceſſibus acciperet. Si quis enim reus tormentis victus in ſe mentitus fuit, non audebat amplius ad bancum juris hoc mendacium revocare, & veritatem judices edocere. „ Væ illi, ſi ad ban-
„ cum juris revelaſſet, quod in tormentis mentitus eſſet; rediiſſet
„ in easdem quæſtiones, & nullo alio, quam ingentium pœnarum
„ lucro mendacium mendacio cumulaſſet. — Quidam nimis ſimpli-
„ ces ſunt, & turpiter impingunt, cum ad Bancum juris bis terve,
„ ut nuper adhuc obſervavi, voce Judicis provocati ad libere edi-
„ cendam veritatem ajunt ſe in tormentis mentitos eſſe; mox enim
„ reducti in quæſtionem id tantum diſcunt, nullam omnium tortura-
„ rum acerbiorem eſſe, quam quæ eam libertatem edicendæ veri-

(*i*) C. C. C. art. LVI. art. LVIII.

„ tatis exceperit. Neque enim contenti quidam inquisitores sunt, „ quod ubi rei mentionem reductionis audiunt, subito libertatem „ eam damnent confessionem priorem ratificent, ac de revocatione „ doleant, infectamque esse velint: nam nihilominus adhuc reduci „ jubent, & torqueri, ac tum denique ad bancum juris *liberrime* „ *enunciare* se reos esse; non sine magna in populo exaggeratione, „ quanta maleficorum malignitas sit, qui cum tandem aperte inve- „ niantur fuisse rei, sic antea tamen judicium ludificati sint. Ut pro- „ fecto insanissimus inposterum futurus sit, qui ad bancum aliter „ loqui audeat, quam judicibus placuerit (*k*) „. Sexta phrasis facile intelligitur, si perpendatur, omnes absque legitimis ullis indiciis tumultuario processu fuisse incineratas (*l*). Ceterum nec morte confirmata complicis denunciatio per se aliquid probat (*m*).

X. Denuo novum horum judicum jurisprudentiæ specimen præbet phrasis a P. SPEO loco septimo posita. Scire etenim oportet, maximum iis post famam publicam verius popelli vilissimi enthusiasmum fuisse Magiæ indicium *denunciationes*, quæ dicebant, *complicum*. Nam docet cum aliis Binsfeldius, nisi denunciationibus crederetur, procedi, Sagasque exstirpari non posse (*n*), ac ita ferre ecclesiæ praxin ausus est scribere (*o*). Sed hoc indicium æque, immo magis ac fama judicibus illusit, quod hanc quivis pro sua nunc phantasia interpretaretur. Quum ergo complices ita dicti nec de corpore delicti (§. III.) nec quod alias in testibus requiritur, (*p*) de sensu proprio, aut de ratione sufficienti scientiæ suæ deponere, neque adeo receptæ alias denunciationum regulæ ad speciem nostram adplicari possent (*q*), nec rationi, nec legibus amplius obsecundatum est. Adsumserunt igitur tres vel quatuor has denunciationes ad capiendum & torquen-

---

(*k*) *ib.* Dub. XL. resp. ad arg. V.

(*l*) cf. *ib.* Dub. XXX. docum. XVIII. n. 3.

(*m*) v. KRESS. COMMENT. ad art. 25. §. 8. not. 3. cf. l. *si quis* 3. §. *si quis* 1. D. de SCto Silaniano.

(*n*) v. *Caut. crim.* Dub. XLIX. arg. XI.

(*o*) v. *ib.* arg. VII.

(*p*) cf. LUDOVICI *Comm. ad* C.C.C. art. 31. *voce:* gehabt haben.

(*q*) Leges romanas, quæ volunt maleficos quæstioni subjici, ad facinoris socios publicandos, huc non pertinere abunde lib. I. evictum est. cf. *Caut. Crim.* Dub. XLIX. Argumento III.

dum etiam perſonas bonæ alioqui famæ ſufficere (*r*); quo ſemel recepto denunciationes mox in infinitum extendebantur triſti integrorum pagorum in favillas evolantium effectu. „ Si ſe quæpiam vi dolorum falſo ſemel ream fecit, dici vix poteſt, quæ miſeria ſit. „ Nam & medium nullum ſuppetit apud pleroſque, qui evadat, & „ alias quoque reas facere cogetur, quas neſcit, quasque non infrequenter quæſitores in os indunt, aut lictor ſuggerit, aut quas „ jam ante infames aut delatas, aut ſemel captas & dimiſſas audiverunt; quæ cum rurſum alias indicare debeant, & ſic deinceps, „ quis non videt in infinitum iri oportere? „. Ita Speus (*s*). Non eſt autem crudelior eorum ſententia, prout Floerkius opinabatur, (*t*), qui denunciationes ad condemnationem facere tuebantur, quod utraque ſententia eodem recidat, quia, quæ ſemel torturæ ſubjecta fuit, ei liberare vitam ſuam amplius non dabatur.

XI. Etenim porro Speus docet, quod ſi quæ dolori nil dederit, ut fateri noluerit, nihilominus nec ſic eripere ſe potuiſſe; toties enim ad tormenta revocatam, dum ſuccumberet, & vox veniret in poteſtatem tam frequentium pœnarum; illam repetitionem & frequentationem fidicularum, virgarum, facularum &c paſſim uſitatam ſpem omnem interfeciſſe umquam emergendi. Narratque relligioſum quemdam virum judicialibus quibusdam perſonis hanc quæſtionem propoſuiſſe, doceri ſe cupere, quis tandem ille modus eſſet, quo is ſeſe liberaret, qui vere innocens in vincula veniſſet? Ad quod cum diu non ſatisfacerent, id tandem reſpondiſſe, ſe deſuper ea nocte meditaturos eſſe. Quam reſponſionem poſt tot ante pyras incenſas datam recte ſane ſumma cum indignatione refert (*u*). Iterumque alibi, quæ viſæ in conventibus ſeu congreſſu nocturno denuncientur, eas certo haberi nocentes, certoque ibi corporaliter fuiſſe; itaque tam diu torqueri, donec fateantur, & ſi quædam tortu-

ras

(*r*) *Caut. crim.* Dub. XLIV. init. cf. *Votorum Cameræ Imperialis* T. II. P. I. Vot. 6. n. 50. ſeqq.

(*s*) *ib.* Dub. LI. num. 36. cf. Dub. XX. ratione XIV. Dub. XLVIII. reſp. ad arg. VII.

(*t*) l. c. c. IIX. §. 7. nol. p. 443. Meminit hujus ſententiæ & praxeos Speus Dub. XLIX. in f.

(*u*) ib. Dub. XX. ratione XVI.

ras ſuperarint ac non faterentur, jam eas tamen combuſtas eſſe vivas tamquam obſtinatas (*x*). Quodſi alii cum P. Speo ad revocandos pauliſper ab hac immanitate judices objicerent Sagas eſſe perſonas infames, quales de jure ad teſtimonium dicendum non admittantur, reponebant illi primum, in criminibus exceptis etiam tales admitti ex cap. *in fidei favorem* 5. de hæret. in VIto, non attendentes 1) rationem pontificis, qui non quoscumque inhabiles prout quidem iſti voluerunt (*y*), ſed ſaltim excommunicatos & ſocios criminis in hæreſis crimine admittit & ſolum tunc, quando *in probationum aliarum defectu ex veriſimilibus conjecturis*, ex numero teſtium aliisque circumſtantiis falſa dicere præſumi non queant, 2) tales teſtes nusquam plene probare ad effectum pœnæ ordinariæ, ſed longe aliud eſſe teſtem probare, aliud admitti eumdem cum inhabilitate ſua ad teſtificandum ſecundum mentem pontificis, quo caſu ſufficit, ut teſtis aliquantum probet, & deſervire poſſit ad inquirendum ac flagitantibus demum adminiculis ad capturam, ad torturam aut ad pœnam extraordinariam (*z*); quæ omnia huc tamen non pertinebant.

XII. Regeſſerunt autem ſecundo infamiam hanc, ſi qua hæreat, per torturam expurgari, quaſi vero tortura commune illud lavacrum ſit, quod a maculis abluat, æthiopesque lavet. Monuerat Simancas theologus, quem ipſe Delrius citat (*a*), eſſe id ſine lege & ratione loqui; ſed nihil quidem ille profecerat. Receptum ergo fuit, ut quum quispiam in tortura de ſe crimen confeſſus hoc ipſo infamis eſſet, non oporteret ei de complicibus credi, niſi de iis per novam rogaretur, quantumvis ſine tortura promtus eſſet edicere. Immo docuit Delrius, ſi ſocius criminis denuncians pluribus laboret defectibus ut v. c. non ſolum ſit infamis, ſed etiam ſimul vilis, abjectus, perjurus, aleo &c. per torturas plures, aut unam acerbio-

(*x*) *ib.* Dub. XLVIII. reſp. 3. ad arg. I. Dub. XLIX arg. IX.

(*y*) Nam & pueros, & alumnos & vaſallos, & feminas, accuſare permiſerunt. FLOERK. l. c. C. IIX. §. 4. not. p. 423. 424. SPEUS paſſim & Dub. XLIX. in fine. Pueri denunciantis exemplum habes ſup. L. I. §. 158.

(*z*) FLOERK. l. c. C. IIX. §. 10. p. 471. BRUNNEM. proceſſ. inquiſit. C. VIII. m. II. n. 30.

(*a*) Diſq. lib. V. Sect. III.

rem omnes hos purgari defectus (*b*). Hæc omnia immo & plura absurda opinionibus & praxi doctorum Italorum etiam confirmata leges apud *Sebast. Guazzinum* (*c*) advocatum Romanum. Quomodo autem hæc tradita intelligenda sint, nemo capit. Sive enim *infamiam vitæ seu morum*, id est, criminosos subintelligas, sive homines diffamatæ aut suspectæ mendacitatis & perjurii, id est, *infamiam autoritatis* consideres, numquam hæc placita adprobare poteris. Licet enim infames primi generis, seu criminosos possint jura testes esse jubere, quod per se non repugnet criminosum veracem esse, (secundum dicta §. præc. XI.), tamen hunc effectum per torturam solum & semper obtineri ineptum est, taceo, nec opus esse, ut nominatio complicis in tortura fiat (*d*). Et quod infames secundi generis attinet, plane ridiculum est id adfirmare, quum hi ex natura sua, auctoritate quippe & per consequens ejus producto, nempe testimonio vacillante, nihil probent, ut adeo nec jus multo minus tortura eos habiles reddere, atque in neutro casu vel tortura vel numerus testium vitia intrinseca sanare queat. Quum interim a nostris judicibus absona illa principia suæ adplicarentur sententiæ, ac ita latissime propagarentur, crevit processus absurditas, dum ii sagis denunciationes equuleo extorserunt, ac, quamvis eæ ut dæmonis mancipia mendacissimæ patrisque omnium mendaciorum & scelerum passim haberentur discipulæ, tamen apud nostros tantam post torturas mox fidem nactæ sunt, ut omnes ab iis denunciatæ eo ipso reæ constituerentur, neque amplius vitam redimere possent (*e*).

XIIII. Disputatum inde tamen a nonnullis fuit, an denunciantium complicum fides crescat, postquam sese rite pœnitentes ostenderint? cui dum quæstioni responsionem comminiscuntur, aperta su-

(*b*) v. *Caut. Crim.* Dub. XLIV. Dub. XLIX. Arg. X. §. circa syllogismi hujus.

(*c*) *Opp. Criminal.* nov. ed. Lugd. 1672. f. Vol. I. ad Defensam reorum, Defens. XIX. *circa torturam testium.*

(*d*) v. Boehm. *El. Jur. Crim.* Sect. I. c. 6. §. 224. not.* contra Kress. ad Art. XXXI. C. C. C. §. 1. not. 2.

(*e*) An alias nominatio complicis torturam operetur, Boehmer. *El. jur. crim.* Sect. I. c. 6. §. 225. adfirmat, negat Floerk. C. IIX. §. 7. p. 449. qui & ostendit Taborem a Bœhmero allegatum sibi non constare.

perſtitionis ſibi nuſquam conſtantis veſtigia relinquunt. Nec enim non vana tum ea erat quæſtio. Sane pœnitentia ibi dumtaxat locum habet, ubi voluntas prava exigit, ut aliquid corrigatur. Nihil vero ejusmodi in miſeris illis occurrebat, nam vel dixerunt id, quod audiverant, vel quod mulieres deliræ ac ſemifatuæ ſibi finxerant, vel torturis coactæ mentitæ ſunt, prout paragraphis ſequentibus XV. & XVI. exponetur, vel demum illuſæ, *dæmone*, quod SPEUS ait Dub. XLVI., *ſeu per ſe, ſeu per adhibita naturalia medicamenta* (dicetur infra feminas has narcoticis variis uſas eſſe) *phantaſiam varie commovente exiſtimarunt fuiſſe, vidiſſe & feciſſe, quæ nec viſa nec facta ullibi ſunt.* Quem vero effectum pœnitentia producat, quando voluntas quantumvis bona rumore vulgari, delirio, metu revocandarum torturarum, aut illuſione ad eadem ſemper effata probanda rapitur? Huc ſpectat, quod SPEUS monet, ſi quæ revocent denunciationes ante factas, eas quoque ad torturam revocari, & hoc ipſum lictores eis minari ſolere, ac ſedulo, ne id neſciant, præmonere, ex quo fiat, ut paucæ adduci poſſint, denunciationes ſuas falſas, ſaltim omnes ut revocent, revocare igitur aliquas dumtaxat, ut ſic & conſcientiam, quantum poſſunt, exonerent, & ſimul repetitionem tormentorum declinent; unde rurſum tamen judices concludant hanc unam aut alteram feminam, quæ revocata cum aliis non ſit, tanto certius nocentem eſſe, atque ideo tanto ſævius in eam, ſi neget, animadvertendum (*f*). Neque illud præterire debemus, a feminis iſtis viſionariis homines perſæpe ſanctiſſimos, adhuc vitæ ſuperſtites, quin etiam Principes tamquam a ſe in ſaltibus ſuis nocturnis viſos denunciatos fuiſſe, ubi porro notabilis occurrit hiſtoria, (*g*), quod in loco celebri Germaniæ, in quo omnia pene in cineres conciderant, Princeps Relligioſum ad menſam ſuam vocatum, qui mirum in modum in ſagas debacchatus proceſſum uſitatum omni ex parte extulerat, ad ſilentium redegerit, dum ad acta judicialia e veſtigio adferenda provocans ſe etiam ipſum in carceres compingere debere profeſſus eſt, quod eum a ſe in conventibus ſuis viſum non minus quindecim denunciarint.

(*f*) *Caut. crim.* Dub. XLVI. init.

(*g*) *Caut. crim.* Dub. XLVIII. in Arg. VI. f.

XIV. Quæſtionem interim eam noſtris ex hypotheſi ſua movere lubuit; & credo id ab initio a nonnullis factum eſſe ad diminuendam aliquantum nimiam denunciationum copiam, quam ſibi crearunt ex ſolis his procedendo complicum, ut ajebant, nominationibus, id quod Speus poſt Tannerum, qui monuerat *pleraſque Sagas capi ob denunciationes* (*h*), conſtanter tuetur (*i*). Neque aliter procedi potuiſſe ſcripſerat Binsfeldius (§. X.) (*k*). Licet enim *famam*, communem illam obruſſam, ad quam & confeſſiones & denunciationes exegerant, adjunxerint, tamen ſi a pauciſſimis & primis forte illis diſceſſeris, qui puſillanimitate vel vitæ tædio crimen in ſe confinxerant, fama nonniſi per denominationes iſtas determinari potuit, quin immo fama ex denunciationum apud judices factarum promiſcua evulgatione, quam mox memorabimus, orta fuit, uti Speus duobus locis ultimum excitatis innuit, ut adeo, quum hæ in infinitum creſcerent (§. cit.), infiniti etiam homines ſuppliciis immeritis involverentur. Myſterium hoc iniquitatis proceſſuum magicorum probe teneri velim, unde eorum intimius perſpiciatur indoles, hoc utpote colore & prætextu tam improbo egentium. Qui igitur, ut eo redeam, unde dilapſus ſum, primi quæſtionem dictam excitarunt, quibusdam ſaltim captis patrocinandi animo id egiſſe videntur. Sed meris mox implicabantur contradictionibus. Nam poſtquam ita viliſſimum & inſaniſſimum quemque de aliorum delictis judicem ſe conſtituere debere profeſſi eſſent, ipſo uſu didicerunt, quidquid de his rebus adſtruant, ſe fruſtra & inepte dimicare (§. XIII.). Itaque non amplius paullo poſt quærentes de pœnitentia, cum Delrio (*l*) ſtatuebant etiam impœnitentibus tuto credendum eſſe, eorumque delationem facere ad torturam indicium, quia infamiæ vitium per confeſſionem in tortura purgatum ſit (§.

(*h*) Ad II. 2. d. *Thomæ* quæſt. 67. art. 2. 3.

(*i*) *Caut. crim.* Dub. XLIV. ratione IX. Dub. XLIX. Arg. VIII. Dub. LI. n. 40.

(*k*) Fundamentum harum delationum perſpicies inf. §. 18. init. §. 19. init. Longe vero ſtultiſſimum fuit poſt Valentiam & Binsfeldium Delrii Conſilium Diſq. lib. V. app. 2. q. 41. ut princeps in ſuo territorio quiſque ſtatueret, ad quot denunciationes tortura decernenda eſſet.

(*l*) v. Diſq. M. L. V. q. III. append. 2.

XII.), immo confirmat SPEUS ſolas delationes ab impœnitentibus factas Judices valere voluiſſe (*m*); ubi ſimul miratur TANNERUM inter media, quibus Sagæ exſtirpari poſſint, conſuluiſſe, ut rei de complicibus, non niſi poſt acceptam ſuæ mortis ſententiam & præviam pœnitentiam ac præparationem ad bene moriendum examinentur; ego mirer tempora, quibus omnes hactenus factæ obſervationes neglectæ ſunt, nemoque adfuit, qui FERDINANDO Cæſari aliquid in his molienti (v. L. I. §. CLVIII.) rei naturam detegeret. Nec tamen ſe hiſce ſuperſtitio judicum limitibus concluſit, ſed etiam ſacerdotes inquiſitis adſiſtentes involvit; quum eos ficta ſagarum pœnitentia decipi, has confeſſionis ſacramentum profanare mendacio, in equuleo dumtaxat verum edicere clamarent, ac adeo ſacerdotibus perſuaderent, ut hi ſæpe lictoribus atrociores captisque moleſtiſſimi irregularitatis contrahendæ obliviſcerentur ſacramentique ſigillum ſe temerare, vel parvipenderint, aut neſciverint, quo demum maxima utriuſque fori confuſio inducta fuit (*n*). Et quis igitur in tanta rerum perverſitate, etiamſi pœnitentia profuiſſet, de ejus veritate, de qua alioqui, obſervante GROTIO (*o*), hominibus vix eſt, ut conſtet, vel ſomniare valuiſſet?

XV. Unum ſupererat judicibus effugium, quo ſui inſtituti rationes commendare ſibi videbantur, quodque in phraſi, quam commentamur, ſeptima occurrit, ut dicerent, denunciationes numquam fallere, quia denunciatæ ſemper ſe ipſas pro Sagis in tortura declarent, immo ipſa eadem puncta circumſtantiaſque indigitent, quas denunciantes jam antea adſignaverant. Sed ipſos furore quodam impeditos iterum ſemet, dum pugnantia ſecum frontibus adverſis componunt, fefelliſſe ex ſequentibus SPEI obſervatis & ſanæ rationis principiis facile deducitur. Et quidem quod illud attinet, pleraſque perſonas omnes ſub judicum horum manu ſe magos vulgi ſenſu dixiſſe, nihil id mi-

(*m*) *Caut. crim.* Dub. XLV. per tot.

(*n*) v. *Caut.* Dub. XIX. *init.* & Ratione VII. & VIII. Dub. XXV. in f. Dub. XXX. *init.* & Docum. III. & XV. Dub. XLIV. Rat. IX.

(*o*) De J. B. & P. Lib. II. c. 20. §. XI. n. 2.

rum eſt, quandoquidem data opera ad id agendum exſtimulati fuerunt. Ferebantur judices eo in captos impetu, ut viderentur effectu ipſo in Petri Poireti fanatiſmum prolapſi, quo is contra Malebranchium oſtendere conabatur maximam partem hominum veros eſſe magos per pacta diabolo addictos (*p*). Itaque quos ſemel levibus ex indiciis ceperunt, eos ita urgebant, monebant, ſqualore carcerum, frigore æſtuque vexabant, ut ab iis obtinerent, quicquid vellent. Et quidni obtinerent, quum & ſpe impunitatis & variis æquivocationibus aut amphibologiis reſtrictionibus denique mentalibus circumvenire & decipere ſolemne haberent (*q*)? Quodſi tum nihil proficerent, aderat tortura, quam dicebant in criminibus occultis facilius & citius adhiberi poſſe quam in aliis; quod axioma quidem Speus ita demum admittit, ut poſita probatione criminis fere plena, quæ ita probet, ut *fere*, ſeu *quaſi* moraliter de autore delicti conſtet, atque adeo tam valide ad probationem plenam, quemadmodum luna ad lucem integram ultra ſui dimidium adſpirans, accedat, tunc, quia plenas probationes ad condemnationem ſufficientes in criminibus occultis inveniendi ſpes non ſit, judex promtius ac facilius torturam arceſſere queat, quod in vulgaribus cunctari prius ac moram debeat inſumere ad plenas probationes conquirendas, ne torturæ ſubſidium intempeſtive advocetur (*r*). Ita præclare Speus. Sed noſtri more ſuo eo pacto interpretati ſunt, ut minoribus habitis indiciis, abſque fere plena probatione, liceret in occultis ad torturam provolare. Hac igitur doctrina ſua freti ex quibuscumque indiciis pro arbitrio torturas ingeminarunt. Nec adeo in his moderatio. Præterea enim, quod hæ ſæviſſimæ per quatuor & quinque temporis quadrantes (*s*) fuerint adhibitæ, repetitæ etiam terque quaterque fuerunt purgationibus vel

---

(*p*) In *vita continuata Antoniæ Burignoniæ* cap. XIV. p. 165.

(*q*) v. Floerk. l. c. p. 468. Tartarot. del. Cong. Nott. l. III. cap. 4. §. 4. & cap. 9. §. X. add. *Caut. crim.* Dub. XXX. docum. VI.

(*r*) *Caut. crim.* Dub XXXII. XXXVIII. Exinde idem ſcribit Oldekop. *Cautel. cr.* tit. IV. caut XVI. n. 4. & 6. p. 429.

(*s*) *Caut. crim* Dub XX. rat. VII. Dub. XXIII. prætextu IV.

non attentis (§. VII.) vel variis ſub prætextibus eluſis (*t*). Immo nova phraſi id pro continuatione torturæ venditabatur, quod repetitioni æquivalebat, dum videlicet tempus torturæ in partes ſcinderent, & diebus diverſis torquerent, ubi refrigerato corpore, atque animo per noctem fracto ac imaginatione novæ ſequentis diei pœnæ terrefacto incredibilem inquiſitis dolorem inflixerunt, quod jam monui L. I. §. CXXXVIII. Ut adeo recte ſcripſerit SPEUS, ſtultam eſſe, quæcumque delata ream ſe non fateatur.

XVI. Quod deinde jactatam tantopere confeſſionum cum denunciationibus convenientiam ſpectat, concipi primum haud difficulter poteſt ex morbo illo phantaſiæ epidemico, quem obſervavimus (Lib. I. §. CLXXXXVII.), indies exaltato, quum diu noctuque homines cum talibus luctarentur ideis, cum iisdem ſurgerent, dormitum cum iisdem irent, eademque fere cogitarent, ſæpius eos fortui-

---

(*t*) v. *ib.* Dub. XXIII. XXIV. XXXIX. ubi hæc inter cetera narrat: „ Ducebatur „ nuper ad rogum quædam ter quater imo „ quinquies equuleo laſſata. Negabat ſe ream „ eſſe voce liberrima, quam per quælibet „ tormenta ad flammas uſque perduxerat, „ ubi cum notario quoque eam dictaviſſet, „ rogum intravit; pluries hoc accidit alibi, „ & recenter etiam ſacerdoti magiæ poſtulato, de quo alias informandus erit princeps „. GOBAT *Opp. moral* T. II. tract. V. c. 42. Sect. 2. n. 60. „ Tortura, quæ „ ſtrigibus a latrunculatoribus adhiberi ſolet, tam ſæva & immanis eſt, ut non „ ſolum mors optabilior ſit quam ejuſmodi „ carnificina, ſed etiam videantur non „ ex vano nonnullæ, dum ad ſupplicium „ ducebantur dixiſſe futurum fuiſſe, ut „ etiam affirmaſſent a ſe proprias proles „ devoratas fuiſſe, ſi in ejuſmodi quæſtionibus fuiſſent interrogatæ, ac proinde „ ſuæ innocentiæ nil obeſſe propriam tanta „ tormentorum acerbitate extortam confeſſionem. Unam talem ego novi & meo „ judicio innocentiſſimam, rogo tamen ad„ dictam „. Ne vero ſemper ſibi ſimilem, id eſt, crudelem proceſſuum horum indolem neſcias, jungendum eſt ex præclaro Viri perill. ANDREÆ DE JENCO S. C. M Conſiliarii bellici Conſilio, quod is in cauſſa trium mulierum nuperrime ſcilicet an. 1752. Magiæ in Croatia expoſtulatarum ad petitionem Ill. D. Comitis DE BATTHYAN Banni tum Croatiæ exaraverat, atque penes me MStum exſtat, has etiam feminas per 4. 6. &, quod dictu horrendum, 20. horarum ſpatia in Torturis pependiſſe, ubi ſimul idem Vir perill. ex Protocollo a judicibus ſibi transmiſſo advertit, eas *ob defectum* dumtaxat *virium* aliquando a Tortura remotas fuiſſe, atque ubi unam vires cum vita defeciſſent, de ea in Protocollo adnotatum fuiſſe, *procul dubio a dæmone ſuffocatam animam efflaſſe.* cf. ſup. §. 6. in f.

to idem in & extra judicium prolocutos fuiſſe (*u*); ſed & ſecundo, ſi id in eadem natione (v. iterum L. I. §. CLXXXXVII.) non caſu contigit, adhuc eſt ratio, qua hic concurſus perquam facile explicetur. Alii enim dixerunt, quod in ipſo ſuo pago vel civitate actum eſt, ut Semproniam ante tres menſes maleficio necaſſe vaccam Titii, item ante annos duos infantem Gracchi & ſimilia. Toti oppido atque etiam pueris conſtabat, illo atque illo tempore eam vaccam eſſe mortuam, eum puerum contabuiſſe, denuncians vero & denunciata, quod urgeret dolor, idem dixerunt, quum officiales juſtitiæ denunciationes in vulgus paſſim ſparſerint, ac ita inquiſito jam conſtiterit, in quo puncto fuerit delatus; id quod poſt Tannerum SPEUS adnotavit (*x*). Aliæ ut conſcientiæ ſaltim conſulerent ſuæ, tormentis victæ nominarunt eas, quæ vita jam functæ ac pro Sagis exuſtæ ſunt, edixerunt magiſtras ſuas & diſcipulas & ſocias, quas non habuerunt, ab aliis quoque denunciatas, aut hoc nomine aliquando captas (*y*). Plurimis ſuggeſtum fuit, quid dicerent. Suggeſſerunt autem judices, dum eorum praxis ferebat, ut ſeu circa complices, ſeu circa ſcelera ſuppoſita circa loca & tempora tripudiorum ſeu circa alias circumſtantias quaſcumque, nominatim aut quaſi nominatim in os inderent inquiſitis, quid reſponderent, atque denunciatum, dum torqueretur, ſecundum confeſſionem denunciantis in eadem illa puncta & circumſtantias quaſi manu exſertoque digito ſciſcitando ducerent (*z*). Suggeſſerunt lictores, dum in tortura pendentes verbis exſtimularent, intentarent terribiles minas, exacerbarent etiam tormenta, ac ideo laudibus efferrentur, quod nemo unus ſub ipſis vocem non ruperit (*a*). Suggeſſerunt denique ipſi Sacerdotes (*b*).

(*u*) SPEUS Dub. XLIX. Arg. VIII. „ Ubi multæ torquentur & rogantur, quid proclivius eſt, quam aliquas caſu incidere in eandem perſonam; præſertim ſi paucæ adhuc reſtent in pago perſonæ nondum denunciatæ, ac exuſtæ „ ?

(*x*) TANNER *l. c.* Quæſt. II. num. 40. *Caut. Cr.* Dub. XXVIII. Arg. IV. Dub. XL. Arg. II. Dub. XLIX. Arg. VIII. Dub. LI. num. 41.

(*y*) ib. Dub. XLIX. Arg. X.

(*z*) *ib.* Dub. XX. Rat. XII. Dub. XXVIII. Arg. IV.

(*a*) *ib.* Dub. XX. Rat. XI. & XIII. Dub. XXVIII. reſp. ad arg. IV. n. 2.

(*b*) *ib.* Dub. XIX. per tot. Dub. XXX. Doc. II. adde ſup. §. 14. in f.

XVII. Quod autem recte advertit MALEBRANCHIUS (*c*) nihil exhorrescendum magis esse, nihilque, quod illos ingenii plus efferare queat igniculos, nihil quod æque profunda in intellectu relinquat sui vestigia, ac ideam potentiæ cujusdam invisibilis, nocendi semper cupidæ, cui resisti non possit, ea profecto animadversio quamplurimam nostris ex Judiciis lucem accipit, in quibus hæc eadem idea quæsitorum animos eum in modum lusit, ut nihil iis usquam verum videre, non ubi pedem figere, ubi quid certi adfirmare daretur, nihil ubi præter inanes umbras larvasque aliquid solidi discernere umquam valuerint. En ejus rei demonstrationem, quam indicio phrasium octavæ, nonæ ac undecimæ facimus. Tota processus indoles ita efficta fuerat, ut, quidquid rei semel habiti facerent, dæmonis imperio agere jactarentur; si ergo nullum aliud indicium quæsitoribus adesse videbatur, hoc iis dilemma sufficiebat: Vel persona inquisita malæ & improbæ vitæ fuit, vel bonæ; si malæ, a malitia ad malitiam præsumtio prona est; si bonæ, Magi Magæve tamen etiam maxime probitati studere videri volunt (*d*); quam calumniam latius supra (L. I §. CLV.) exposuimus. Postquam in carcerem itum fuit, en iterum novum dilemma! Vel timere se ostendit vel non; si illud, conscientia accusat, si hoc, ex eodem axiomate proprium Magis est se innocentissimos simulare. Et sic porro in omnem retro vitam inquirebant, in qua sane fieri non potuit, quin occurreret quidpiam seu dictum seu factum, quod abjecta in malum hominum interpretatio in Magiæ culpam facile detorqueret (*e*). Tum si se purgare voluit, purgationes omnes elusæ; quippe, ni Maga esset, ajebant, tam eloquens non esset (*f*). Si se autem antea fuga subduxisset, & quis non maluisset fugam amplecti vel alio transferre sedem, postquam se vel totam suam familiam audiit esse denunciatam? (§. XVI.) (*g*) jam hoc rursus pro indicio culpæ metuentisque ha-

(*c*) *de la recherche de la verité* liv. II. *chap. dern.*

(*d*) *Caut. crim.* Dub. LI. num. 10.

(*e*) v. *ib.* num. 11. 12.

(*f*) *ib.* num. 17.

(*g*) *Nicol. Remigius* Consiliarius intimus ducis Lotharingiæ spatio annorum quindecim scil. ab anno 1580. ad an. 1595. nongentas in Lotharingia personas combussit, quindecim ipsæ violentas sibi prius manus intulerunt, ac integri pagi inquisitionum metu emigrationem pararunt. Vide ipsius Remigii *Dæmonolatriam Sagarum*, ubi de his gloriatur.

bebant Conſcientiæ; Quid ſi non fugit? dæmonem eam detinere, ne abire poſſet, clamarunt (*h*).

XVIII. Poſtquam ad Torturas ventum, incredibile dictu eſt, quantum hæc idea captis nocuerit. Supponebatur dæmonem in tormentis perferendis eas perſonas adjuvare (*i*) & inde tormenta multo acerbiora in adſumto magicæ artis crimine ac in aliis adhibita fuere (*k*), & tamen, ſive ſuſtinuerint ea inquiſiti, ſive non, ſemper Magi eſſe debebant. Sane Titia, inquiebant, ni Saga eſſet, non potuiſſet ſuſtinere duas has aut tres torturas (*l*). Torquebant, ut cederet dæmon; nam ſoli eum poteſtati civili cedere blaterabant, atque adeo ſe dæmone invitiſſimo extorquere denunciationes (*m*), has ergo dæmonem in tormentis edicere (*n*). Ut ne autem eæ perſonæ, quæ horribilibus tormentis licet perpeſſis nihil faſſæ ſunt, liberæ dimitterentur, invenerunt *maleficium taciturnitatis*, quo ajebant talem contra ſenſum tormentorum obduruiſſe, dæmonemque ei fauces obſidere, ne fateri poſſit, proindeque per exorcizationem, aut loci carcerisve mutationem hoc maleficium depelli poſſe & debere cum Auctoribus Mallei Maleficarum ſtatuerunt, ut deinde rurſus a nova tortura inciperent. Quid quod Speus ſcribit etiam carnifici permiſſum fuiſſe hoc maleficium depellere præbita quadam potione (*o*)? Sibique queſtas eſſe reas, ita ſe poſt eam exhauſtam fuiſſe turbatas, ut quaſi inter medium agmen Spirituum obſeptæ aut obſeſſæ viderentur. Ubique autem noſtri hoc maleficium acute cernebant. Si enim miſeri, ut in magno contra dolorem niſu ſolet fieri, compreſſis dentibus, deductis labiis reſorptoque halitu pœnas conſtanter exhauſiſſent, vel ſi quibus muſculi Zygomatici convellerentur, eos præeunte carnifice, non ſentire, ſed diducto rictu irridere ac ludere garriebant. Si alius in tormentis animi deli-

(*h*) v. *ib.* Dub. XXVIII. in f. Dub. XLVIII. Reſp. III. ad Arg. III. Dub. LI. num. 41.

(*i*) *ib.* Dub. XXV. Rat. IV.

(*k*) *ib.* Dub. XX. Rat. VII.

(*l*) *ib.* Dub. XXV. ab init. cf. ſup. §. 15. in f.

(*m*) *ib.* Dub. XLIX. Arg. X.

(*n*) *ib.* Dub. XLIV. Rat. IX. Inde querela Spei judices *teſtimoniis ſatanicis*, immo quæ æquipollere videbantur, *teſtimoniis Energumenorum* inniti Dub. XLIX. Reſp. IV. ad Arg. XI. Dub. LI. n. 9.

(*o*) Ejusdem potionis, quæ inebriet & dementet medio plus ante Speum ſeculo meminit Wierus de *præſt. Dæm.* L. VI. c. 8.

quium passus est, si alii compressis palpebris & collectis omnibus viribus diu cum poenis colluctati essent, tandem doloribus fracti ultimam cum morte luctam subituri, vel si alii, quod medicorum scholæ docent, dolore maximo obriguissent somno aut vita captis simillimi, hos obdormiscere boni si diis placet! judices in vulgus spargebant. Si Gaja in tormentis volvit revolvitque præ dolore oculos, cur? inquiebant, ut concubinum suum, nempe dæmonem, quærat; Si fixit, en, ajebant, eum jam reperit, jam videt, nec deserere vult impoenitens (*p*)!

XIX. Si porro vel in carcere, vel in ipsis tormentis nimiis cruciatibus quis exhaustus animam exhalavit, atque tum, quod in cadaveribus naturaliter contingere adsolet, caput flaccidum, ac a ligamentis suis destitutum in omnem partem fluere conspicerent, exclamarunt homunciones insipidi ei a dæmone elisam cervicem esse, quo quidem argumento si uti velimus, neminem non omnium hominum sic a malo genio elidi conficietur (*q*). Denique ad explicationem nostrarum, de quibus egimus a §. XVII., phrasium adhuc altera, ex positis §. VI. decima multum facit. Nam quum denunciationes in torturis dæmonem facere diceretur (§. XVIII.), eæ tam certæ habebantur, (cf. §. XI.), ut si una aliqua persona veritatem edisserere nollet, id est, simpliciter sese ream pronunciare, tum illa, a qua denunciatio extorta fuit, cum denunciata *confrontaretur*, hoc ita intellige, ut denuncianti, dum ad denunciatam ducitur, lictor, quidquid spirare poenarum potest, ni denunciationem suam clare coram denunciata edissereret, minitaretur, quod idem omnino judex agebat. Ubi convenere, increpabatur denunciata de pertinacia, dicebatur adductam jam esse, quæ eam in faciem manifeste convincat. Hæc licet voce subtimida & a suspirio inchoata reponens metu repetendæ torturæ tenta cum exceptionibus suis non audita, quid aliud nisi se ipsam condemnaret? Et tunc alte inclamabatur: eam tandem palam esse convictam, proindeque non modo repeti in tormenta posse, sed etiam, si hæc eludat, nihilomi-

Oo 2

(*p*) v. *ib* Dub. XXV. XXVI. Dub. LI. num. 26. 27.

(*q*) v. *ib*. Dub. XLI. XLII. LI. n. 28

nus damnari, ut obſtinatam & in faciem convictam (*r*). Ac ita porro, qui vitæ per tot cruciatus agendæ pertæſi ſe quam citiſſime expedire volebant, in dæmonem ridicule mentiebantur; quam in rem admetiar verba autoris cautionis criminalis (*s*): „ *Obiter*, ait ille, *an-*
„ *notare* placet, quam lepide conſequenter mentiri ſoleant, qui ſemel
„ tormentis victi mentiri contra ſe cœpere: nam ubi deinde ab equu-
„ leo dimiſſi ſunt, quidquid voles, affirmabunt, ne non ſibi conſtare
„ videantur. Si roges, cur non citius ſint faſſi, ut doloribus occur-
„ rerent? Dicent neſcire ſe, id ſcire tamen, quod loqui nequiverint.
„ Si roges, an igitur dæmon eis linquam obſtrinxerit, dicent, quod
„ obſtrinxerit, ſi an eum viderint, an adſtiterit, dicent, quod vide-
„ rint, quod adſtiterit, & ſimilia complura, quæ rogare libuerit: nam ſic
„ mundus ſibi ludos quærit. Atque interim capitalium rerum vindi-
„ ces nugas has credunt, & mire ſe confirmant. Ego vero ſimpli-
„ citatem hanc ridere ſoleo „.

XX. Ex dicta denique idea (§. XVII.) concluſerunt præterea cum Remigio & Carpzovio (*t*), quum a diabolo ſe id genus homines amplius liberare nequeant, melius longe ipſiſmet conſuli, ſi morte quacumque perire magis quam diutius vitali aura veſci jubeantur; quod argumentum vero, ut de fonte, unde id profluxit, jam nihil dicam, adeo ineptum eſt, ut hoc prætexto quævis homicidia excuſari valeant, atque omnes pœnarum criminalium fines ignorare oporteat. Nec enim, ait ZIEGLERUS (*u*), argumentari licet: Melius eſt emori inſanabiles, ergo eos licet occidere, poſito ſcilicet, quod tale delictum non committant, quod pœnam mortis mereatur; Quam tamen quæſtionem præjudicialem noſtros parum curaſſe ſuo tempore jam notavit Auctor Cautionis. Nos alia circumſpiciamus. Ut agnoſcatur, quam ſuperſtitio ſemel adoptata omnia pene omnium ſcientiarum adminicula e mente proturbet, juvat adhuc aliquot, quas adſumſerunt criminis imaginarii *probationes*, illuſtrare, unde adpareat, cetera imbecillitatis humanæ teſtimonia, quæ noſtri

---

(*r*) v. *ib.* Dub. XXIV. vers. *ſi nec ſic proficis.*

(*s*) Dub. XXVIII. Reſp. ad Arg. I.

(*t*) v. *Carp.* Pract. Quæſt. XLVIII. num. 40.

(*u*) Ad GROT. L. II. Cap. XX. §. 7. n. 3. 4.

larga nimis manu ferunt, ex reverentia rationis lumini præstanda præteriri omnino debere. Primam igitur probationem in eo posuerunt, quando, quos vocavere testes, in domo cujusdam vetulæ Ollam unguento plenam reperierunt. Quum heic plura concurrant, distinctius singula erunt examinanda. Unguentum hoc nulli alii rei, nisi medicamen quoddam esset, servire potuit, quam ut viribus phantasiæ aut robur aut locum & tempus sese eo magis exserendi tribueret, itaque & phantasiæ & unguenti operationes persequamur.

XXI. Phantasiæ, quam MURATORIUS (*x*) potentiam materialem ac passivam vocat, adfectiones ut præter sparsim in hoc opere suisque locis dicta paucis, quantum huc attinet, in memoriam revocem, sequentes notentur Canones. I. Phantasia humana est receptaculum *idearum sensualium*, quas mens percipere aliquando potuit, omnium, est item penu *idearum*, quas mens vel abstractione vel meditatione sibi aliquando formare potuit, *intellectualium* omnium. Suas igitur ibi omnes condit anima ideas in futurum usum, & quando ei libuerit, depromendas. II. Phantasia, supra quam dici possit, extenditur, id est, apta reddi potest ad quamplurimas ideas quandocumque & simul reproducendas atque conservandas, quam diutissime. Stupendum est exemplum JOH. WALLISII summi mathematici angli, qui fatetur, sine ductu calami se ex numeris his 2468 3579 1012 1411 1315 1618 2017 1921 2224 2628 3023 2527 2931 radicem quadratam viginti septem characteribus constantem, noctu, dum imaginatio nusquam interturbatur, extraxisse, majoremque se semper calculum in tenebris duxisse, quam de die aliis succedat (*y*). Radix quadrata hæc est: 157103016871482805817152171. Quis non stupeat phantasiam omnes huc pertinentes ideas tam sollicite coacervasse, tam vivide produxisse, tam diu simul junctas continuisse, donec mens propositum suum consequeretur? III. Lex phantasiæ hæc est, ut perceptio præterita integra cum omni syrmate idearum

(*x*) In libro: *della forza della fantasia Umana.*

(*y*) Opp. mathem. Vol. II. Algebræ c. 103. §. 449.

adnexarum redeat, cujus præſens perceptio tantummodo partem continet (z). Ideo cuicumque vel minimæ umbræ rei alicujus jam viſæ aut quandocumque per alios ſenſus perceptæ, vel per ipſam phantaſiam v. g in Somniis aliquando effictæ, ideas illius eo momento, quo in mentem ejusmodi viſum illabitur, per hanc legem perſæpe adnectit, atque tum ea dumtaxat viſa pro rerum vere exiſtentium imaginibus habere ſolet animus, quæ affectibus, aut fortibus aliis ideis, quales ſunt auctoritatis, paſſionis corporeæ &c. comitatæ altius in animum penetrant. Exemplum inſigne eſt apud Procopium (*a*), de THEODORICO VERONENSI, qui Symmachum ejuſque generum Boethium interfici juſſerat, hæc commemorantem: „ Non multis diebus „ poſt (ſcilicet poſtquam vitam cum bonis utrique ademiſſet) cœ„ nanti regi appoſitus a miniſtris eſt PISCIS MAGNI CAPUT; *id* Teu„ dericho caput *viſum* occiſi *nuper* eſſe *Symmachi*, dentibusque in la„ brum inferius impreſſis, ſævumque & horrendum intuens minas „ ipſi intentare. Portentoſo viſu exterritus ingentique percuſſus fri„ gore curſu cubiculum petiit, juſſisque inſterni ſibi multis veſtibus „ quievit. Poſt id Elpidio medico re omni nunciata in Symmachum „ ac Boëthium, quod peccaverat, deflevit, pœnitentiæque ac doloris „ magnitudine non multo poſt obiit „. Erat profecto Theodoricus conſcientiæ furiis diu noctuque ex virorum innocentiſſimorum morte agitatus, quumque ejusmodi idea multis aliis tædii, triſtitiæ, horroris eo adminiculantibus comitata perpetuo menti inſideret, præcipue tamen tum rediit, cum magni illius piſcis marini caput ſimile forte aliquantulum quid cum capite humano habens occurreret, phantaſiaque irrequieta hoc unico illicio totam rei ſcenam ſimul objiceret. En legem imaginationis! En terribilem ſæpe, ſæpe ſalutarem ejus effectum!

XXII. IV. In his autem ratio quærenda, cur, quod experientia conſtat, tam miris ab hac individua ac pertinaci comite ſua

---

(z) V. LOCKE *de l'intendement humain* L. II. c. 33. WOLF. *pſychologia empyrica.*

(*a*) *Hiſt. Gothic.* L. I. p. 142. edit Grotianæ.

modis animus perſæpe ludificetur. Obſerves hoc non raro inter homines tam in vigilia quam in ſomno. Quid eſt illud, quod ſæpius ſeſe inculpantes audias: ich habe mich betrogen, ich habe gemeynet, es ſey dieß; immo mirantes exclamare: habe ich mich denn betrogen? ich habe es gehört: niſi luſus phantaſiæ, qui menti non ſatis attentæ impoſuit? Cur Phyſici adcurati rerum naturalium experimenta ſæpius repetunt, niſi quia probe norunt præter ſenſuum fallacias etiam per phantaſiæ canalem infinitum errorum numerum ad rerum phyſicarum doctrinam penetraſſe? Quid ſomnia vigilantium, quæ ſibi aliquando mens deluſa uſque adeo perſuadet, ut ea pro veritate habeat? Huc referas morbos phantaſiæ ex L. I. §. CLXXXXVII. & exemplum inter alia de TORQUATO TASSO (L. I. §. CCXIII.) memoratum, in quo illud nunc notari velim, quod TASSUS adeo in ſua imaginatione perſtiterit, ut eam magno etiam conatu defenderet, quod ejus biographus memoriæ reliquit. Ajebat enim res, quas audit & videt, jocos phantaſiæ eſſe non poſſe, quum tales ſint, ut propriam ſuam ſcientiam egrediantur, imaginatio vero verſatione earum dumtaxat idearum, quæ jam in mentem illapſæ ſint, abſolvatur. Se porro ex multis & longis congreſſibus cum eo ſpiritu habitis talia intellexiſſe, quæ nec umquam audiverit, nec legerit, nec ſciverit alium quemdam aliquando ſciviſſe. Unde quidem concludebat, has ſuas viſiones fallacias non eſſe, ſed veras & reales adparitiones cujusdam ſpiritus, qui ex quacumque demum cauſſa ſe ei ipſa luce conſpiciendum præbeat. Ita TASSUS vigilans. Adde vivaciſſimas phantaſiæ imagines in hominibus cæcis & Noctambulis.

XXIII. Poſſibile igitur eſt, ut animus tam in vigilia quam in ſomno durante imaginationis, potentiæ hujus periculoſæ, dominatione, res, corpora, actiones revera exiſtere ſibique præſentia eſſe putet, quæ nonniſi phantaſia ſibi fingit, quia ſcilicet mens, cui alia media de exiſtentia rerum extra ſuum carcerem reali ſe certam reddendi præter ſenſus deſunt, impreſſiones & imagines rerum per ordinariam ſenſuum viam ſibi adveniſſe ſæpe ſupponit, quæ tamen nonniſi viis indirectis advectæ ſunt. Ergo novo mentis actu opus erit, ubi hæc meditatione aliqua imaginationem a viſis certis, ſomnium a veritate diſcernere volet. Videamus, quid in hominibus Magorum Maga-

rumve nomine notatis hunc novum mentis actum impediat. Omnia his noctu præsentantur phantasmata, ubi mens ab externis sensuum actionibus libera solis iis phantasiæ idolis vacare potest. Adjuvant vero etiam hunc somnum narcoticis soporiferisque medicaminibus, seu unguentis, quæ, ut fere omnia, antiquissima traditione noverunt. Paganis enim hæc unguenta in usu, & ab iis forte per ista phantasiam quamdam pariter ac memoriam artificialem quæsitam fuisse, vel demum eos a diis suis in somno auxilia exspectasse ad desideria sua implenda ex eo colligitur, quod Lucianus in dialogo de *Asino*, & Apulejus similis unguenti meminerint; & Apuleji quidem verba unguentum cum lavacro designantia habes supra (L. I. §. LXXXII.) in eum finem a Pamphile adhibita, ut amoribus sui cupiti frui posset (ib. § LXII.). Qui recentiori tempore hæc unguenta primus descripsit Jo. Bapt. Porta (*b*), ait sagas puerorum pinguedinem, aheneo vase decoctam cum aliis herbis miscere, qualis impietas itidem ex antiquis Goetarum principiis superest, prout ex dictis (L. I. §. XXXII. XXXV.) in aprico constituitur. Si forte horum unguentorum effectum ulteriorem quæras, obturando poros, viresque herbarum ingredientium sanguini & nervis communicando spiritus omnes ad caput cogunt, & ita *phantasiam* excitant, quæ ideis auditorum lectorumque mirabilium imprægnata, adfectibus vehementioribus agitata, atque per similes iis, quos alias sensuum instrumenta suppeditant, motus ab his medicamentis in encephalo productos exstimulata, per legem suam (§. XXI. N. III.) omnia susque deque miscet (*c*). Patet vero abscisse ad hos phantasiæ effectus hoc unguento nequaquam opus esse, quare & aliquas feminas unctione usas non esse observa-

tum

(*b*) In *Magiæ naturalis* Libro II. cap. 26. p. 85. primæ editionis, Antverpiæ 1560. 8. quam descriptionem in sequentibus editionibus iniquitate temporum motus omittere consultum duxit. Ejus verba refert Tartarottus *del Congr.* L. II. c. 11. §. 8. Plures de unguento auctores citat ibi §. 4. 8. 9. & cap. 15. §. 4. adde Valvasor Ehre des Herz. Crain. L. III. c. 12. T. I. p. 359. & L. XI. p. T. III. p. 103.

(*c*) Illustrat hæc exemplum affectionis hypochondriacæ quam in Principe quodam juvene 14. annorum curatam refert D. Hertod in *Tartaro-mastige Moraviæ* ed. Vien. 1669. p. 194 cujus spiritus vitales ita perturbati erant, *ut se equitare*, *canibus venari*, *ac more Sagarum per aëra volitare exclamaret.*

tum fuit, alias contra non perſonam, ſeu ſe ipſas, ſed inſtrumentum cui inequitabant, perunxiſſe, æque ac alias interdiu ad conventum volaſſe legitur (*d*).

XXIV. Quod autem dixi apud id genus hominum neceſſarios mentis actus novamque illam animi intenſionem deficere vel impediri, ejus cauſſa item eſt interna varia ac multiplex. Primum egeſtate rerum premuntur, quo fit, ut peſſime educati præjudicia, ſuperſtitiones, ceteraſque a primis, quæ profundiſſime ſemper hærent, impreſſionibus pendentes ideas tollere, vel corrigere non aſſueſcant, aut non curent, tum tædio fortunæ ſuæ perpetuo adflicti, victu ſimul duro, craſſo, minus ſpirituoſo fruentes ſaburra melancholica atræque fuligine bilis opplentur, quæ ideas affatim turbat atque commiſcet. Alii porro cœno voluptatum immerſi libidinis, vindictæ aliisque agitati adfectibus ea per animi vel corporis quietem ſibi vivide repræſentant, quorum poſſidendorum deſiderio tenentur. Nec putandum eſt eos tunc cum dæmone congreſſus ſibi fingere, quod eum adorare, vel grandem quamdam de eo opinionem concipere tentent, ſed contra potius finis horum phantaſmatum & ſcopus eſt adfectuum deferveſcentia & reſtinctio; prout liquet ex antiquis cum Diana, Herodiade, Halda, dæmonumve turba circumcurſitationibus, Pamphileſque amoribus (L. I. §. LXII.) item ex eo, quod præciſe ea dicant, & ſomnient, quæ narrata aut viſa ipſis inhæſerunt menti, quemadmodum feminæ Ultrajecti an. 1459. combuſtæ dixerunt ſibi dæmonem in forma humana quidem ſed ita comparuiſſe, ut facies ejus detegi nequiverit, & alia, quod Martinellus ſuus, hoc nomen diaboli eſſe volebat, manus, pedes, cornua & caudam in morem hirci gerere videatur, licet revera inſideat equo caudamque ſerpentis habeat (*e*); denique ex eo, quod deo ſuo vilem plerumque hirci aut alterius ſalacis animalis formam tribuant, eaque, quæ dicunt, ſpiritualem creaturam plane dedeceant, qualia ſunt, quæ Italæ de præpoſtera libidine memorarunt (*f*), ſicut quoque de cetero omnes horum hominum

Pp

(*d*) v. TARTAR. l. c. l. I. c. 9. §. XIII.

(*e*) TART. l. c. l. II. c. 10. §. IV.

(*f*) *ib.* l. II. c. 1. §. XVIII. & c. VIII §. IV.

confeſſiones ita comparatæ ſunt, ut non ſani eſſe hominis non ſanus juret Oreſtes. Unde & fidem non vere abnegare obſervatum ſupra (L. I. §. CXLIII.)

XXV. Deinde his ideis quotidie magis immerguntur aliæ, dum unguenta deſcripta (§. XXIII.) adhibent, dum, ut Jo. Franc. Picus pridem ipſe animadvertit, *ſcopas inter femora tanta vi comprimunt, ut avelli dormientibus nequeant, quibus ſcopis ſeferri putant* (g); dum, ex adnotatione Nicolai Remigii, *viſæ inter dormiendum commoveri vehementius quaſi qui ingenti aliquo dolore confliĉtantur, vel etiam in ſedili aut alia quapiam re equitare, uti qui viam admotis calcaribus accelerant*, poſtero die *miranda quæ ſibi feciſſe videbantur, narrabant, immo & illis iraſcebantur, qui fidem iis non adhiberent* (h). Itaque phantaſia dilatata (§. XXI. N. II.), motus organorum appetitibus mentis reſpondentes delectatio ex volutatione phantaſmatum gratorum hauſta, obſtinatio Taſſianæ (§. XXII.) ſimilis, poſtremo producunt voluntatis viſis animo obverſantibus attendendi defectum, qualis in ſomno eſſe ſolet, in quo phantasmatibus noſtris ludimur, quare & iſtorum hominum vita aliis purus ſomnus continuusve lethargus viſa eſt, quod nihil in iis ratio, omnia ſenſus, omnia imaginandi vis operetur. Et quum interim tota œconomia corporis turbetur, ſpiritus ex fixa unius ejusdemque objecti & tetra conſideratione exhauriantur, ſanguis ſpiſſetur, melancholicis humoribus obruatur, ratio etiam manifeſta fit, cur, quod dæmonographi notant, ſtriges difficillime pœniteant. Non enim hæc eſt ſola, quod illi putant, mentis pervicacia, vel perſuaſio, aut violenta dæmonis captivitas, ſed, quod humores & temperamentum mutare, præcipue brevi temporis ſpatio, res non ſit adeo facilis, ut itaque iis difficile ſit pœnitere, id eſt, reſanari; qualis tamen ſanationis plura habemus exempla (v. L. I. §. CLXVII.). Quæ ſi quis ſingula penſiculate meditetur, facile videbit omnes horum hominum ideas ita permiſceri, ut tandem ipſi ſuas actiones a ſe invicem diſcernere nequeant, nec *Reminiſcentia*, ſeu ea facultate animi polleant,

---

(g) De Ludificatione dæmonum lib. II. (h) Dæmonolatreiæ lib. I. cap. 14.

quæ ideas reproductas dignoſcat, an, quando, quomodo in mentem intraverint. Hi ſunt magi, hæ magæ, olim pro contubernalibus dæmonis habitæ, quibus hic ſuas vires ſuppoſitas communicet, ut tamen diffitendum non ſit, eorum numerum judices ſua illa procedendi methodo incredibiliter auxiſſe, quos pridem meliora docere in animo habuerat citatus ſupra (L. I. §. CXXXV.) *Claudius Cæleſtinus* ſequentem in modum omnes adhortatus: „ Quod„ ſi, at, ſortilegi aut malefici vel vetulæ miſeræ per violentiam „ tormentorum mira ſe feciſſe fateantur, non credas eis quia vere „ non fecerunt, *etſi ſe feciſſe putent vel aſſerant* „.

XXVI. Tranſimus ad alteram, quam in judiciis noſtris ſollemnem eſſe deprehendimus, probationem; quæ nos, utpote plebea productio non moraretur, niſi vel ex hac ſola adpareret, quam procul commenta ingenii humani pertingere poſſint. Hæc ſcilicet eſt illa per aquam frigidam divinatio, qua olim omnia detegi crimina credebantur, ab Eccleſia & ratione prohibita. Produximus alibi ea occaſione (lib. I. §. CXXVIII.) ratiunculas Hincmari, quibus is ab hoc elemento ad ſacramentum baptiſmatis deſtinato petitis vulgi conceptum ſalvare conatus fuerat. Poſt duo integra & quod excurrit ſecula, quam furor in artem magicam inquirendi ingrueret, eadem divinatio ad hanc adplicari cœpta. Factum id eſt primo in Weſtphalia, de qua WIERUS teſtatur *quod apud magiſtratum & carnifices in plerisque ditionibus pro certo experimento obſervetur, manibus pedibusque colligatis vel pollice manus dextræ magno digito ſiniſtri pedis, & viciſſim pollice ſiniſtræ digito magno dextri pedis transverſe vinculo aſtrictis lamias maleficii reas aquæ injectas numquam ſubmergi at ſupernatare* (*i*). Mox poſt ſextam Wieriani operis editionem, (v. L. I. §. LVIII.) GUILIELMUS ADOLPHUS SCRIBONIUS, vero nomine Schreiber, Medicus Marburgenſis, itidem in Weſtphaliæ urbe Lemgovia epiſtolam ediderat *de examine & purgatione Sagarum per aquam frigidam ap. Conradum Grothenium*, ad HENR. FLOREKEN, & THEODOR. COTHMANNUM

Pp 2

(*i*) De *præſt. dæm.* lib. VI. cap. IX. *Opp.* p. 482.

Consules Scholarchas & Consiliarios Reip. Lemgovianæ 4. Octob. 1583. directam (*k*), ubi ut iis hominibus blandiretur, usitatam Lemgoviæ hanc Sagarum explorationem omni ope defendere nititur. Disserit is sub initium sequentem in modum: „ Rei visæ novitatem summopere admiratus *utpote quæ in aliis Germaniæ partibus vix audita esset*, de examinis ejusmodi caussis & rationibus novisse aliquid cupiens, nihil certi rescire potui, sed dici tantum intellexi, ex observatione quidem nonnullorum populorum (intellige extra Westphaliam) *hanc præterita ætate consuetudinem introductam esse*, ut si quæ sint Sagæ aut Veneficæ vel saltem artis & societatis illarum ob antegredientem quamdam revelationem (intellige denunciationes) suspectæ, eæ prædicto modo examinentur, & quæ aquis supernatent, nocentes putentur, quæ vero submergantur, liberæ & insontes scelerisque puræ credantur; *nec tamen ullam hujus judicii sufficientem caussam dari posse* „.

XXVII. Liquidum hinc constituitur probationem istam demum sub finem Seculi XVI. in Germania plausibilem reddi cœpisse, unde in adjacentes regiones Prussiam, Poloniam, Ungariam, ceteras penetravit, in Gallia mox recepta, & in Angliam initio Seculi XVII. a Jacobo Rege (v. L. I. §. CLIV.) inducta. Indicabimus breviter, quibus ea argutiis defensa & persuasa fuerit. *Scribonius* hanc adfert caussam, quod quum levia sursum, gravia deorsum ferantur, veneficæ prioris suæ formæ statum eo ipso tempore protinus amiserint, quo necessitudinem cum Satana & familiaritatem inierunt, ac ideo diabolus in Sagarum corporibus residens sua essentia spirituali atque volatili, sive aerea levissima longissime etiam leviora illa reddat, vel potius ita attrahat spiritu suo ipsis essentialiter infuso ac inhærente, ut per ejus levitatem sustentatæ nolentes volentes sub aquas ferri non possint. Definit igitur *Sagas esse homines essentiam diaboli, a quo obsidentur, participantes*. Hæc Scribonius in epistola citata (§. præc.), quas tamen nugas esse canoras facile viderunt alii,

---

(*k*) Hanc epistolam nescio quo fine recusam exhibuerunt *les Nouvelles de la république des lettres* An. 1686. mens. Aug. art. II. quo eodem anno eadem cum Rickii & Herm. Neuwaldi tractatibus de quibus mox dicemus, Francofurti junctim prodierat in 4to.

inter quos RODOLPHUS GOCLENIUS Marpurgensis Mathematum ac Logicæ Professor in Oratione in solemni XXIX. Magistrorum promomotione habita 1583. 19. Novemb. in propositionem illam invectus est, nihil tamen melius attulit; negat enim fictitiam illam mutationem satanicam gravitatis Sagarum in levitatem spiritualem: manere ait gravitatem, sed hujus dumtaxat effectum, deorsum scilicet lationem a dæmone impediri propter aeream & levem diaboli adspirationem, qua corpus sagæ adflet, suffulciat, libret & coerceat. Scribonio se porro opposuerunt JOANNES EWICHIUS Medicus Bremensis, & HERMANNUS NEUWALDUS, (*l*) ac Anonymus *ignoti Patroni veritatis* titulo, quibus ille respondit libro inscripto: *De sagarum natura & potestate, deque his recte cognoscendis & puniendis physiologia.* Marpurgi 1588. 8. & præter caussam memoratam supernatationis Sagarum adhuc odium aquæ Sagarumve ob baptismi temerationem antipathiam adlegavit: quod scriptum denuo OTTO MELANDER (*m*), MARTINUS DELRIUS (*n*), alii confutarunt. Alius demum JCtus Catholicus, JACOBUS RICKIUS, cujus argutationes Delrius tacito nomine late convellit, (*o*) rem confecisse sibi visus est, quum 1586. ederet defensionem probationis aquæ frigidæ, ubi nullum factum, nullum ministerium, neque ullam esse in ea purgatione dæmonis, sed solius Dei omnipotentis per suos ministeriales angelos bonos id exsequentis operam contendit. JACOBUS Rex Angliæ in sua *dæmonologia* Lib. III. c. 6. opinamenta Scribonii resuscitavit. HERMANNUS vero CONRINGIUS in Disp. *de Judiciis* defendere probationem aquæ iterum rationibus a generali Dei circa judicia & veritatem providentia petitis molitus est (*p*).

(*l*) v. Bericht von Erforschung Prob und Erkentnis der Zauberinnen durchs kalte Wasser 2c. Allen Obrigkeit und Regenten nutzlich und nöthig zu wissen durch Hermannum Neuwalt der Arzney Doctorn und Professorn in der Julius Universität. Jezund aber aus dem Lateinischen in die deutsche Sprache übersetz durch M. Heinricum Meybaum in der Julius Universität Poeseos und Historiarum professorem. Helmstadt 1584. 4. Habetur ibi Scribonii epistola germanice.

(*m*) v. *Resolutio præcipuarum quæstionum criminalis adversus Sagas processus* &c. *Autore Ottone Melandro Hasso J. U. D.* Lichæ. 1597. 8. Cui adjecta est Goclenii oratio.

(*n*) Disq. Mag. Lib. IV. c. 4. quæst. V. cf. GODELMAN de *Mag.* L. III. c. 5. num. 31 - 34.

(*o*) *ibid.* Sect. II.

(*p*) MORHOF. *Polyh.* T. II. lib. III. §. 16.

XXVIII. Ita feculis proxime elapſis varia fortuna de Sagarum exploratione digladiatum, populusque in incerto relictus eſt, ut in variis locis ſuo illo antiquo tramite pergere continuaret, neque noſtra, quod dolenter refero, memoria ejus rei exempla deficiant, neque nugæ illæ veteres de levitate & ponderatione (*q*) Sagarum penitus deſertæ ſint. Et qui pacta cum dæmone admittunt, haud viam inveniunt, qua ſe ex his rationis humanæ ludibriis extricent, teſte Delrio, qui quum omnes has probationes vulgares, earumque defenſiones, uti & pactum implicitum cum Deo, quod Rickius urſerat, rejeciſſet, potiusque eſſe explicitam Dei tentationem docuiſſet, concludit, *quum nec naturali vi* (ſupernatatio & ponderatio illa) *contingat*, *nec miraculoſa Dei operatione*, *reſtare fieri ex vi pacti cum dæmone*, *quod quidem* primus judex explicitum inierit, *ut dæmon ad tale ſignum proderet occultum & latens crimen*, *poſtea vero alii judices hoc edocti*, *vi illius primi pacti idem obtinuerint*, *atque ſic*, *etiam ignari*, *ex pacto implicito operentur*. Et quis non videat ex ſupra doctis eodem recidere CL. TARTAROTTI doctrinam (*r*) quo probationem hanc hodienum defendere, ſuum ipſius ſyſtema deſtruere, & contra propria commoda laborare connititur? Et quis poſſet credere homines catholicos contra Eccleſiæ ſuæ mentem perpetuo aliud docentem valuiſſe in quocumque crimine, ſive vero, ſive ficto, eam facere exceptionem, ut in eo hanc probationem defenderent, niſi opinio artis magicæ ad longe abſurdiora, quod jam ſupra oſtenſum eſt, deduxiſſet? Recte vero Eccleſia eam pro *populari* habet *judicio*, quod ea nonniſi plebis judicio inducta fuit,

(*q*) De probatione per Lancem & Stateram egit Delrius l. c. l. IV. c. 4. q. 6. Ridiculum eſt quod Mauritius ſe in præfatione Belgicæ verſionis cautioni criminali præfixa legiſſe refert *de denunc. Sag.* c. 3. §. 17. *Opp.* p. 934. eam certo indicio ſagam habendam eſſe cui aliquot libræ ad centum librarum pondus deeſſent. add. Bœhmer. J. Eccl. Tom. V. t. de prob. vulg. §. 8. & 9.

(*r*) Apologia del Congr. Nott. Oſſerv. LXXVI. p. 114. 115. Et quis non indignetur aliorum illationem, de quibus MATTH. BODO in *Jurisp. Criminal. Hungar.* P. II. licet ex hypotheſi art 70. §. 2. ſcribit hoc *quidem probæ genus quamvis illegitimum*, *nihilominus tamen ſiquidem plebs pro indubitato indicio & proba hoc exiſtimat*, *moderate & caute ad incutiendum terrorem Maleficarum*, *neceſſitate ita expoſcente*, *in quantum citra ſcandalum fieri poteſt*, *ut vel eo ab illatione damnorum deterreantur*, *quandoque ſecundum nonnullorum opinionem adhiberi poteſt.*

quæ & aliquando longe aliter cenſuerat ſupernatationem eſſe innocentiæ indicium. Sic JULIANI Apoſtatæ ævo, prout is in *epiſtola ad Antiochum Miſopogona* cum CLAUDIANO inſinuat, germanicæ gentes liberos Rheno injectos explorarunt, an ſi ſupernatarent, legitimi, ſi ſubſiderent, ſpurii eſſent. PANORMITANUS vero & alii DD. veteres, quos Delrius citat, ſuorum quisque conterraneorum mentem conſignaſſe cenſendi ſunt, quum ſcripſerunt in aquæ frigidæ purgatione ſupernatationem eſſe documentum innocentiæ. Igitur illi detulerunt rationi plurimum, qui eam conſuetudinem e memoria proſcripſere, quo titulo Belgæ primi gloriantur (v. L. I. §. CLXVIII.) Adſeclas niſi ſero admodum non invenio. Licet in Galliis Bodinus (*s*) eum morem impugnaverit, ac poſtea LUDOVICUS SERVIEN Advocatus regius egregia oratione, quam Mauritius adpellat (*t*), in cauſſa *Joannis Breton*, & *Joannæ Simoniæ* veneficii condemnatorum & provocantium Conſiliariis Parlamenti Pariſienſis Anno 1601. perſuadere conatus eſſet, ut per totum regnum eumdem abolerent, atque adeo ſenatusconſultum An. eod. 1. Dec. in criminali Auditorio fieret, quo vetitum Intervellano apud Campanos Juridico, ac univerſis intra Curiæ Pariſienſis metas judicibus, ne ullum deinceps aquæ ſeu frigidæ ſeu calidæ examen faciant (*u*), tamen P. LE BRUN (*x*) eum toto ſeculo XVII. viguiſſe ſcribit, producitque eam in rem ex Campania inferiori exemplum de Anno 1701. 17. Martii. Id ipſum idem P. LE BRUN de Weſtphalia teſtatur. De terris megapolitanis notari meretur Ducem ADOLPHUM FRIDERICUM 1649. 23. Auguſti gravibus ſub pœnis aquæ frigidæ probationem inhibuiſſe (*y*). LYNKERUS (*z*) adfert mandatum ſine clauſula cameræ Imperialis in c. A. T. und Cons. Kl. contra Herrn H. A. Grafen und E. H. zu der L., quo eadem rejicitur. LE BRUN autem Moguntiæ in ipſo exitu Seculi

---

(*s*) Dæmonom. lib. IV. c. 4.

(*t*) de denunc. ſag. c. 2. §. ult. & c. 3. §. 17. *Opp* p. 920 933.

(*u*) Teſtatur hoc ANT. MORNAC. ad l. *non erit.* 5. §. 1. ff. de jurejur. pag. 339.

(*x*). *Hiſtoire des erreurs populaires* tom. 2. Lib. 6. c. 3. §. 3.

(*y*) v. WESTPHAL. *de conſuetud. ex ſacco & libro* in appendice documentorum ineditor. n. IX. p. 155.

(*z*) *De gravamine extrajudic.* edit. 1672. c. 6. §. 23. n. 5.

XVII. adhuc receptam fuiſſe refert. In Anglia generali ordinum conventu æſtate Anni 1712. Brentfordii ad Thameſim abrogata eſt (*a*).

XXIX. Verum cauſſas etiam rei phyſicas adſignemus. Quod ut præſtemus, haud melius nos facturos confidimus, quam ſi verba huc attinentia ex ipſo illo conſilio exſcribamus, quod celeberrimi in Academia Lugdunenſi Batava, JOAN. HEURNIUS, GERHARDUS BONTIUS, PETRUS PAWIUS, Medicinæ, ANTONIUS TRUTIUS & PETRUS MOLINÆUS Philoſophiæ profeſſores ad Curiæ ſupremæ requiſitionem An. 1594. exararunt. Reperio illud inter aliqua opuſcula medica ſummi Medici JOAN. HEURNII ab ejusdem filio OTTONE edita (*b*).

RESPONSUM AD PRÆSIDEM SUPREMÆ CURIÆ HOLLANDIÆ ZELANDIÆ ET WESTFRISIÆ ET ACADEMIÆ LEIDENSIS CURATOREM JOAN. BANCHEMIUM ET CONSILIARIOS CURIÆ.

Quærunt nobiliſſimi ampliſſimique Domini, num Lamiis, Sagis, ſortilegis vel veneficis a prava illarum arte aut nefanda exercitatione hoc peculiariter inſit, ut ſi decuſſatim junctis ſtrictisque ſimul pedibus cum manibus vi vinculorum flumini immittantur, mergi nequeant, ſed aquæ innatantes peculiari quadam vi ab ea reſpuantur, nec admittantur, vel num aliqua alia naturalis huic rei cauſſa ſubſit. Reſpondemus — — Pacti *cum dæmone indicium aquæ deberi nuſquam legimus. — Si aqua illas indignas habet, ut ſubmergantur, cur terra illas patitur? Cur aer benigne ſuam auram vitalem illis aſpirat? Cur cibus Tantalas illas non fugit? Hæc æque naturæ noſtræ ſunt dicata ac aqua. — — — Quidam intempeſta nocte dormien-*

(*a*) HUTCHINSON Hiſt. Verſ. von den Her. pag. 184.

(*b*) Oratio de *medicinæ origine*, *Liber de morbis ventriculi* &c. ex officina Plantiniana Raphelengii 1608. 4. v. ibi pag. 40 — 43 Eſt hoc conſilium præterea in SCOTO, quod L. I. 168. monui.

mientes lecto exsiliunt, quæque impossibilia ac inaccessa sunt vigilantibus, perficiunt sine offensa cum omnium spectantium trepidatione & admiratione, & tamen lucida in natura hujus rei caussa est. Quin quidam teste Aretæo maximo Medico per morbos futura prævident & prædicunt, & quidam sine dæmone in morbis variis loquuntur linguis. Ita conspicua ratio de his natatricibus adferri poterit: quod nimirum mulieres quædam ventricosæ sint, protensoque utero, ac pulmones laxissimos habent, ubera maxime fungosa, intestina ampla, quæ interdum copiose flatibus implentur, maxime in melancholicis, quales hæ feminæ, quæ in suspicionem magiæ ob imaginationes melancholicas trahuntur, totoque corpore utriculum ac vasculum referunt fere. Quare flatibus quædam repletæ natare possunt; ut videmus in ovis evenire, quæ, si aquæ dulci immittantur, sidunt; sed si eadem ova putrescant, vel fœtum contineant, natant; nam ventus quidam in his conceptus tunc est. Accedit, quod quædam mulieres & etiam viri coxendicis ossa ampla habent, & scapulas prominentes, ita ut scapham exprimant. Præterea hæ mulieres vel viri metu submersionis continent spiritum, ac fauces claudunt, ne aquam hauriant. Unde si pulmo his fuerit laxior & grandior, copiosum concipiunt aerem. Hoc enim viscus, pulmo dico, librat ac fulcit corpus aquæ innatans (c). Et hæc ratio est, cur cadavera submersa post paucos dies emergant. Argumento sunt cadavera, quibus exsecti sunt pulmones, hæc fluentis immissa numquam emergunt, quod piratæ optime norunt. Ideo quidam natandi artem discere nequeunt ob pulmonum parvitatem ac cavitatum angustiam, quæ sunt in corpore. Quare, si quæ amplissimos pulmones habuerit ac multis meatibus pervios, ita ut amplissimum aerem haurire possit, & si eo modo ligetur, ut diximus, ab aqua fulciri ac librari poterit. Immo novimus, qui cum spirationem arcte com-

(c) Mire hæc omnia confirmantur ex iis, quæ hoc ipso, quo scribimus, anno in novis publicis nunciantur de Sacerdote quinquagenario græce latineque docto *Paulo Maccia*, qui fungosa præcipue adjutus ventris laxitate aquis innatare, omnesque inibi, quales in terra, actiones perpetrare ad contuentium stuporem sæpius jam tentaverit. Adde quæ VALVASOR habet Ehre des Herz. Crain T. III. lib. XI. p. 88. Ich habe gefunden, das Obenschwimmen sey ganz natürlich blos mit herzhaften Muth und Enthaltung aller Furcht. — Ich bin etlichemal in der Töplitz also auf dem Wasser die ganze Nacht durch auf dem Rücken gelegen, dazu sanfter und besser als auf einem Bette. Ich habe nachmals andre hierin also unterrichtet, die es so gut als ich, wiewohl nicht sobald sondern allererst nach langer Ubung endlich gethan.

primeret, non ſolum ſpirabiles partes tendebat, ſed totum etiam hypochondrion huic flatibus turgeſcebat, ita ut pro hydropico ab omnibus haberetur, flatibusque ita tractis anhelitus compreſſione ludebat homines. Virgis exceptus cum non liceret animam comprimere, evanuit illico moles ventris. — Grave ergo, ubi nihil harum cauſſarum conſtiterit, judicium exercere, maxime cum nec lex divina nec humana ab aqua indicium peti imperet (*d*).

XXX. Idem conſtans naturæ operandi modus efficit, ut credamus eventu magis quam ratione duce hanc aquæ divinationem in multis locis deſertam fuiſſe. Namque jam An. 1588. Godelmannus in Livonia obſervavit complures ſagarum nomine notatas, poſtquam a carnifice in aquam gelidam colligatis artubus fuiſſent projectæ, ſtatim ſubmerſas fuiſſe (*e*). Anno 1639. ipſe vidit OLDEKOPIUS Hildeſiæ, quod quum aliquot ſuſpectæ in aquam injicerentur, & omnes ſupra eam fluitarent, quidam ſpectatorum ab ejusmodi crimine habitus immunis, pretio a nonnullis perſonis illuſtribus accepto in eamdem aquam a carnifice projectus perinde ac illæ nataret, nec adjuvante lictore ſubmergi poſſet (*f*). Circa annum 1645. *Matthæus Hopkins* inquiſitor magarum in Anglia a viris quibusdam ejus pertæſis ipſe ſua methodo aquæ commiſſus pariter natare deprehenſus eſt, ex quo populus ab importuno homine ſe liberatum vidit (*g*). Satis hactenus de aquæ judicio. Ejusdem farinæ fuit indagatio ſtigmatum, quæ credebantur Magis a diabolo imprimi, ut quisque rem ſuam, ſupellectilem, ovem, pecus, ſervum ſignare inuſta nota ſolet. Scilicet ajebant reperiri in corporibus ſagarum loca quædam, quæ ſenſu vacent & ſanguine, ita ut ſi acum vel ſtylum profundius immittas, neque dolor neque ſanguis cieatur, eaque loca ſubinde quaſi macula quadam ſeu velut nota inſignita eſſe. Atque hac inprimis ex cauſſa Parlamentum Aquisſextienſe condemnavit An. 1611. Ludovicum Galfredum Presbyterum alias non minimæ exiſtimationis, prout obſervat Gaſſendus in vita NICOLAI PEIRESKII, magni illius Gal-

---

(*d*) cf. FRIDERICI HOFFMANNI *Demonſtrationes phyſ. curioſ.* Demonſt. XV.

(*e*) de *Mag. Veneſ.* & *Lamiis* L. III. c. 5. n. 35. edit. Frcf. 1591. 4. p. 45.

(*f*) OLDEK *Cautelæ criminales.* Hildeſiæ 1639 8. Tit. IV. *Caut.* 14. pag. 420.

(*g*) *Hutchinſon* l. c. pag. 98.

liæ Ministri, qui HUGONI GROTIO auctor fuerat, ut suum illud de jure belli & pacis opus exararet. Ac quamvis Peireskius magnos illos etiam inter viros sit, quorum *pudendam sæpe credulitatem* SPEUS Dub. XLIII. stupet, attamen is Parlamenti aquisfextiensis sententiam adprobasse non videtur, quum narrante Gassendo, *hæserit, num stigmata revera essent notæ Cacomagiæ, idque præsertim ex quo agnovit rem vocatam in controversiam a Martino Delrio (h) aliisque viris impense doctis. Forte enim esse posse a natura, pertinereque ad singularem Elephantiaseos speciem, aut saltem posse ipsos Magos melancholiæ deditos ea quasi cauteria sibi inurere, ac perturbatæ menti defigere.* Mihi placent, quæ scripsit Binsfeldius (*i*): *Si quis quæret hujusmodi signa, facile finget aut putabit esse, quod non est.* Et SPEUS miratur, *quæ de stigmatis nugentur* judices, *nondum adnotatum a sagacibus esse, fallacias fere esse lictorum* (*k*); ubi titulo Juris cujusdam doctoris Coloniensis Petrum Ostermannum indigetat, qui in commento ad *L. Stigmata C.* de *Fabricensibus* Sect. VIII. has offutias defendere adlaborat probe depexus JORDANEO-Medico in libro *de proba stigmatica.* Quæ denique apud populares nostros, aliosque de ictibus sagarum (Hexenschuß) decantantur, ubi in corpore humano ejusque vulneribus diversa corpora extranea inveniuntur, eorum explicationem ad medicorum scholas ablego, unicam celebris parisiensis medici D. MORAND de maxime mirabili effectu, pilis scilicet in corpore generatis observationem in margine adtulisse contentus (*l*), ex qua nobis sufficiet genesin, ac harum similiumque rerum in corpus

Qq 2

(*h*) Disq. mag. Lib. V. Sect. IV. num. 28.

(*i*) ad L. ult. *C. de Mal. & Math.* Indic. 14.

(*k*) Dub. LI. num. 40. & toto Dub. XLIII. Ipse VALVASOR l. c. p. 87. Es sey ganz natürlich mit einer Sper oder Stecknadel unschmerzlich stechen, weil sie von Messing wird, in dem Messing aber Galmey und Victriol sitzet. Denn der Messing wird aus Kupfer und Galmey bereitet. Das Kupfer ist ganz vitriolisch, heilsam und blutstillend, gleichwie auch der Galmey für alle Wunden dienet. Ich und andre haben uns manchmal mit dergleichen Nadeln von innen zu dergestalt durch die Backen gestochen, daß die Spitze wieder auswendig hervorgegangen. Welches auch selten ein Tröpflein Blut giebt, es thut nicht mehr wehe, als ob eine Mücke stäche.

(*l*) Descripserat quidem in Germania An. 1660. IOH. SCHOLZIUS Medicus egregius Norimbergensis similem trichiasin seu morbum pilosum, postquam in mulieris cadavere secto circa regionem umbilici ingentem saccum

receptionem vel leviter didicisse, cui explicandæ integri medicorum chirurgorumque tractatus sunt dicati, inter quos inprimis eminet doctissima Pauli Valcarenghii Professoris Ticinensis dissertatio

---

pilis contextum ad partes musculi recti superiores situm invenisset, eumque etiam tractatum ex Latino germanice versum sub titulo, Wunderbare Haarkrankheit, d. i. Kurze und gründlich ausgeführte Erzehlung und Ursachen des bey einer Frauen allhier zu Nürnberg gefundenen Haargewächses: 1662. 12. prodire jusserat. Nos vero etiam addemus Gallicam observationem ex anatome comparata a Cl. Morand haustam. Exstat ea in *Historia Academiæ Regiæ Scientiarum* Anni 1728. p. 403 — 412. sub titulo: *Nouvelles observations Sur le sac & le Parfum de la Civette &c.* ubi vir eruditus sacculum illum, in quadrupede Africæ, Indiæ, Peruviæ, Brasiliæ, Novæ Hispaniæ & Guineæ indigeno ac Hyenæ odoriferæ aut felis Zibethicæ nomine cognito, inter femora obvium describit, atque quæ in eo repererat, cum iis, quæ corpori humano solent accidere, sollerter comparat. En ea, quæ huc pertinent, verba: „ Le Sac, inquit pag. 407, bien examiné voyons ce qu'il renferme. Chacune de ses „ cavités, contient un paquet d'une espece de soye courte imbibée de l'huile odorante, qui fait le parfum (P. 408.), de „ sorte, qu'en le pressant on en exprime le „ parfum comme d'une petite éponge. Parmi ces filets soyeux il y avoit quelques „ poils noirs, durs & absolument semblables „ à ceux de la peau de l'animal; sans doute ils étoient entrés dans le sac par quelques situations fortuites & quelques mouvemens de l'animal pour se lécher, ou se „ grater. Mais les filets dont l'éponge est „ formée sont mols, & ne sont que des brins „ fort courts; je ne pouvois imaginer qu'ils „ eussent été detachés de la tunique interne du sac; ceux qu'elle porte, ne quittent la membrane qu'avec la membrane „ meme quoique macérée; ils ne pouvoient „ venir de la peau, la difference est trop „ marquée. Il n'étoit donc facile d'en découvrir l'origine. A force de rechercher „ je l'ai trouvé dans les reservoirs ou follicules (qui sont les follicules des glandes „ voisines & les réservoirs du parfum filtré „ dans les grains glanduleux.) En comprimant les glandes & les réservoirs pour faire couler le parfum dans la cavité du sac, „ j'avois observé, qu'il sortoit en jet sous „ la forme d'une matiere grasse & épaisse. „ — — Il falloit voir si la soye des réservoirs étoit semblable à celle des pelotons „ du sac, & si cette soye étoit telle dans les „ réservoirs, ou devenuë telle par le contact de l'air hors des parties semblables „ à celle du Ver à Soye, & l'Araignée, „ qui dans le corps de ces Insectes n'est, „ qu'une matiere visqueuse, & à l'air devient une soye d'une certaine consistance. Il étoit aisé de déterminer ces circonstances, la seule comparaison saisoit voir „ à l'oeil, que la Soye des réservoirs & „ celle de pelotons étoient la même. (P. 410.) De toutes les reflexions qui se „ presentent à ce sujet, je m'arrêterai à celles que m'a fourni la comparaison de cette soye avec les poils que l'on a quelquefois rencontrés dans les liqueurs naturelles „ des animaux, quelquefois sur la surface „ de plusieurs visceres à l'ouverture des cadavres, quelquefois, & ce dernier cas „ est le plus ordinaire, dans des parties „ graisseuses & dans des tumeurs contre nature. Je pourrois citer nombre d'exemples de ces trois cas, les ayant recherchés „ & recueillis avec soin, mais je me bornerai à celui des parties grasses & des tumeurs contre nature. M. Ruysch parle „ dans plusieurs endroits de ses traités anatomiques de pelotons de poils trouvés „ dans l'épiploon, d'autres trouvés dans „ cette espece de tumeurs enkistées, con-

de Virgine Cremonensi, quæ miris admodum passionibus obnoxia fuit, ut adeo a multis maleficiata, ut loquuntur, habita fuerit, Cremonæ An. 1746. edita, atque ad Episcopum ejusdem urbis

Qq 3

„ nuës sous le nom d'athérome. Vandewiel dans ses observations rapporte qu'il „ a vû à la Haye une femme, à qui on „ avoit ouvert une tumeur au ventre, dont „ à chaque pansement sortoit des poils mélés avec une matiere grasse. Il y a peu „ de tems, que M. MAUGUE Médecin de „ Strasbourg envoya à Paris une observation singuliere que j'ai lû à l'Academie, „ & dont voici l'extrait : = La femme „ d'un libraire de Strasbourg ayant été longtems malade, eut deux tumeurs au ventre, dont une ayant été ouverte donna „ une livre de matiere grasse & épaisse. „ (P. 411.) Un mois après l'ouverture il „ sortoit de poils avec la matiere & cela „ continua jusq'à sa mort arrivée vers la fin „ de 1727. A l'ouverture de son corps on „ découvrit dans le ventre une seconde tumeur enkistée, laquelle étant ouverte „ fut trouvée pleine d'une peloton de cheveux longs de plus d'une demi-aulne. En „ considerant avec un microscope les membranes interieures de ces tumeurs, elles paroissoient bulbeuses & glanduleuses. „ Il y avoit aussi quelques poils sur la surface des intestins gréles. = — — — Ces „ poils contre nature trouvés en differents „ endroits du corps ne se nourrissent point „ comme les cheveux, les poils de la peau, „ les plumes, que l'on peut regarder dans „ les animaux comme des parties organisées. Ces poils n'ont point de racines, & „ M. Ruysch l'avoit bien observé; ces poils „ ne sont point adhérents aux parties, ils „ y sont simplement collés, & on les en „ détache facilement. Enfin on les trouve dans les parties grasses, ou confusément mélés avec une matiere grasse & onctueuse. Or il n'y a pas une de ces circonstances, qui ne se trouve dans les soyes, qui font l'éponge de nôtre civette, „ & si la ressemblance est si parfaite, pourquoi ne nous servirions-nous de ce que „ nous avons découvert, sur la formation „ des uns pour expliquer celle des autres? „ Il faut donc se rappeller ici la difference „ des concrétions, qui peuvent être faites par „ une même liqueur suivant la differente configuration de ses parties, & la disposition differente des ouvertures propres à leur servir „ de filiéres. Qu'on ajoute à cela un certain „ assemblage des parties hétérogenes, on peut „ concevoir, qu'il y a telle partie du sang „ propre à former des matiéres soyeuses disposées à être filées par des filtres particuliers; du moins nous avons vû dans le „ sac de la civette des glandes, & dans l'interieur de nos tumeurs enkisteés des membranes bulbeuses & glanduleuses. Mais „ il semble que cela ne suffise pas pour expliquer toutes les singularités de nos poils, „ car dans l'observation de M. MAUGUE „ les cheveux ont plus de demi-aulne de „ longueur, dans celle de M. Ruysch il s'en „ trouve, qui ont un grand doigt, d'autres près d'un pied de long. Cette circonstance peut s'expliquer par des reservoirs & des trous excréteurs pareils à ceux „ de nôtre civette, & il est probable, qu'il „ y en a dans les membranes de nos tumeurs; des pores suffiroient même pour „ servir de filiéres à la matiere qui doit faire les poils de même que les trous des „ mammelons de l'araignée pour la soye „ qu'elle file & c'est peut être ce qui arrive aux poils qu'on trouve sur la surface „ des viscères. L'origine de ces poils pourroit donc bien être une matiere grasse & „ onctueuse, qui ayant été séjournée dans „ les follicules, (& ces follicules se forment aisément par la désunion de deux

Alexandrum Litta directa (*m*). Nos enim non id agimus, ut quæ ignari nostri artis & naturæ magistri peccarunt, singula persequamur, quod alius esset otii, sed ut fontem errorum primariasque fictionum ansas retegeremus, atque inprimis hoc in capite substantialia processus juridici consideraremus, in quibus turpissima errata dum deprehendimus, ad cetera processus adminicula facile duceretur argumen-

---

„ tuniques contiguës, ou la dilatation de „ quelque extremité de vaisseau, s'epaissit „ au point nécessaire, pour faire dés brins „ velus ou soyeux, lorsqu'elle aura été „ filée par des trous excréteurs où par des „ pores „. Hactenus Cl. Morand. Sed animadvertendum est in plerisque ejusmodi casibus imposturas aut ignorantiam dominari. Exemplum luctuosum est montana Misniæ urbs Annæberga, in qua morbi quidam extraordinarii leviculo, timido, pauperi & vilissimo victu inter montes utenti popello ansam dederunt monstrosissima quæque de Magia spargendi ab An. 1713. ad An. 1720. donec regia auctoritate motus illi sopirentur, medicisque ac theologis lucelli odore posthabito ultra vulgum sapientibus submissis morbi extirparentur, Mammoniacorum nequitiæ detegerentur, aliorum malitia puniretur, de qua tota re quinque scripta Arnoldus præf. ad Hutchinsonii translationem recitat, ego adhuc aliud *Christiani Hœpneri* Medici Annæbergensis possideo sub titulo: Acta privata, betreffend diejenige Krankheit, womit Personen unterschiedliches Geschlechts und Alters zu St. Annenberg vom J. 1713. bis 1719. überfallen worden. Leipzig 1720. 4. quæ omnino legi merentur. Ex ingenti penu hujusmodi exemplorum unum adhuc producam verbis Celeb. Bidloo in *Exercit. Anat. Chirur.* Dec. II. Ex. II. p. 17. de hydatidibus loquentis. „ Similem, ait, cum forte fortuna ante aliquot annos aperuisset tumorem Amstelædami medicaster quidam Valentin persuasit ægræ ex incantatione malum hoc traxisse originem; credulum mox spargitur in vulgum fabulæ rumor, impostorque lucripeta famæ quoque inhians pendulas „ deciduasque hasce hydatides ei pro ovis „ obtrudit, ea quidem impudentia & animi firmitate, ut non ægra, ut non vulgus tantum, sed & non inferioris subsellii cives (taceo quosdam medicastros lipposque alios imperitos, sed muneribus alias spectabiles viros) de tramite rationis prudentiæ & pietatis seducerentur, figmentoque fidem adhiberent, ipse ego, fores enim ipsius populi nocte dieque rerum novarum cupidi obsidebat agmen, intra rumpere vix potuerim, posteaque fuerim expertus, eorum multos in hoc usque momentum credulitatis hujus, ne dixerim, fidei servare reliquias & stigmata „.

(*m*) *De Saxis, acubus, ferreis vitreisque frustis non exiguæ molis, variæ superficiei & figuræ aliisque plurimis rebus plerumque per vomitum aliquando etiam per inferiores partes ejectis, tum & de miris animi & corporis morbosis affectionibus, quibus identidem per plures annos Cremonensis Virgo quædam obnoxia fuit* Excellentissimo Senatui Mediolanensi dicata. Cremonæ 1746 4. Verum & Magi etiam eadem opera, qua corpus humanum vulneribus exponunt, pariter invulnerabile reddere posse perhibentur, quod quidem adsertum tueri, propterea, quod diabolus loculum illum, in quem sphærula plumbea e sclopeto posset dirigi, vel dirigetur, præscire deberet, aut plane eodem ictus momento omnium spirituum per totam corporis peripheriam disseminatorum congeriem conglobare ac veluti mille follibus densatam elastico ad impetus reflectendos vigore impertire, aut impresso in solidum cutaneum & carneum duritiei & resistentiæ tono efficere, ut amissis e vestigio viribus pila pro-

tum. Selegi eam in rem P. SPEI libellum, quod vel in eo uno omnes dæmonographorum fallaciæ, ineptiæ, paralogifmi refutati fint, isque nihil omnino doceat, quod cum veritate agendique ratione judicibus ufitata pugnet, prout ex omnibus actis, quæ vocant, magicis in propatulo conftituitur. Quapropter merito quis ftupeat, quanta libertate, prudentia, fagacitate ac fingulari mentis ἐυςοχία abufus infandos vir hic fumme reverendus ipfa in temporum fuorum depravatione in lucem protulerit, unde de pofteritate meritus eft quam qui maxime, & nec modo de Germania meritus, in qua dumtaxat tam impio modo has cauffas tractari idem SPEUS putavit, aut fimulavit, fed de tota omnino Europa, quia, quod ad rem ipfam attinet, hæ cauffæ ubique æqualiter tractatæ funt, nec aliter, natura rei id exigente, tractari valuerunt, ut fyftema illud artis magicæ falvaretur. Quibus de cauffis, poftquam hunc libellum a nemine in rem pofteritatis converfum vidi, adnifus fum toto hoc opere, ac præcipue hac Sectione illuftrare, nec non eum ex feipfo explicare. Qua explicatione demum prælucente expedit eumdem omnibus fapientiæ, maxime juris adfeclis commendare, quod is non folum in his, de quibus fcribebat cauffis, fed & omnibus criminalibus aliisque negotiis providentiam quamdam tractandique prudentiam animo inftillat, quam ab aliis ejus generis libris vix defideres, quæ vero fola eft virtus, quam in fcientiis perpetuo refpici omnibusque votis expeti oporteat.

jecta moreretur, aut denique omnia in fclopo, in pulvere, in aere, in objecto ipfo feriundo media motum accelerantia removere, omnes motus elateres retundere deberet, hæc autem ipfa absque miraculo non confiftant, a ratione profecto abhorret. Antidotum ei fuperftitioni Italis *ingermadura, Fatagione*, Germanis feftmachen in fpecie parat Comitis RONCALLI PAROLINO Differtatio phyfica *de homine invulnerabili* inter ejusdem opufcula medica obviâ, cujus tamen poftrema pars iterum ex noftris corrigenda venit.

CAPUT II.

DE ADPLICATIONE DOCTRINÆ HACTENUS TRADITÆ AD JURISPRUDENTIÆ LEGISLATORIÆ ILLUSTRATIONEM.

XXXI.

Dum ita lento nisu ad ipsum omnis doctrinæ nostræ culmen contendimus, id nos remoratur, quod a plerisque ex me quæri sentio, quid jurisprudentiæ legislatoriæ nomine indigitemus. Nec immerito. Poterat enim id aliis videri latius, angustius aliis patere, quam revera pateat. Ego autem, ne longum faciam, incultam illam, in qua steriles adhuc dominantur avenæ, sed insignem juris publici universalis partem intelligo, quæ præcipit, quid Legislator in legibus ferundis exequi, quid observare debeat. Et ne vana loqui videar, age recensebo tibi ad meam mentem summa ejus disciplinæ capita! Societas sine imperio non concipitur, imperium sine lege nullum. Ergo lex, quæ imperium & societatem animat, erit ejusdem objectum, & quidem solum. Quæcumque igitur ex primo legis humanæ hujusque diversæ conceptu, ac ipsa possibilitate erui possunt, ea legislatoris in quacumque regiminis forma directioni inservient. Et vero ipsa legislatoris notatio tam late, aut si vis, tam improprie accipienda erit, ut etiam omnes tam immediati quam mediati principis in monarchia ministri, qui ad propositionem illam, cui obligatio indenda est, condendam concurrunt, quo sensu semper & ubique Lex communis civitatis vox, communis reipublicæ sponsio audiet, comprehendantur (*n*). Ex quo simul magnum illud principium de *spiritu legis-*

(*n*) Distinctionem inter *Legislatorem* & *Nomothetam* jam vidit Huber. *de J. Civ.* L. III. sect. 1. c. 1. §. ult. Justinianus JCtos *Legislatores* appellat. l. 2. & 3. C. de vet. jur. enucl. cf. Jos. Averanii *Interp. Jur.* L. I. c. 6. n. 12. 13. 14.

legislatorio, de propensione illa erga leges communi reddendo & fovendo intelligetur. Sunt enim leges magnus quidam reipublicæ thesaurus, a cive infimo & summo æquali veneratione habendus. Disquiretur porro de Spiritu legum, de sanctione legum, de iis, quæ sanctioni, quæ executioni impedimenta ponunt, de fictione legum, quales sunt leges divinæ positivæ præter Evangelium universales, Observantiæ & DD. opiniones, de valore præjudiciorum ac quomodo iis legislator ad leges persuadendas ac firmandas uti debeat, quæ opiniones exstirpandæ quæ contra implantandæ sint, quæ propositiones in leges adsumi debeant aut possint, & quomodo dubia in legibus facillime vitari queant, *qui limites* sint legum & morum; postea præcipi deberet de legum quarumdam cum moribus identificatione procuranda, de motivis legum adnotandis, de stylo ac quasi æsthetica legum, inde ad varias legum species descendendum, videlicet criminales, stricte civiles, politicas, commerciales, ubi monstrandum esset, quid singulis proprium, quæ eis virtutes ac vitia, in quo tamen postremo capite singuli JCti pro suis singuli nationibus, earumque genio & hujus analogia laborabunt.

XXXII. Magnum heic aliquid atque arduum propono, non nisi historia Legislatorum, consecutionumque sive rectarum sive deerrantium ab iis ex naturæ humanæ penetralibus eductarum exacta cognitione præsupposita inchoandum, neque nisi profunditate ingenii Wolfiani, ac Montesquievii acumine simul junctis absolvendum. Uti vero difficultas neminem ab opere absterrere debet, ita optandum est, ut optima hodierni ævi ingenia ad illum sublimiorem jurisprudentiæ omnis finem omnibus viribus contendant, ex cujus neglectu tam copiosa perpessi sumus damna. Inde certe repeti debet, quod post JCtos veteres Romanos per tot secula parum aut nihil in Juris arte profecerimus, quod ab observationibus naturæ moralis deviaverimus, veterum effatis nonnisi superflua & peregrina adjungentes cum farraginibus opinionum male consutarum, quod idearum de rebus moralibus exactarum loco persæpe plebeculæ ratiocinia, loco genuinæ rerum nexus indagationis fictas possibilitates confectati fuerimus, quod verosimilia aucupantes verosimiliora negleximus, quod alienas leges, quas bona fortuna aut casus obtulit, potius amplexi proprias conde-

re dedidicimus, quod leges eas non intellectas diutissime executioni mandari, quam in rerum naturam inspiciendo leges commensuratas introducere maluerimus, quod ex illis ipsis de legibus ferundis institutis conventibus ridiculis sæpe ordinationes de rebus levissimis, vilissima jura profitentium ratiocinia pro actionum humanarum normis prodire, aut nimis speciales constitutiones infinitis exceptionibus obnoxias, aut remissiones ad prudentum arbitria per circulum vitiosum juberi viderimus; ut adeo sæpe a nulla re magis, quam a legibus propriis destitueremur. Tum vero plurimum ad Jurisprudentiam legislatoriam instruendam conduxerit, si Legislatores singuli, in suis ditionibus, *Jureconsultos Observatores*, jam olim ab Abbate S. Petræ propositos (*o*), constituerent, homines veritatum moralium ac politicarum intelligendarum, novarumque inveniendarum capaces, qui genium nationis ab omni memoria studeant, veteres leges cum novis comparent, sicubi cum aliis aliarum nationum aut stirpium unius nationis concordent, haud persunctorie notent, sicubi leges contradicant aut cum natura populi pugnare videantur, si veteres reducendæ, novæ abolendæ, nomothetam admoneant, stilo legum, ut is semper argumento dignus ac similis, numquam æquivocus decurrat, invigilent, motiva legum consignent, earumque compositioni & executioni immineant. Adpareret inde quam maxime, *reges*, quod Themistius *Orat. ad Valentem* ait, *quales exigit sapientiæ regula, non unius sibi creditæ gentis habere rationem debere, sed totius humani generis*.

XXXIII. Derivari deinde cum tempore ex iisdem fontibus poterit *scientia legum*, pars *ethicæ philosophicæ seu Universalis*, quæ doceat, quales leges variis in circumstantiis possibilibus, in quas casus aut sapientia mortales deducit, utilissimæ ac iis maxime proficuæ ad felicitatem maximam consequendam existant. Et hæc quidem, quæ hactenus docui, viris eruditis non plane incognita sunt, sed adeo tenuibus initiis nixa, ut fere intra primam notionem consistant. Ea,

(*o*) *Memoire pour diminuer le nombre des procés*, Par l'Abbe de St. Pierre. à Paris 1725. 8.

quæ a variis viris doctis hucusque obtinuimus, huc redeunt. Primus post Veteres, qui nos heic deserunt, sublimi animo jurisprudentiam legislatoriam tentavit, vir sui seculi magnus, Philippi II. R. Hisp. & Margarethæ austriacæ Belgii gubernatricis Consiliarius, JOACH. HOPPERUS, cujus characterem nobis sistit NICOL. BURGUNDUS in *Historia Belgica*, inquiens: „ Quædam de abroganda inquisitione, derogandisque legibus & confusione curiarum mandatis adjecit non tam „ volente Gubernatrice quam non prohibente „ in libris XII. de *Vera Jurisprudentia ad Regem* scriptis, atque post ejus mortem a filiis in lucem, editis quorum priores quatuor Νομοθεσιαν *sive de Juris & Legum condendarum scientia* subtilitate quidem sæpe inani sed non penitus contemnenda diligentia tractant. Prodierunt illi primum Antwerpiæ ex offic. Plantin. 1590. fol. deinde seculo sequenti ab Herm. Conringio lata commendatione Brunsvigæ 1656. 4. instructi (*p*). Ipse CONRINGIUS dissertationem *de Nomothesia* conscripsit (*q*). HENRICUS ERN. KESTNERUS Henrici Cocceji discipulus *Conspectum Jurisprudentiæ Legislatoriæ* stitit Rintelii 1710. 4. CHR. THOMASIUS titulo inepto *Prudentiam Legislatoriam* jactavit, quod prudentia ex scientia gignatur atque Legislatori non sit peculiaris, cujus Lectiones jam an 1702. habitæ a GOTTL. STOLLIO Frcf. & Lipf. 1743. demum editæ sunt. Majora sunt adjumenta, quæ recentius seculum produxit. Eminet in his nobilissimus MONTESQUIEVII liber, quem tam multi legunt ac mirantur, quin intelligant, tam multi intelligere sibi videntur, sed perperam. Huic secundus, non ingenio, sed materia, Comes J. DE CATANEO verum spiritum legum ostendere conatus est

(*p*) Data occasione produco post plagia Ant. Delrii a Tartarotto notata aliud, quod in præfatione Conringii his verbis indicatur. *Hopperus isagogen conscripsit in veram jurisprudentiam — — Posteriores libros totidem voluit esse elementa juris, sive de principiis justi. Et vero hæc sunt illa Elementa, quæ in duos libellos ejusdem nominis non multo post contraxit M. Antonius Delrio non ineleganter quidem, improbe tamen dissimulato Hopperi nomine.*

(*q*) Immo de ea prælectiones habuit. Sic enim in epist. de an. 1660. 29. Sept. ad B. Boineburgium scribit: „ Publice ad „ calamum hac hyeme dictabo librum de „ recta ferendarum & examinandarum le„ gum ratione, quod argumentum est per„ utile, a nemine tamen pro merito ta„ ctum „. *Com merc. epist. Leibnit.* Tom. prodr. P. I. p. 380.

in libro Berolini hoc indice publicato: *La ſource, la force & le veritable eſprit des Loix avec un eſſai ſur l'origine naturelle des Gouvernemens politiques.* 1752. 8. Cui ipſi præluſerat rex philoſophus libello inſcripto: *Diſſertation ſur les raiſons d'établir où d'abroger les Loix*, par l'auteur *des Memoires de Brandebourg.* Frcf. 1751. & ſæpius recuſo. Hinc anno 1754. Jo. HEUMANNUS, vir, quo vel uno themis germanica glorietur, edidit *Commentationem de fontibus & Oeconomia legum civilium* Altorfii. 4. Inſerviunt pariter huic argumento, quæ habet WOLFIUS (*r*) & **Verſuch über die Geſetzgebung von dem Verfaſſer der philoſophiſchen Träume. Zürich** 1760. 8. De *Structura legum* diſputationem habuit memoratus KESTNERUS, ac ſummopere dolendum eſt promiſſum a Montesquievio librum *de la Compoſition des loix* (*s*) cum ipſo exſtinctum eſſe. De motivis legum publicandis pulcram obſervationem legimus in Operibus ABBATIS S. PETRÆ (*t*). Legum peculiarium naturam indagarunt cit. HEUMANNUS **im Geiſt der Geſetze der Deutſchen Nürnb.** 1761. 8. FRID. HENR. STRUBE DE PIERMONT *des Loix Ruſſiennes.* à Petersbourg ſine anno 4. Ac ne utinam in his ſubſiſtere oporteret! Spem nobis tamen fecit Academia quædam Bernæ in Helvetia coaleſcens veritates ad jurisprudentiam legislatoriam & ipſam ſcientiam Legum attinentes pedetentim propalandi, quo fine ad ſingulas propoſitiones quotannis propoſitas præmio viginti aureorum illos allicit, qui in hoc ſtadio decurrere amant (*u*). Ego interim alio ex ſcopo iſta non adduco, quam ut jurium peritos de novo diſciplinæ ſuæ proſpectu commoneam, immo etiam eidem, ſi fieri poſſet, adſuefaciam, lectorque, quo in iis, quæ ſequentur, obſervationum Collectaneis oculos mentemque perpetuo convertat velim, intelligat.

(*r*) J. N. P. VIII. cap. 5. p. 742 — 774. *De theoria legum civilium naturali.*

(*s*) v. *Eſprit des Loix* Liv. XII. ch. 7.

(*t*) v. *Ouvrajes politiques de Mr. l'Abé de St. Pierre* T. X. p. 210 — 220. Raizons pour publier les motifs des Loix.

(*u*) v. **Briefe die neueſte Litteratur betr.** P. XIII. ep. 223. p. 180. P. XVI. ep. 261. p. 137.

OBSERVATIO I.

XXXIV. Ut in rem præsentem veniamus, patet nunc plane ſpiritus legis divinæ Exod. XXII. 18., ad quam legislatores, qui hactenus provocarunt, omnes fruſtra provocarunt. Dedimus ſupra (L. I. §. CLXXVIII.) explicationem ejus hiſtoricam, demonſtrationem, quod nulla alia explicatio dari poſſit, ad hunc rejicientes locum. Juſſum erat, ut malefici occidantur. Si maleficos in ſenſu plebis aut ſcholæ commentitio ſumas, non fuiſſet ullum medium eam legem inter Judæos exequendi, quum, ut ſupra diximus aliquoties, concurſus diaboli ad operam humanam juridice demonſtrari nequeat, neque vel pacti cum ſpiritu ſeductore initi veſtigium vel argumentum adinvenire detur. Ergo vel proceſſus magici, quales capitulo antecedente deſcripſimus, cudi debuiſſent, quos profecto divinum numen toleraturum non fuiſſet, vel, ſi pactum adhuc poſſibile dicas, Deus revelare debuiſſet id criminis ab Iſraelita commiſſum fuiſſe, quemadmodum adulterium ſe revelaturum promiſit, ſi forte mulier, in ipſo delicto non deprehenſa, a marito ſuſpicioſo ejus incuſaretur Numer. V. 12. ſeqq., quæ tamen revelatio, in materia judiciorum nulla umquam excepto dicto caſu reperitur. Quare manet fixum, in tota ſcriptura veteris teſtamenti *Maleficos*, ſeu *Magos* eos denotare homines æruſcatores, non qui aliquid ope diaboli efficiant, ſed qui ſyſtemati illi de duobus diis ſupra explicato dediti, per fictiones, fabulas, impoſturas, ariolationes ad idololatriam manifeſto ſenſuum ludibrio, immo per ſacrificia ſceleſta cultuſque magicos infinitos, de quibus Libro I. paſſim egimus, a vero numine, legislatore abducerent, quorum peſſimo exemplo graviſſima omnino pœna prævertendum erat.

OBSERVATIO II.

XXXV. Si ſpiritum legum romanarum pernoſcere aveas, remeandum tibi eſt ad prima reipublicæ tempora. Dum rudior adhuc philoſophia Romanorum animos informabat, receptæ fuerunt e XII. tabulis leges

contra eum, qui *fruges excantassit*, i. e. in suas vel alias terras pellexerit, aut obligaverit, ne crescerent; quo fundamento postea FURIUS CRESINUS delatus, sed ad purgationem admissus superstitiosæ invidiæ tela retudit, cujus historiam a PLINIO majore eleganter consignatam heic repetere est operæ pretium. „ C. *Furius Cresinus*, verba sunt PLINII (*x*), *e servitute liberatus*, cum in parvo admodum agello largiores multo fructus perciperet, quam ex amplissimis vicinitas, in invidia magna erat, ceu fruges alienas pelliceret veneficiis, quamobrem a Sp. Albino curuli die dicta metuens damnationem, quum in suffragium tribus oporteret ire, instrumentum rusticum omne in forum attulit, & adduxit filiam validam, atque ut ait Piso, bene curatam ac vestitam, ferramenta egregie facta, graves ligones, vomeres ponderosos, boves saturos, postea dixit, veneficia mea Quirites hæc sunt, nec possum vobis ostendere aut in forum adducere lucubrationes, vigilias & sudores. Omnium sententiis absolutus itaque est „. Alia item lex in duodecim illis tabulis exstabat, quæ capite puniebat eum, *qui malum carmen incantassit*, i. e. incantamentis alium defixerit. Et hæc mihi persuadent, ut etiam illud, quod ibidem occurrebat, de furto per lancem & licium concepto, de quo tam multa inter doctos lis, cum INNOC. CIRONIO (*y*) non aliud esse credam ac ritum ex superstitione magica deductum, quo res furto ablata inquiri debebat, quum & lancem (v. L. I. §. LI.) & licium (*ibid.* §. CLXXXVIII.) in eum finem adhibuerint. Tandem Lex æbutia circa A. U. C. DXX. lata (*z*) hujusmodi leges quiescere jussit. Nihilominus inter ipsos reipublicæ Senatores opiniones exinde fluentes remanserunt. Mentio harum neniarum est apud CICERONEM (*a*), ubi de C. Scribonio Curione: „ Memoria ita fuit nulla, ut aliquoties tria quum proposuisset, „ aut quartum adderet, aut tertium quæreret. Qui in judicio pri-

(*x*) H. N. Lib. XVIII c. 6.

(*y*) Ad Decret. L. V. tit. 21. §. II. p. 494. edit. Vindob.

(*z*) v. V. CL. CAROL. DE MARTINI Doctoris mei *Ordo historiæ Jur. Civ.* C. IV. §. XLIII. p. 102. ed sec.

(*a*) In Bruto C. LX. al. n. 217.

„ vato vel maximo, quum ego pro Titinia Cottæ peroravissem, il-
„ le contra me pro Sex. Nævio diceret, subito totam caussam obli-
„ tus est, idque veneficiis & cantionibus Titiniæ factum esse di-
„ cebat „.

XXXVI. Secuta est A. U. C. DCLXXIII. ea inter leges Cornelias (*b*) quæ de Sicariis & Veneficis præcepit supra (L. I. §. XXXIV.) exposita. Romanis autem credulitates inter & superstitiones fluctuantibus ars magica semper vetita semperque retenta est, uti idem de arte mathematica, i. e. *astrologia* eleganter animadvertit TACITUS (*c*), quæ eodem termino in legibus nostris vetita dicitur (*d*). Provoco heic ad ea, quæ in priori libro recensita sunt. Quum tamen sæpe jactatos a Magis effectus numquam secutos, alia vero scelera ad eos consequendos commissa fuisse, speciatim a NERONE & PLINIO, qui *veneficas pollere artes non magicas* argute scribit (v. L. I. §. LIII. tandem Imp. ÆLIUS HADRIANUS jurisprudentiæ romanæ restaurator, viris sapientissimis adjutus, generale illud axioma pro legislationis omnis & judiciorum norma rescripsit: *In maleficiis voluntas spectatur non exitus* (*e*), ne attentata hominum impiissimorum, voluntate generis humani vere inimica præditorum, ac fanaticismum teterrimum undique propagantium immunia essent. Ab eo itaque præcipue tempore, repurgata Jurisprudentia legislatoria, Imperatores de effectu aliquo per artem magicam obtento loqui veriti sunt, sed solummodo de voluntate magorum scelesta per media nefaria declarata, quæ ipsa tamen etiam media hominibus his pro fine erant, leges condiderunt, prout leges superiori libro productas perpendentibus palam fiet (§. XXXV. XXXVIII.). Sic L. APULEJO sub divis Fratribus haud difficile fuit se Magicorum maleficiorum ac necis Pontiani privigni sui insimulatum præstantissima illa oratione defendere,

---

(*b*) DE MARTINI l. c. p. 112.

(*c*) Hist. L. I. c. 22. *Mathematici genus hominum potentibus infidum sperantibus fallax, quod in civitate nostra & vetabitur semper & retinebitur.* Id. Annal. XII. 52. *De mathematicis Italia pellendis factum SCtum atrox & irritum.* Sed & hi sub Magis latebant. v. L. I. §. CLXXXXV.

(*d*) L. XV. §. XIII. *D.* de injur.

(*e*) L. XIV. *D.* ad L. Corn. de Sicar.

(*ibid.* §. LXXX.) quam inſigni plane commentario inſtruxit Scipio Gentilis. Ac licet poſtea quidam Imperatores ipſi in cultus magicos propenderent, exemplo Neronis (*ib.* §. LIII.) publicis tamen legibus ſemper homines ab his nequitiis retracti ſunt, ac ſuperſtitiones craſſiores, uti res tunc ferebant, exciſæ.

XXXVII. Didius Julianus per magos pleraque fecit. (L. I. §. XXXIII.). Caracalla licet ipſe primum necyomantiam exercuerit, maneſque patris ſui & Commodi Imp. evocare tentaverit, teſte Dione L. LXXVI. poſtea tamen magos aſtrologoſque ea de cauſſa arceſſitos, ut parum vera loquentes, omniaque ad aſſentationem vaticinantes deſeruit, referente Herodiano L. IV. c. 12. adeo ut etiam eos damnaret, qui remedia ſeu amuleta quartanis tertianiſque curandis collo annexa geſtarent (*f*). Elagabalus Magos in amicorum ſuorum numero habuit (cit. §. XXXIII.). Nihilominus libri, ex quibus homines de peſtilentibus his nequitiis edocerentur, (cf. L. I. §. LXXXIX.) ſeveriſſime prohibiti & exterminati ſunt, id, quod Ulpianus ſub Alexandro Imp. officium eſſe judicis, ubi de familia erciſcunda agitur, docet, ſcribens: „Mala medicamenta & venena veniunt quidem in judicium, ſed judex omnino interponere ſe in his non debet. Boni enim & innocentis viri officio eum fungi oportet. Tantumdem debebit facere & in libris improbatæ lectionis Magicis forte vel his ſimilibus; hæc enim omnia protinus corrumpenda ſunt (*g*)„. Et quum Magia complexus olim omnium cognitionum ſtultarum, impiarum ac tetricarum, mox tamen ſimul vagus vulgi terminus, calumniis vagiſque criminationibus perpetuo inſervierit, hæ vero ex omni civitate procul relegandæ ſint (cf. L. I. §. CLV.), idem Ulpianus repellendum eum militia cenſuit, qui rudes inter milites parentes ſuos, quibus educationis beneficium debet, maleficiorum magicorum nomine traducat. *Indignus*, inquit, *militia judicandus eſt, qui patrem & matrem, a quibus ſe*

(*f*) Spartian. in *ej. vit.* C. V.

(*g*) L. IV. §. I. *D.* famil. erciſc. Et Julius Paullus coævus *ſent. rec.* L. V. tit. 23. ad *L.* Cornel. de ſic. & Veneſ. §. XVIII. *Libros magicæ artis apud ſe neminem habere licet; & ſi penes quoscunque reperti ſint, bonis ademtis ambuſtiſque publice in inſulam deportantur; humiliores capite puniuntur.*

ſe educatum dixerit, maleficos appellaverit (*h*). Cur ſi *ſe educatum dixerit*? Quia tunc calumnia eo manifeſtior, quod ipſe oſtendat parentes ſuæ vitæ numquam inſidiatos fuiſſe, prout parentes Magi facere conſueverunt, docente id nos præter alios JUSTINIANO, dum inter cauſſas exheredandorum parentum etiam hanc refert: *Si venenis aut goetiis* (φαρμακειαις ἢ γοηΐειαις) *aut alio modo parentes filiorum vitæ inſidiati* (τῇ των παιδων ζωῇ ἐπιβȣλευσαντες) *probabuntur* (*i*).

OBSERVATIO III.

XXXVIII. Sub primis Imperatoribus Chriſtianis generatim illud animadvertitur, quod veteres cultus magicos eatenus toleraverint, quatenus nulla inde major Reipublicæ noxia timenda videbatur, craſſas illas atque bono communi adverſas ſuperſtitiones ubique rigoroſe excidere conati ſint, leviores vero illas nemini nocivas relligioni ejusque miniſtris emendandas reliquerint, judicia ſecularia neutiquam his cauſſis onerando. Ita CONSTANTINUS M. eos puniri vult, qui *contra hominum ſalutem aut exiſtimationem aut pudicitiam* (v. L. I. §. XXIV. &c.) moliantur, non vero qui remedia humano corpori, v. g. amuleta, aut aliqua ſuffragia pro frugibus conſervandis *innocenter*, id eſt, cum nullo damno externo adhibita jactitent (v. L. I. §. CII.), atque adplicent. (*k*). Idem de ſequentibus dicendum eſſe leges eorum alibi late productas (L. I. CIII — CVI. CXIII.) meditanti patebit. Illud interim iterum obſerves velim nullo non tempore libros magiam profeſſos diligenter inquiſitos fuiſſe, atque corruptos ubique. Ea occaſio fuit legis 12. *C. Theod. de malef.* ab HONORIO conditæ a Zoſimo calumnioſe tamen enarrata v. L. I. §. CXIII. Roma ſcilicet An. 408. ab ALARICO R. Goth. obſeſſa, ſcribit is, Pompejanum præfectum Urbis incidiſſe tum in quosdam Romam e

(*h*) L. I. §. 3. D. de Obſeq. parent. & patr. præſt.

(*i*) Novell CXV. c. 4. §. 2.

(*k*) *Brunneman* ad h. l. & P. BOECKHN ad Decret. t. de ſortilegiis, non obſtante interpretatione Leonis Imp. putant Conſtantinum per media innocentia & ſuffragia intellexiſſe ſacras benedictiones & luſtrationes agrorum, quæ cum Litaniis publice decantatis fiebant.

Tuſcia venientes, cum his egiſſe de urbe liberanda ex haruſpicum & mathematicorum libris, qui ſe jam Narniam præſenti periculo ritibus ſuis liberaſſe mentiebantur, perque nuncupata numini vota cultumque patrium tonitruis & fulgetris immanibus elicitis barbaros imminentes abegiſſe. Quo vero id cautius fieri poſſet, cum Innocentio urbis R. Epiſcopo ea de re egiſſe, Innocentium ſalute urbis relligioni propriæ antepoſita clam permiſiſſe *conſueta ſacrificia* peragi. Tuetur Innocentium Gothofredus, ſimulque oſtendit, Innocentium ſeſe miſſæ a Romanis ad Honorium Legationi junxiſſe, perſuaſiſſeque Cæſari, ut eam legem perferret, qua mathematici (cf. L. II. §. XXXVI.) urbe expelli, libri comburi jubentur. Huc porro pertinet ſimilis inquiſitio, quam Antiochiæ, ut videtur, factam memorat S. Chrysostomus. „ *Mota eſt*, ait, *tyrannorum* ſuſpicio in civitate noſtra, „ dum adhuc adoleſcens eſſem; militibusque omnibus circum civita„ tem foris poſitis forte libellos quærebant goeticos & magicos (βι„ βλια γοητικα και μαγικα). Et qui ſcripſerat librum, incompactum „ projecit in flumen, captusque eſt, & cum ab illo requireretur „ dare non potuit, ſed per urbem vinctus ducebatur, auctis vero „ indiciis & probationibus pœnas dedit. (*l*). „. Denique, ut finiam, Justinianus a Constantini M. ceterorumque ſuorum prædeceſſorum veſtigiis non receſſit, dum leges pleraſque ſuo Codici inſeri juſſit, eoque ipſo comprobavit; inſuper veneficia aut seditiones (ἢ μαγγανειαι τε και ἀγυρτίαι) inter cauſſas repudiorum conjugi uni ab altero mittendorum (*m*), ac viciſſim inter rationes exheredationis librorum parentumve legitimas retulit, *ſi quis cum maleficis ut maleficus verſetur* (μετα Φαρμακων ὡς Φαρμακος) (*n*). Poſtea demum Leoni Sopho ad Seculi IX. finem, qui relligioſior videri volebat, pars poſterior legis Conſtantinianæ *adprobare incantationes* viſa eſt, quare omnes omnino incantationes (cf. L. I. §. CLXXXXV.) *ſive reſtituendæ conſervandæve valetudinis*, *ſive avertendæ a rebus frugiferis calamitatis cauſſa fecerint*, apoſtatarum pœna, ſupremo ſupplicio, adfici

(*l*) Homil. XXXVIII. in *Act. Apoſt.* n. 5. *Opp.* T. IX.

(*m*) Novell XXII c. 15.

(*n*) Novell. CXV. c. 3. 4.

vult Novella LXV. Sed ea, præterquam quod Constantini mentem non attingat, cum ceteris ejusdem Leonis Novellis nec sua quidem ætate umquam obtinuit (*o*).

OBSERVATIO IV.

XXXIX. Quemadmodum apud Græcos & Romanos ingens impostorum turba idololatriæ fraudes variis sub nominibus sustentaverat (v. L. I. §. LI. CLXXXXV.), ita idem de germanicis nationibus tenendum esse nemini dubium, ac speciatim de Francis *innumeras maleficorum artes ex ritu gentilium* superesse conqueritur Ludovicus pius (L. I. §. CXXII.). In has se armarunt nomothetæ germani, sed ita tamen, ut more apud has nationes recepto a pœnis capitalibus semper abstinerent, atque iterum nonnisi publice noxia persequerentur, testibus eorum legibus libro primo conductis. LEX SALICA Ethnicis adhuc Francis scripta, ac dein a CAROLO M. confirmata calumnias vulgares exstirpat, dum illum, qui alterum tamquam magum aut sagis ministrantem traducit, pecunia, pœna pro illis temporibus satis gravi, coercet, ni dicta sua confirmare, seu eorum convincere queat, quam legem reipublicæ quamoptime consuluisse inde clarescit, quod ita plerique ab accusatione inepta absterrebantur. (v. L. I. §. CXIV.). WISIGOTHORUM leges recensent æque vulgi fabulas, & eos tamen, qui talia se facere posse jactant, & prætextu invocationis dæmonum homines dementant, aut sacrificant dæmonibus, flagellari præcipiunt (v. *ibid.*) THEODORICUS VERONENSIS Ostrogothorum Romanorumque rex, in Italia legem de ariolis pagano ritu sacrificantibus tulit, ac forte ob frequentiam talium hominum eos capite punit, maleficos honestiores exilio, humiliores supremo supplicio mactat (*ibid.*), cujus tamen constitutionem de ariolis ad eum casum, quo de salute principis interrogati responsa dederant, restrinxerunt capitularia (v. L. I. §. CXXII. fin.), quia aliis illa mo-

(*o*) v. CUJAC. *Observ.* L. XVII. c. 31.

dis *paganias*, id eſt, conſuetudines relligionum paganicarum publice haud noxias exſcindere intenderant. Gregorius M. Epiſcopo Sardiniæ conſulit, ut hoc hominum genus verberibus excipiat (L. I. §. CXVI) quod ipſum canon: *Epiſcopi* (L. I. §. CVI.) & leges Wiſigothorum volunt. Quia vero canones eccleſiaſtici credulitatem in artem magicam prohibuerunt, reges catholici germanicarum nationum pariter officii ſui eſſe duxerant populis ſuis expreſſe declarare, ne aliquis in eam poneret fiduciam, id quod primus feciſſe legitur Rex Longob. Rotharis (L. I. §. CXVII.) In Eccleſia vero Hiſpanica Concilium Toletanum eos Clericos, qui conſulere *profitentes artem magicam* in animum inducunt, pariter, ac in orientali ſeu græca Eccleſia Trullanum illos, *qui nubes fugare dicuntur*, pœnitentiæ perpetuæ ſubjecit (ibid.). Decimus a Rothario Longobardorum rex Liutprandus ſancita eccleſiaſtica, quæ ſola prædeceſſores ſui hactenus urſerant, pœna civili pecuniaria firmavit (L. I. §. CXX.) anno poſt Ch. N. DCCXII. Karlmannus dux & Princeps Francorum in Auſtraſia, quamprimum ſolium conſcendit, eo curam ſuam intendit, ut omnes cujuscumque nominis gentilitatis reliquiæ e fideli populo ejicerentur, Epiſcopo cujusque parœciæ eam in rem excitato adjuncto ei *gravione* ſeu eccleſiæ Advocato (Kirchengraf), cui conſequenter Synodus Liptinæ in *pago Cameracenſi* anno mox ſequenti DCCXLIII. habita *indiculum paganiarum* tollendarum promulgari fecit, ubi omnes eæ fabulæ & impoſturæ memorantur, quæ poſtea de Magis Sagisve narrari cœptæ ſunt, cujusque particulam, ut quaſi ex ungue leonem cognoſceremus, attulimus (L. I. §. CXVII.), inſuper vero juſſu principali paganias fovere pergentes quindecim ſolidis multavit (L. I. §. CXX.)

XL. Carolus demum Magnus renovator Imperii occidentalis ut in ceteris numquam ſatis laudata poſteris exempla reliquit, ita pulcerrimas in rem noſtram ſanctiones edidit, quibus cultum angelorum legitimum adjuvit, credulitatem artis magicæ exſtirpavit, phylacteria & ligaturas, tamquam ſigna, quod quis huic arti ſtudeat, prohibuit, hominesque ſuperſtitionibus magicis deditos, quod a plebe fieri ſolebat, occidi vetuit, ut iidem Sacerdotum orationibus & pœnitentiæ ſupereſſent, de quibus omnibus (L. I. §. CXXI. CXXII.)

actum. Occurrit vero alia etiam via his perniciosis erroribus, dum alibi (*p*) statuit: *Pseudographæ & dubiæ narrationes, vel quæ omnino contra fidem catholicam sunt, ut epistola pessima & falsissima, quam dicunt in Hierusalem de cœlo decidisse, neque credantur, neque legantur, sed comburantur*, ne scilicet in errorem per talia atque similia scripta populus mitteretur. Quapropter V. Cl. J. GOTTL. HEINECCIUS exclamat; „ Sunt „ profecto constitutiones Carolinæ admiratione dignissimæ, quin „ ita comparatæ, ut insequentium temporum Legislatores in rubo- „ rem quodammodo dare possint. Quum enim alii Legumlatores „ eos, qui tam nefanda dæmonum ope perpetrent, feralibus flam- „ mis absumi jubeant, CAROLUS istos capitis damnari jubet, qui ea „ fieri posse, quæ pagani olim jactarint, puta striges, seu mulie- „ res volatiles reperiri, eas homines comedere, lunam cœlo devo- „ care, cordaque ex humanis corporibus eximere posse crediderint, „ ac proinde homines, quos vulgus eo nomine infamet, flammis „ tradere non dubitant (*q*). „ Est tamen quod monendus fuisset vir doctissimus. Præterquam enim, quod CAROLI hæc non absque decessorum suorum vestigiis statuentis mentem haud ubique rite perceperit, in eo vehementer fallitur, quod subjiciat ex his firmari, quam alibi (*r*) proposuit, sententiam, post legem videlicet Salicam in coercendis sortilegiis vel cullei vel vivicomburii supplicium fuisse surrogatum, rejecta mitiori illa pœna, quam ex canonibus CAROLUS M. & LUDOVICUS PIUS repetiverunt, aut etiam in corporis adflictionibus pecuniæve condemnatione consistere jusserunt. Quippe duo, quæ adfert exempla, nihil probant. Primum, quod nos ipsi suppeditamus (L. I. §. CXV.) ut & alterum de Gerberga sanctimoniali a scriptoribus gestorum filiorum Ludovici pii relatum illud dumtaxat evincunt, quod vulgus odio & adfectibus animi irregularibus

(*p*) Lib. I. Capitular. c. 78. Intelligitur vero in specie heic epistola, quam Aldebertus hæreticus publicabat, in Concilio Romano cum aliis damnata, de quo egimus Lib. I. Cap. IV. §. 21.

(*q*) *Elem. Jur. Germ.* L. II. tit. 16. §. 274. not.

(*r*) *ibid.* l. c. §. 265.

percitum homines Magorum nomine notatos etiam igne vel aqua suffocare apud Francos, sicut alias apud nationes, ab omni tempore solemne habuerit (exempla pete e L. I §. CXXIX.), hacque ipsa vulgi propensione potentiores quidam saepe abusi sint ad inimicos suos persequendos. In primo exemplo idem legenti libro superiori, id quod dixi, clarum fiet. At quis dubitet in secundo idem accidisse, quum legerit Lotharium filium Ludovici pii rebellem, Cabillonio urbe capta, Gerbergam hac ipsa in obsidione judicio populari ad ejusdem popelli auram captandam Magiae praetextu idcirco aqua interemisse, ut odio suo in Bernhardum Septimaniae ducem, Gerbergae fratrem satisfaceret (s)? Ecquis vero non videat hoc ipsum odium populare internecinum Carolum M. exstinctum ivisse? Aut quis facta turbulenta, consuetudines irrationales sapientissimis Principum constitutionibus derogare, aut contrarium quid invehere potuisse somniet? Nec itaque glossema Codicis Legis Salicae Guelpherbytani officiet, ubi notante Eccardo legitur: *sol. CC. culpabilis judicetur aut certe igni tradatur.*

OBSERVATIO V.

XLI. Pedetentim bonarum artium jactura & ignorantia succedens omnia corrupit. Jecit fundamenta ineptiarum seculum inclinans nonum cum decimo, in quibus, quae credulitatum superstitiosarum dispersa late sunt semina, in tot sequentia se diffuderunt secula, radices egerunt altissimas, fructusque tulerunt acerbissimos, licet se quidam iterum Legislatores iisdem objicerent, nominatim Colomanus Rex Ungariae (v. L I. §. CXXXI.) atque Islandi ibid. (§. CXXXIII). Pontifices has opiniones variis reprimere rescriptis satagebant supra ob oculos positis, ex disciplina veteri desumtis. Ex quo tamen Jus Romanorum politissimum in barbarie seculorum lacertos movere coepit, confirmari hae penitus videbantur. Habuerat quippe illa romanorum jurisprudentia infelicem hanc sortem, ut cum multis bonis ma-

(s) v. Ill. Bunavius *Hist. Imp.* T. III. p. 159.

la plurima inveheret; consecutione naturali, quod ea mores antiquissimos, hisque aptatas, & quod caput rei est, lingua peregrina & ignota expressas leges oculis subjiceret. Quum itaque inibi de Magis arteque magica sermo sæpius occurreret rerum antiquarum imperitis, interpretatio legum a studiosis earum tamen acerbe exigeretur, suas quisque opiniones in Vado constituebat. Atque quum in Legibus romanis nihil de sagis, nihil de feminarum deliriis Apulejo ceterisque auctoribus persæpe memoratis, utpote a jurium conditoribus explosis, neglectisque constitui viderent, mulierculæ tamen frequentissimam ipsis materiam præberent titulos juris romani suo modo adplicandi, gratulabantur sibi prolixe, incidisse se in capitulum Hincmari Rhemensis a Gratiano relatum, unde alterum illum Concilii Ancyrani canonem detorquere, atque sic demum juris romani supplere possent defectum (*t*). Quia tamen porro omnia ea, quæ mulierculis adfingebant, explicare nequibant, haud meliorem viam se inituros sperabant, quam si pactum illud, quod fex mortalium perpetuo in ore versabat, quo sibi homines cuncta a spiritu infelici stipularentur, adsciscerent, idque omnibus modis exornandum sumerent. Adlubuit tum hoc genus hominum, ferente hæreticorum inquisitionis occasione, in classem hæreticorum compingere. Obstabant quidem initio bullæ Pontificum ALEXANDRI IV. & JOHANNIS XXII. quibus magi, sortilegi, divinatores expresse ab hæreticis distinguebantur, suisque judicibus ordinariis committi jubebantur, nisi *manifeste hæretici* censerentur (L. I §. CXLI.), quo ipso superstitiones magicas alius esse generis denotabatur, nullumque cum hæresi habere consortium, ut ita *talia exercentes*, quibus verbis Alexander utitur, impietatis nota damnarentur. Obstabant hæc, inquam, graviter. At post medium abinde seculum ferventibus scholarum clamoribus *hæreseos secta* & *secta strigum* jam idem erat (*ibid.* §. CXLII. CXLIV.) ac porro illæ deplorandæ strages a credulitate artis magicæ indies exaltata editæ sunt, quas in historia data contemplati sumus, quas tamen paucis

(*t*) Videsis DELRIUM, qui medium librum quintum in eo insumit, ut evincat Canonem istum loqui de aliis longe mulieribus, quam quidem de iis, quæ hodie sagæ nominentur.

ante seculis tam Ecclesiastici quam profani legislatores ipsa hac credulitate inhibita tam sapienter præcaverunt. His vero initiis processus ille enormis adolevit a nobis Cap. I. libri hujus depictus. Quid demum igitur Carolus Imperator hujus nominis V. in medio hominum præjudiciis magicis obrutorum faceret? Tentaverat is in Germania juris criminalis reformationem, quod ab hoc præcipue jure probe constituto civitatis salus dependeat, sed uti in ceteris haud satis feliciter rem adgressus est, ita in sanctione de Magia multo infelicius versari debuit. Vidit profecto legem Constantini ad jurisprudentiam legislatoriam se quamoptime habere, sed quid mirum, si hæc consuetis seculi ratiunculis deturpata adpareat, quid mirandum, quod lex Caroli mox penitus suppressa fuerit? (v. L. I. §. CLII. CLIII.)

OBSERVATIO VI.

Atque sic quidem post Carolum V. Imperatorem nullus jam remedio locus, leges omnes ad cerebrinas opiniones inflexæ, legislatoribus priscis falsæ ideæ adfictæ, novis novæ leges ex insipidis interpretum arbitramentis suppeditatæ. Nec vero difficile est rei totius progressum divinando adsequi. Postquam enim hi processus excoqui incœpissent, atque homines Magorum nomine ad augendum hæreticorum numerum pertracti fuissent (v. L. I. §. CXXXVII. seq. CXLII. seq.), non jam attendebatur Alexandri IV. decreto, multoque minus Joannis XXII. Bullæ, quippe quæ suppressa nec umquam in corpore juris apparuit (v. ib. §. CXLI.). Quamvis ergo Alexander P. probe cavisset, ut, ne *fidei negotium per occupationes alias impediatur, pestis inquisitores hæreticæ, de divinationibus aut sortilegiis se non intromittant*, nisi hæc hæresin saperent manifeste, puta, si v. g. sortilegus hæreticis adsociatus ad sortilegium Sacramentis abutatur &c. ut adeo ex ejusmodi facto manifeste conjici queat hæresi nociva mentem animumque ejus occupari, attamen doctores nostri sua illa de pactis doctrina quævis vel paullulum superstitiosa aut ad pactum expressum aut ad implicitum referente effecerunt, ut hæc distinctio passim exploderetur, immo contra propugnaretur: sortilegia etiam simplicia & non qualificata utplurimum hæresis suspicionem, tacitam-

tamque dæmonis invocationem continere, implicaſſe vero Alexandrum P. in edicto affirmare aliquid eſſe ſuperſtitioſum abſque pacto ſaltim implicito. Unde quæ quibus poſitis ſint conſequentia, nemo eſt, qui non palpet. Quum itaque & eum, qui cum dæmone præſente ſtipuletur, & eum, qui tali aſſentiatur, vel ſaltem ipſis aſſentiri videatur, neceſſe eſſe docuerint, SS. Trinitatem abnegare, atque baptiſmo illudere, homines Magorum nomine comprehenſos ad unum omnes non ſolum hæreticos, ſed & apoſtatas baptiſmique profanatores poſt Bartolum (v. L. I. §. CXLIV.) declararunt, ideoque pœnis ſubjecerunt, quibus jus civile, ſi quidem hoc modo torqueri velit, facile ſuffragetur, quippe hæreticis *pœnitentibus delicti veniam* (*u*), apoſtatis vero *perditis, hoc eſt, ſanctum baptiſma profanantibus nullo remedio pœnitentiæ ſubveniri* (*x*) concedens. Unde porro ſortilegiorum ſuo modo inquirendorum morem negotio fidei tam parum obeſſe pronunciabant, ut contra potius hæreſin ſe abſque iſtis detegere poſſe deſperarent. Nec ergo mirandum quod Floerkius (*y*) notat, eam, de qua dicebam, diſtinctionem quoad pœnam infligendam ad LANCELLOTI tempora uſque obſervatam non fuiſſe, qui An. 1563. Inſtitutiones Juris Canonici ſecundum veteres canones compilavit, ubi in genere, nullo diſcrimine poſito, an ſortilegia hæreſin ſapiant, vel non, ad mentem Eccleſiæ veteris tradit (*z*) *ſuperſtitioſos artifices niſi per pœnitentiam reſipiſcant, perpetuo anathemate feriendos, & ſi clerici ſint, degradandos eſſe.* Nec enim poſtea obſervatam invenio; ac licet multa deinde ab aliquibus de ea differentia diſputata videam, Magiæ tamen poſtulatis eam profuiſſe non lego.

XLIII. Agnovit hunc inquirendi furorem ipſa tandem Curia romana, atque neceſſarium eſſe perſpiciens huic tam gravi malo mederi ad uſum Inquiſitorum Italiæ edidit *inſtructionem pro conſtruendis proceſſibus in cauſſis ſtrigum, ſortilegorum & maleficorum*, cujus jam (L. I. §. CLVIII.) mentionem fecimus, quæ ita incipit: „ Experien„ tia rerum magiſtra aperte docet, graviſſimos *quotidie* committi er-

Tt

(*u*) L. 4. §. 6. C de hæretic.
(*x*) L. 3. C. de Apoſt.
(*y*) de Crim. Conj. Spir. c. 9. p. 505.
(*z*) L. IV. Tit. V. §. 2.

„ rores a diversis Ordinariis, Vicariis & Inquisitoribus in formandis processibus contra strigas sive lamias & maleficas, in notabile præjudicium tam justitiæ quam hujusmodi mulierum inquisitarum, ut sacrosanctæ romanæ ac universalis inquisitionis adversus hæreticam pravitatem generali congregatione longo tempore observatum sit, VIX UMQUAM repertum fuisse aliquem processum similem recte ac juridice formatum, plerumque necesse fuisse quamplures judices reprehendere & multoties etiam punire ob indebitas vexationes, inquisitiones, carcerationes, nec non diversos malos & impertinentes modos habitos in formandis processibus, reis interrogandis, excessivis torturis inferendis &c. „. Subjungit varia monita salubria pro eo tempore prudentissima, ac inter alia: „ — Et ad hoc maxime advertere debent judices, quia multi in hoc decipiuntur falso *putantes*, *quod hujusmodi sortilegia fieri non possunt sine apostasia formali*, & hinc oriuntur maxima præjudicia mulieribus inquisitis. Judices enim minus periti vel alias nimis faciles ex *lectione aliquando librorum de sortilegiis & strigibus tractantium hoc falso præsupposito decepti* nullam viam relinquunt intactam etiam indebitam pro extorquenda confessione mulierum. — Et ut facilius se judices possint abstinere a quacumque suggestione, quando mulieres incipiunt fateri talem apostasiam, forsan melius esset, ut tunc judices obliviscerentur eorum, quæ Doctores in ista materia dicunt, quia sæpe visum est, quod judices in ordine ad ea, quæ perlegerunt apud Doctores, multa præjudicia faciunt his mulieribus „. (*a*). Ac utinam obliti fuissent, nec vota hæc cuncta vana perstitissent! Antequam ab hac observatione discedam, non mihi tempero, quin circa rationem pœnæ Magis dictatæ aliquid adhuc enotem, quod nostris recitasse lectoribus refutasse est. Quamvis scilicet nostri auctores Magos Magasque igni unanimi voce addi-

---

(*a*) Exstat hæc instructio, post Cæsaris Carenæ *Tr. de Officio Inquisitionis* cum ejusdem Carenæ notis. Item apud Jac. Pignatellum *Consultat. Canon. Noviss.* T. I. consf. 123. p. 505. & iterum T. II. consf. 202. p 537 sed, ut Tartarottus *Congr. nott.* p. 157. advertit, variis locis alterata. Ac rursus in editione Cautionis Criminalis L. I. §. 158. citata.

cant, non tamen ipsi hactenus primam suæ sententiæ rationem repererunt, quod, prout iidem dicunt, non Magus sed dæmon effectuum artis magicæ perniciosorum caussa & auctor sit, adeoque magus ipse nihil ad societatis civilis detrimentum conferat. Ad quam difficultatem removendam antiquiores tradiderunt, animum solum nocendi, delectationem ex malo illato ortam, & persuasionem se id causasse Magum huic pœnæ subjicere. Quum tamen cogitationis seu animi dumtaxat volentis nulla pœna sit, delectatio etiam ac persuasio ejusdem naturæ existant, immo falsæ & imaginariæ esse ipsis posse videretur, FLOERKIUS aliud fundamentum substituit, mandatum nempe expressum vel tacitum dæmoni datum, cui ratificatio commissi a diabolo facinoris accedat in delectatione sive complacentia ejus facti consistens. Verum excipit iterum CL. TARTAROTTUS, mandatum hoc nullum esse, quod sponte currenti calcar addat, neque ullo modo in effectum influat, quia etiam sine hoc impulsu sive mandato effectus, sumto, quod Deus id dæmonio ab hominibus cogi nescio indulsisset, secutus fuisset, quapropter delictum Magi rursus in delectationem aut complacentiam recidat ab ipso Floerkio rejectam. Unde novas dæmonographis suppetias laturus ita præcipit, fundamentum hujus pœnæ constituendum esse in stimulo seu motivo, quod Magus Deo faciat ad permittendum illud malum, quale non modo ad aliorum hominum, sed & ipsius Magi ob injusta ab eo concepta desideria punitionem, atque ut adhærens dæmoni eo magis obcœcetur, a supremo numine admittatur. Quamobrem Mago, qui novum iræ momentum in Deo produxerit, malum esse imputandum (*b*).

OBSERVATIO VII.

XLIV. Omnibus his ita excussis nihil remanet, quam ut secundum notionem directricem definitionis magno molimine supra (L. I. §. CCXVI.) exstructæ dijudicemus, quid in judiciis criminalibus

(*b*) v. FLOERK. l. c. c. 4. §. 3. not. penult. TARTAR. *Congress. nott.* L. II. c. 13.

pro norma præ oculis habere conveniat. Quum igitur crimen magiæ ſit *acceſſus mentis ad ſatanam cum fiducia aliquid ab eo obtinendi*, iſte vero acceſſus vel doloſus, vel culpoſus dumtaxat eſſe queat, ſequitur, ut illud crimen duplicem viſionem habeat, prout ſcilicet is acceſſus fiduciam vel magis vel minus quoad forum externum imputabilem progenerat. Quare ut ordine procedamus, ita diſtinguendum reor. I. Acceſſus doloſus profecto idololatriam, blaſphemiam, apoſtaſiam conſtituere poteſt; ſed advertendum: talem acceſſum vix inter homines probari poſſe (*c*) id, quod jam tum ferventibus contra magos inquiſitionibus non pauci ſcholaſticorum docuiſſe videntur, ex quibus unum heic adducam. „ *Quando contra magos*, inquit is, *proceditur ex* „ *aliquibus tantum operibus magiæ*, & familiares cum dæmone, ipſique poſtea examinati fatentur ſe interius dæmonem adoraſſe utque „ verum Deum habuiſſe eo tamen animo dumtaxat, ut commodum „ aliquod ab illo perciperent, difficillimum eſt definire, an vere in „ hæreſim inciderint, fidemque amiſerint, ita ut abjurent in forma, „ & pœnis reliquis hæreticorum ſubjiciantur. Scilicet hominem inter nos educatum & inſtructum, quique ſimul fateatur, ſe perſuaſum habere dæmonem eſſe damnatum a Deo ad inferna, credere ipſum verum eſſe Deum; maxime quia non cogitur ad id credendum tam ex motivis intrinſecis, quæ id reddant credibile, quam „ ex motivo extrinſeco utilitatis, quam tantum intendit. (*d*) „ Quapropter legislator humanus non habet jus talem actum præſumendi, ſeu in eam partem interpretandi graviſſimoque errandi, ac ita injuſtitiam ſummam committendi periculo ſe exponeret, ſi eum acceſſum ex præſumto fortaſſis pacto diabolico colligere vellet. Hinc non poterit, niſi forte ex ſcriptura hoc fine exarata & apud maleficum reperta abnegationem Dei oblationemque ſui diabolo factam imputare, quod probationes luce meridiana clariores requirantur; quale etiam ſceleratum factum blaſphemiam produceret, pœnasque huic proprias, numquam tamen perfectam ad dæmonem, ut vocant, apo-

(*c*) Confer. quæ hoc Libro II. §. 24. 25. docta ſunt, & Lib. I. cap. 5.

(*d*) Moura *de Enſalmis* ſect. 2. c. 1. n. 36.

ſtaſiam meo judicio concludi ſineret, quam de homine ſemel per baptiſmi januam in eccleſiam Chriſti ingreſſo nullo modo externe concipere valemus, unde neque talis apoſtaſia umquam in tota antiquitate quoad pœnam criminalem infligendam præſumta fuiſſe legitur. Quare ſi forte Novellam Imp. Leonis libro hoc ſecundo §. XXXVIII. adductam objicias, quæ tamen vel ideo numquam uſu recepta aut adprobata dici poteſt, reſpondemus ut omnes fere ejus leges ita & hanc magis philoſophiam quamdam ſcholæ quam fori ſapere, crimenque fori interni cum crimine fori externi commiſcere. Nec ideo uſu recepta eſt, quod eam dæmonographi paſſim adlegent. cf. Obſ. III. §. XXXVIII.

XLV. II. Acceſſus culpoſus eſt recurſus ad dæmonem, de quo Cardinalis CAJETANUS ait, *recurſum ad dæmonem non ſapere hæreſin manifeſte, quatenus poteſt ab invocante denudari ab idololatria & hæreſi.* (*e*). Nimis tamen modeſte idem Cardinalis ſubjecit: „ Hæc autem accipe dicta theologice, quoniam non me impedit, an juris intentio ſit, quod contra ſortilegos cum injuria Sacramentorum inquiſitores procedant. Gaudeat unaquæque ſcientia ſuis terminis „. Juris enim intentio numquam poterat alia eſſe, quam ut tales, raro autem tales ſunt magi ita dicti, ſimul ut ſacrilegos puniret. Porro tamen plebs, ſicut ſemper ex ideis obſcuris inferre ſolet, adjecit III. Oblatam & a diabolo acceptatam conventionem, quæ itaque etiam *aliunde* prout eleganter Jo. SAM. FR. BOEHMERUS loquitur (*f*), *quam* ex confeſſione maleficorum cognoſci nequit, cui nihil prorſus ſuffragatur, ſive rationem ſcientiæ, quæ ſemper deeſt, ſpectes, ſive veroſimilitudinem, quæ confeſſioni ut effectum producat, cohærere debet; quæ nos cuncta late in ſuperioribus demonſtravimus. Corruunt inde, quæ ſuppoſito hoc pacto more ſuo adſtruxit DELRIUS (*g*). *Quod ſi*, ait, *ex animo fidem abjiciant, Magi ſunt etiam apoſtatæ* (nos declaramus v. §. præc.), *ſi vero non totam fidem abjiciant, dumtaxat credentes hunc diabolo cultum deberi vel diabolum ea poſſe, quæ fides Catholica negat poſſe, ſunt hæretici.* (Nos quærimus, an hi homines poſ-

Tt 3

(*e*) In COMMENT. ad *Thomæ ſummam* 22. qu. 95.

(*f*) ad CARPZOV. P. I. q. 49. Obſ. I.

(*g*) D. M. L. II. q. 4.

ſint haberi hæretici, qui hunc cultum diabolo credunt deberi, quia ita fuerunt ſeducti, aut inſtructi, ut hoc & illud ſe obtinere ſperare queant, an hæretici ſint, qui variam potentiam diabolo tribuunt, poſtquam dæmonis poteſtatem nec ullus dæmonographorum diffinire poteſt, immo poſtquam illi ipſi de eadem tam abſona tradunt?) *Si hæc omnia ficte faciant, nec Apoſtatæ, nec hæretici ſunt, peccant tamen mortaliter, & graviſſime, quia ſponte faciunt actum idololatricum.* In hoc ipſo autem nos acceſſum culpoſum ponimus, atque inſuper, ſi cum ſcandalo publico fiat, corporaliter puniri debere cenſemus.

XLVI. Quæri poſſet, quod ſi quis ſanæ alias mentis homo prædictæ vulgi doctrinæ fidens ſibi imaginaretur ſe eſſe Magum, conventuum diabolicorum deſiderio teneretur, & ſe diſponeret ad hos conventus, an puniri debeat? Movebant eam olim quæſtionem Triumviri Peireskius, Malebranchius, Baylius, neque dubitabant affirmando reſpondere (*h*). Sed iidem commiſcentes regulas imputationis in foro interiori cum normis fori externi non perpendebant cogitationis pœnam neminem pati, neque Magiſtratum in id conſtitutum eſſe, ut interna cujusvis hominis deſideria, internas volitiones rectificet, emendationem vero cordis non niſi a Deo impetrandam eſſe. Quo fundamento tum temporis alii negabant eos ſaltim Magos, Magasve, qui quæve licet fœdus cum diabolo iniviſſent, nemini tamen nocuiſſent, ignis pœna plecti debere, quam ſententiam præter plures Floerkio citatos (*i*) deinde Harprechtus (*k*) & Gerh. Titius (*l*) cum Eric. Mauritio (*m*) & Facultate Juridica Tubingensi propugnabant. At iſtud placitum nemini tum perſuaſerant, quod plerique cum Christophoro Besoldo (*n*) replicarent, *Magos haudquaquam in cogitatione peccare dumtaxat, ſed hanc eos per actum externum coram præſente diabolo declarare.* Quare & conſtitutio criminalis Electoris Saxoniæ idem

(*h*) v. Bayle *reſponſe aux queſtions d'un Provincial* T. I. cap. 35.

(*i*) l. c. p. 510.

(*k*) Ad Inſtitut. de *publ. jud.* §. 5. n. 356.

(*l*) Probe des Geiſtl. Rechtes L. III. c. 5. §. 62. *Juris privat.* L. IX c. 15.

(*m*) Conſil. Chilon. Part. II. Cons. XI. p. 311.

(*n*) Conſ. Tubingenſ. Part. IV. Cons. 184.

rejecit, eumque in ſenſum etiam criminalem carolinam, licet invitam traxerunt, ſicut eam FLOERKIUS l. c. quoque explicat. Hoc ſcilicet perpetui moris fuit noſtris hominibus, ut confeſſiones ab inquiſitis extortas variis ſuis conſequentiis onerarent, tum denunciationibus aliiſque interrogatiunculis obruerent, ut reum denunciatum ſive nocere exiſtimatus fuit, ſeu non nocuiſſe diceretur, ſemper pactum cum dæmone ſtipulatum & conventum feciſſe in Protocollo adnotaretur, unde cetera delicta ſponte fluerent, ut adeo damnum ſive reapſe datum ſive poſſibile, tum pactum, dein apoſtaſia, hæreſis &c. Labyrinthum quemdam conficerent, in quo, ubicunque inciperetur, in eundem omnino exitum fatalem eheu! & funeſtum res decurreret. Nobis nec quidpiam fingendum, nec præter rei naturam ſupponendum eſſe fixum eſto.

OBSERVATIO VIII.

XLVII. At enimvero poſſimne aut praxin juriſprudentiæ legislatoriæ dignius illuſtrare, aut theoriæ datæ adplicationem accommodatius docere, quam ſi connitar præſtantiſſimam illam legem, quæ ſub hoc tempus, An. MDCCLXVI. 5 Novemb. ab AUGUSTA DOMINA NOSTRA emanavit, qua eadem glorioſum annoſi ſui regiminis curſum tanto illuſtriorem reddidit, exponere? Id tamen, antequam eo veniam, perpendendum eſt noſtræ ætatis Legislatorem liberum præjudiciis tripliciter in objecto noſtro verſari poſſe. Vel enim omnino doctrinam illam abſurdam de magicis rebus ſe tollere declarabit, Magiæ vulgo ſumtæ effectum omnino negabit, ejuſque in ſuo regno inculpationes audiri nolet, nec iis aurem præbebit. Vel ſupponet quidem factum, conceptuſque vulgares, omnibus tamen modis cavebit, ne ulla umquam horum occaſione injuſtitia committi queat, populumque ad perquirendas factorum circumſtantias manu quaſi ducet, ut ita progreſſu temporis populus ipſe credulitatis ſuæ anſas pernoſcere diſcat, reſque per ſe ipſam evaneſcat. Vel demum nihil de tota re ſtatuet, atque has opiniunculas omnino negliget. Prima via, uti nihil difficultatis habet, ſolum crimen artis magicæ ſenſu plebeo intellectum e medio tollit, ſed non obſervat omnes rei hujus latentes ſæpe περιστασεις, nec

effectus criminis Magiæ a nobis definiti considerat, quare legislatori non convenit. Altera vero, tertiam enim nimis in reipublicæ administrandæ regulas impingere est in propatulo, ambabus quin amplectenda sit ulnis, ambigendum non est. Scilicet perpetuo in plebe reperietur dogma de pactis cum spiritibus, horumque indicibili quadam potentia, perpetuo aderunt curiosi, qui varia tentent, ac alii, qui horum ignorantia aut naturali hebetudine abutantur; nec ullus Legislatorum potuit hæc umquam, nec poterit nisi magna industria & ne tunc quidem, penitus exterminare, unde rursus perpetuo fluet jactatio artis cujusdam magicæ, & ex ejus persuasione crimen Magiæ. Veteres Legislatores influxum jactatæ artis in Rempublicam in sceleribus, suo illo quamvis nunquam obtento fine patratis exsciderant, nec tamen vel verbo Magorum systema atque doctrinam, seu pactis, seu rerum naturalium propriæ virtuti seu utrique innixam tetigerunt, aut fanatica eorum retexerunt Principia. Alii Effectus harum opinionum se optime posse tollere rebantur, si credulitatem in Artem magicam pœnis etiam gravissimis, Islandis atque Francis testibus, plecterent. Ecclesia ipsa in hanc credulitatem varias statuit pœnitentias, quæ omnia suis locis habentur. Hodie postquam pœnitentiæ Ecclesiæ veteris in desuetudinem abierunt, hæc ipsa credulitas repagulum nullum invenit, ut adeo tam vetus orbis malum eo magis repullulascere viderimus. Quid igitur nomothetæ consilii? Melius profecto nullum, quam si factum Artis magicæ vulgaresque conceptus supponat, ac ejus incusationes quidem admittat, verum tamen judices simul instruat, quomodo ii varios sub hoc efficto crimine errores, varia scelera veraque crimina superstitionesque multifarias Reipublicæ quam maxmie noxias detegere queant, omnia denique eum in finem dirigere, ut tota opinio Artis cum tempore collabascere queat, si Populus semel factorum inquisitioni providoque examini attendere, vel imminere didicerit. Et quidni Nomotheta factum supponat? quum ejus non sit in Edicto de rei existentia disceptare, ne sive negaverit, sive affirmaverit, prout varia hominum sunt ingenia, criminationibus

edicta

edicta propinet, eorumque finem legitimum posthabeat (*o*)? Si ergo simul sacerdotibus injunxerit, ut artis magicæ credulitatem secundum veterem Ecclesiæ mentem, qua pote eliminent, fiducia in Deum confortata Dæmonophobiam præcaveant, Legislator suo officio plane satisfecerit. Ita enim impediet eruptionem multorum scelerum, parabit Medicinam popularis phantasiæ morbis, doctoris etiam officio fungetur, qui intellectum subditorum informet, opiniones, quæ multiformes ad artem magicam effingendam concurrerunt, ita paullatim ut invaluerunt, eradicabit, cohibebit curiositatem plebis extravagantem, quæ per quatuor & quod excurrit, secula nimium quantum prolecta fuerat, commonstrabit ipso facto leges antecessorum suorum ex præjudiciis esse latas, atque sic porro optimos legis suæ effectus obtinebit, calumniis vulgi quoque hoc modo (*p*) rescissis, ac fama bona communi velut aura subditis suis præstita.

OBSERVATIO IX.

XLVIII. Observemus nunc, quas statuendi normas AUGUSTA NOSTRA jurisprudentia Legislatrice instructissima tenuerit. Scimus id omnes, quotquot felicissimo ejus sceptro subjectis esse contigit, quanta providentia numerosi ejusmodi sub hoc Regno, qui evenerunt casus, examinati sint, quam tristes inde Reipublicæ ipsi minaces turbæ singulari ejusdem DOMINÆ sapientia compositæ, illa sola præeunte detectæ, ac ita demum fontibus, ex quibus eæ profluxerant, in phantasia humana utplurimum repertis facillimum habuerint exitum. Ipse ego benigna hac fortuna usus sum, ut aliquot ejus generis exempla adlegare, eorumque occasione rescripta, edictaque divalia

(*o*) SENECA Ep. XCIV. *Legem brevem esse oportet, quo facilius ab imperitis teneatur, velut emissa divinitus vox sit. Jubeat non disputet.*

(*o*) Calumnias Magiæ summis quoque viris olim impactas elegantet retexit GABRIEL NAUDÆUS *dans l'Apologie pour les grands personnages faussement soupçonnès de Magie.* Paris 1625. 8. Hagæ comitum 1652. Amstelod. 1712. 8. Est hæc apologia germanice versa in REICHII Schriften vom Unfuge des Hexenprocesses Halæ 1704. usque 1712. editis T. II. Sed versio nævis scatet. v. Wahrlieb Richtigkeit der Hex. p. 158.

commemorare queam. Habuimus libro hoc (C. I. §. XV. not. *t.*) facti ſpeciem ex Croatia Anni MDCCLII. Sequente mox Anno MDCCLIII. quum ſuperſtitioſæ *Chriſtophori & Coronæ preces* ita dictæ invaluiſſent, quibus multi ſimplices ad effodiendos ac recuperandos e terra theſauros adlecti pecunia emungebantur, multaque committerentur hoc ſub prætextu ſcelera, reſcripſit Augusta, quo ſubditis anſa horum delictorum adimeretur, ut Magiſtratus omnes eos libros ſeu manuſcriptos, ſeu impreſſos, qui per ſimiles preces conjurationesve auxilium ſatanæ in detegendis pecuniis promitterent, ſemper & ubique conquirerent, ipſos vero ceteros ſubditos adſtrinxit, ut intra trium menſium ſpatium ejusmodi ſcripturas extradant, ni contumaces aliorum occultatorum aut hæreticos libros diſtribuentium pœnam ſubire velint, prout integrum reſcriptum huic libro ſubnexum oſtendit. Quod ipſos autem talibus precibus utentes attinet, jam adnotaverat Dn. Bratschius (*q*): eos ad numellas & labores publicos damnari. Eo deinceps eluctata eſt ſuperſtitio, ut poſt aliquam intercapedinem reducto more Vampyros in Moravia perſequi inciperent Anno MDCCLIV. (v. L. I. C. IV. §. CLXV. CLXVI.), quod factum, quum Dominæ animos non parum irritaſſet, ſeveris id mandatis in poſterum cohibuit, atque ſine Politici Regiminis concurſu quidquam, quod magiam vulgarem ſapiat, inquiri vetuit, ad ſe vero caſus ſingulos referri voluit, ut rurſus reſcriptum adjectum habet. Hoc modo inſignem Magiæ ramum exſtirpatum eſſe læti conſpeximus.

XLIX. Aliud Reſcriptum quod ad meas devenit manus, de Anno MDCCLVI, reum quemdam in Bohemia, quem Judices capitis damnaverant, ut hominem *ſimplicem, ſed malitioſum tamen* ad Ergaſtulum publicum relegat, ut ibi per Sacerdotes in Relligione inſtruatur, de cujus inſtructionis effectu ad se iterum relatio fiat, plane ad mentem omnium priſcorum Legislatorum, ut Hiſtoria data dòcet, &

(*q*) In den Anmerk. über die peinliche Landger. Ord. Ferd. III. p. 159. daß welche das Christophori Gebett betten, willkührlich auf eine Zeit zu der öffentlichen Herrschaftsarbeit in Band und Eisen verurtheilet werden.

ex parte obſervaverat cl. TARTAROTTUS (*r*). Sed & inſimul generaliter illud ſtatuit, ut ſi in poſterum ex capite ſortilegii ſuperſtitionis aut Magiæ indicationes fierent, poſt inquiſitionem peractam ne ullus inquiſito actus præjudicium inferens abſque immediata Majeſtatis ſuæ informatione ſuſcipiatur. Denique Archiepiſcopus Pragenſis monetur ut Clericos, Parochos & Miſſionarios exſtirpationi ſuperſtitionum & ſortilegiorum accuratiſſime imminere jubeat. Ex his in aprico conſtituitur, AUGUSTAM DOMINAM, qua mira eſt ſapientia, ſemper eam in legislatione ſua tenuiſſe viam, quæ a noſtra juriſprudentia omnino præcipitur. Sed ne etiam in futurum umquam aliquid deeſſet, ab Auguſtali cura ſub finem Anni elapſi MDCCLXVI. plena Directio pro Judicibus, interea, dum novus Legum codex compilatur, typis evulgata eſt, in qua merito quodam proprio SUO glo- §. 7.
riatur, SE quod ſimiles proceſſus perpetuo ante publicationem ſententiæ ad SE devolvi voluerit, ſumma mentis cautione effeciſſe ut toto illuſtri regiminis ſui tempore, id eſt, viginti ſeptem annorum ſpatio in tam vaſto imperio nec Magus, nec ſaga vulgi ſenſu reperti fuerint, ſed tales proceſſus vel exemplari caſtigatione ſtellionum, vel incluſione ſtultorum, vel cum ipſa verorum criminum aliorum perſecutione deflagraverint. Verum ut Regulas Juriſprudentiæ legislatoriæ inde abſtrahere valeamus, per ſingula divalis Legis capita eundum eſt.

L. Principio igitur præmiſſa Magiæ vulgo ſumtæ Definitione, §. 1.
ac exploſa perſuaſione credula de continua Magorum & Maleficorum 2. 3.
exiſtentia in retroactis temporibus plus juſto, & ad ſuperſtitionem uſque increbreſcente, docentur Judices, ut ſi quando in aliquem Magiæ inculpatio deſideat, non ex ulla veteri vana opinione, ſola denunciatione §. 4.
aut meris præſumtionibus, ſine quibus olim has cauſſas tractari poſſe ſperaverant, uti ex capite I. hujus Libri II. manifeſtum fit, contra ſubditos Majeſtatis ſuæ procedatur, verum ii perpetuo differentiam ante oculos habeant, an 1. Actus ſortilegii ex fraudulentia, vel 2. ex amentia proveniant, vel 3. in mero attentato ſubſiſtant, vel demum 4. ex ſuppoſitione veram Magiam contineant. Quo quarto

(*r*) *Congreſ. nott.* pag. 110. 146.

casu judicibus inculcatur, ne ex sola confessione inquisiti, aut fallaci-
bus præsumtionibus, neve ex rebus talibus, quæ ex casu quodam im-
præviso, vel ex propria reorum malitia naturaliter contingere possint,
continuo ad pactum aliquod cum diabolo decurratur, sed in casibus
dubiis, & quæ species non erunt dubiæ? Semper censeant ejusmodi fa-
§. 6. ctas confessiones similiave tentamina ex fraude quadam, aut simulatio-
ne malitiosa, vel circumstantiis id colligi sinentibus ex delirio sensu-
umve depravatione, vel ex mero attentato processisse. Quæ cuncta, ut
eo exactius exequantur, quæstoribus capitalibus severe inhibetur, ne
corpus quoddam delicti ex probationibus stigmatum, aquæ frigidæ simi-
libusque (de quibus nos L. II. C. I. §. XXVI. — XXX.), aut ex infusione
§. 5. potionis cujusdam, aut illinitione unguentorum ad maleficia depellen-
da (v. *ibid.* §. XVIII. XXIII.) confingant. Contra potius primo
loco cavetur, ut veritatem facti ejusque singularem proprietatem, an
naturale an præternaturale sit, deinde animi characterem, vitæ ante-
actæ circumstantias, an persona simplex, an malitiosa, aut fallaciarum
plena earumve suspecta, corporis pathematibus, an vehementibus
animi passionibus laboret, perquirant, tum omnes, quæ ante, pe-
nes, aut post factum circumstant res, ipsiusque inquisiti vitæ genus
clam indagent, denique etiam ad accuratam corporis delicti, aut
inquisiti mentis corporisve indolis notitiam consequendam peritos me-
dicos, & physicos adhibeant. Recte eam in rem monuit olim Fer-
nelius (s): *Infinitas esse melancholicorum species, qualis nimirum olim
fuerit cujusve intenta cogitatio, aut qualis vitæ conditio, talis sese repræ-
sentat melancholica deliratio. Nam quod Aristoteles literis prodidit, ut vi-
num potantium naturæ & moribus, ita sane melancholia laborantium consti-
tutioni sese accommodat.*

LI. Explicata possibilitate priorum trium casuum, ad quos judices respicere jubentur, ac eo præmonito, ut si quando judices inferiores, postquam omnia præsenti lege præscripta adminicula curate adhibuissent, tamen adhuc casum magiæ veræ existere opinentur, post peractam plene inquisitionem, ne publicationem alicujus sen-

(s) De morbis cerebri. *Pathologiæ.* L. V. c. 2.

tentiæ fufcipiant, fed eventum totum cum acclufione actorum *inquifitionalium* judicio fuperiori defcribant, judex vero fuperior eumdem cum adpofitione fui arbitramenti, Majeftati fuæ fignificet, a qua demum fuprema decifio expectanda fit, eo inquam præmonito ad indiciorum doctrinam fit progreffio. Indicia, in quibus nullus ut olim (v. L. I. C. IV. §. CLII.) circulus vitiofus admittitur, habita rurfus præ oculis differentia mox (§. præc.) memorata, & pro iis omnibus fimul cafibus enumerantur fequentia. INDICIA AD INQUI- §. 8
SITIONEM: fi perfona, quæ tentamenta magica certo feciffe fcitur, confocios nominet, hujusque fide dignas conjecturas, aut figna certa proferat: fi communis præfumtio aliquem de noxis hominibus, & pecori, veneno, aut fimilibus rebus illatis, redarguat, damnum datum in aperto fit, perfona fufpecta etiam ejus conditionis fit, ut tale aliquid de ea præfumi queat; fi teftibus idoneis conftet talem perfonam artibus prohibitis & divinationi inhærere. Quod fi in inquifitione con- §. 9
ftiterit, factum, damnum aliave, quorum perfona quædam infimulatur, delicta fe ita habere, datur judici licentia fufpectam ejusmodi perfonam, ex prædictis aliisve ejus generis indiciis in cuftodias ducendi, modo in ipfa captura advertat, ut mox ejufdem veftes & habitaculum perquirantur, an non res noxiæ, veluti venenum, infectis, impurisve aliis rebus repletæ pixides, offa humanorum cadaverum, hoftiæ, perforatæ fanctorum imagines, fpecula divinatoria, libri magici, fcripturæ figillatæ, aut non figillatæ pacti diabolici attentati, & oblationes fui diabolo factæ, ac fi quæ fimilia penes ipfam fortaffis reperiantur. Tum de tortura, cujus occafione olim tam grandes & numerofæ commiffæ funt injuftitiæ, ita caute præcipitur, ut omnes illi errores, qui ab imprudentia judicum timeri poterant, longiffime removeantur. INDICIA enim AD TORTURAM §. 10.
aliqua tunc folum exiftere poffe dicuntur, ubi magnum fimul damnum hominibus, pecori aut fructibus, agrisque inflictum fit, vel alia pœnam capitalem poft fe trahentia concurrant delicta fat violentibus fecundum fuam quæque naturam preffa indiciis; ubi autem de fola Magia, vera quidem judicibus vifa ageretur, ibi contra perfonam quantivis pretii indiciis gravatam torturam numquam decerni fua Majeftas voluit, fed fibi potius poft peractam inquifitio-

nem totius eventus relationem, cum omnibus circumſtantiis & indiciis per Judicem ſuperiorem transmitti.

LII. Sequuntur INTERROGATORIA pro quovis caſu prædi-
§. 11. cto SPECIALIA. In primo caſu fraudulosæ ſimulationis quærendum eſt ex reo, quibus de cauſſis, ex quo fine tales actus ſuſceperit, quis eum ita inſtruxerit, quos in iis artibus ſocios habuerit, & quid ii per hoc intenderint? Quomodo, qua occaſione, quo tempore, quo loco, quam ſæpe, atque in cujus præſentia ſimulatos ejus generis actus, patraverit, an per eos damnum & quale contigerit? Huc omnino revocandum eſt damnum, quod alii ex conterritione, metu nimio & imaginatione ab ejusmodi ſcurris valide iritata acceperunt, quum verba horrida murmurando terrores lethales mentibus credulis ingeſſerunt (*t*). Quare hæc ſimiliave interrogatoria ex ipſis variæ naturæ factis earumque circumſtantiis reſultantia inquiſitis proponi jubentur, poſt quorum confeſſionem Judex ipſe adſtringitur, mox ut veritatem hujusdem confeſſionis ubique locorum indaget, ut adeo *corpus delicti* eruat, ſine quo nudæ confeſſioni, quæ ipſo facto haud confirmetur, confidendum non eſſe iterato inculcatur. In caſu ſecundo ubi probabile redditur ejusmodi res ex ſtoliditate, & mentis aut corporis infirmitate accidiſſe (conſule heic nos ſupra L. I. §. XXVII. CCXIII. L. II. §. XXI — XXV.) interrogationes eo dirigendæ, ut varii emotæ mentis, aut morbi gradus pateſcant; & an non ſuſceptorum actuum ſuperſtitioſorum tempore malitia aut culpa concurriſſe argui queat, quam in rem rurſus medicorum conſultatio eaque omnia præſcribuntur, quæ in fine §. præc. L. habentur (*u*). Tertio caſu, ſi inquiſitus ſalutis ſuæ immemor, fruſtranee licet attentaſſet, cum ſpiritu malo familiaritatem aut commercium atque ab eo auxilium adſiſtentiamve

(*t*) cf de Sinis ſup. L. I §. 197. not. *a*. De vetulis faſcinantibus ibid. §. 70. Leges romanæ in eos advertunt, qui leves *hominum animos ſuperſtitione numinis terrent* L. 30. de pœnis, & in circulatores, ſi cui *ob ſerpentium metum damnum dent*. L. ult. de extr. crim.

(*u*) De hominibus, qui ſibi firmiter perſuadebant ſe ipſos eſſe Magos vulgari ſenſu, exempla habet Bohniu. de *officio medici clinico & forenſi* P. II. c. 6. p. 679. Quomodo romani in ejus generis caſibus proceſſerint, oſtendit lex 23. §. fin. ad *L. Aq.* ibi: *Si quis hominem vivum falſo confitetur occidiſſe, & poſtea paratus ſit oſtendere hominem vivum eſſe, Julianus ſcribit ceſſare Aquiliam, quamvis confeſſus ſit ſe occidiſſe.*

obtinere conatus fuiſſet, ſciſcitandum foret, qua via conjuratio mali ſpiritus, vel ſui oblatio, quibus verbis operibus cerimoniis, & expreſſionibus peracta ſit, ea fini, ut ita voluntas ſcelerata ejusve gradus patefiat, atque an non blaſphemia intercurrerit, detegatur. cf. obſ. noſtra VII. §. XLIV. XLV. Si demum Judicibus præternaturalia quædam magice effecta eſſe videantur, tum ii quæſtionibus accommodis indagare debebunt, qua via, qua præparatione, cujus adjutorio ſimilia effecerit, & quomodo prætextum forte pactum diabolicum ſeſe habeat.

LIII. POENÆ iſtæ ſunt: ſi quis ex malitioſa ſimulatione, levitate animi, variis privati commodi finibus, aut plane ex deſpera- §. 4. 12.
tione eo devenit, ut ſe magum, divinatorem, magicum artificem eſſe jactet, vel absque expreſſa hujusmodi jactatione ejus ſuſpicionis actiones conſulto ſuſcipiat, velut conjurationem ſatanæ, devotiones magicas, (cf. L. I. §. XXXVI.) res, quasdam ad hominum pecoris aut fructuum campeſtrium detrimentum comparatas præparet aut cuſtodiat, atque ſi quidem tunc ſimul aliquod pœnam capitalem promeritum delictum, puta veneno aut aliis modis procuratam hominis cædem, incendii excitationem &c. perfecerit, is propria ei delicto pœna afficiatur, quæ tamen eo caſu ob jactatam artem magicam exaſperari debeat. Quod ſi autem nullum præterea aliud capitale delictum patraverit, ſtellio talis ſecundum malitiæ menſuram convenienti pœna corporis afflictiva coerceatur relegatione ſimul, ſi extraneus foret, ex omnibus terris hæreditariis poſt urphedam præſtitam multandus. Nos in toto hoc opere vidimus teterrimos hujusmodi nebulones propter nefanda ſcelera ſub prætextu artis cujusdam magicæ varia ſecundum varia diverſarum nationum principia, opiniones, & περιςασεις, legum vindictam perpetuo expertos fuiſſe; quare & jam olim eos NEBUCADNEZAR interfecit (x), SAUL regno ejecit (y), apud Perſas ſub DARIO HYSTASPIDE occiſi ſunt omnes, quod adeo reipublicæ utile habitum eſt, ut multis deinde annis in Babylonia feſtum ſolemne Μαγοφοριας nomine celebraretur teſte HERODOTO L. III. atque apud Gothos BLODYXE Rex a cruenta ſecuri nomen habens Ragnvaldum Regem ſortilegum cumque illo ſortilegos LXXX.

(x) DAN. II. 12. 13. (y) I. REG. c. 28.

uno tempore cremavit (ʒ), quod hi homines ſuis impoſturis & auctoritate ſuperſtitionibus adquiſita populos miſere turbarent. Atque huc omnino pertinet quod de pernicioſis in republica romana motibus per eosdem excitatis in libros juris romani relatum interpretes hucuſque omnes mirum in modum divexavit. Intelligo legem VI. C. Juſt. *de malefic.* quam ii de mente legislatorum genuina ſive incuria quadam ſive ſuperſtitione præpediente haud ſolliciti cimmeriis opplent tenebris. Illi qui adhuc tolerabiles videri volebant, nihil in ea inveniebant lege, quam ſpirituum conjurationem. *Quamquam in ſpecie*, ait Jo. Floerkius (*a*) *conjuratores ſpirituum hac lege comprehenſos eſſe conſtat ex verbis*: & manibus accitis audent ventilare; *attamen Conſtantius eos tunc demum puniendos voluit, ſi ſcilicet animarum & ſpirituum coactiones factæ ſint ad labem alteri conciliandam, ut liquet ex verbis*: ut quisquis &c. Ego non video quid homines non prorſus rudes ita loqui impulerit, ut ſe ipſos non intelligerent. Quis enim umquam ſpiritus coactos in tota antiquitate legit? Quis recentiori tempore aut vidit aut expertus eſt? Quis ſpiritus cogi ad noxiam aliis inferendam concipere queat? Quo deinde illa verba *ventilare, & malis artibus conficere*? Et tamen eos ſpirituum conjuratores, de quibus idem Floerkius vaſtum volumen meris alienis refertum compilavit, ab Auguſtis ad ultimum damnatos fuiſſe ſupplicium ſecure pronunciant. Miror cur eam legem non potius ad damnatas Jure Conſultorum cruces referre, quam eamdem tantis tricis & ineptiis implicare maluerint, exhorreo, quod eam ad judicium de vita & ſanguine humano noſtro ævo ferendum accerſiverint. Neque, quod addunt Auguſti illud: *manibus accitis*: ipſam ſpirituum adparitionem indicat, ſed ſtultam & improbam eorum hominum molitionem, quam nonniſi aliud agendo duabus voculis hiſtorice lex recenſet. Cf. L. I. c. I. §. XXXVIII. (*b*).

LIV. Sed revocat nos Dominæ Decretum. Si jactatio, arrogatio, molimen, aut etiam ultronea confeſſio rerum vulgo magicarum, ex phantaſia melancholica, corrupta imaginatione. ſtoliditate, aut ſimili infirmitate proceſſerit, tum talis homo miſerandus, vel, ſi pla-

(ʒ) Rudbeck. *Atlant.* P. II. c. 6. p. 514.

(*a*) de *crim. conj. ſpir.* c. 9. §. 4. p. 490.

(*b*) Quomodo vero alii horum nequam hominum ſuas doctrinas inſtruxerint, poſteriores inprimis hæretici, evidenter oſtendi ex Tertulliano Lib. I. §. XCIX.

plane ratione decidit, inter maniacos, vel si mentis conturbatio ex morbo incidente nata esset, in nosocomium relegandus, utrobique vero necessariis auxiliis ex charitate christiana alterutri subveniendum erit. Si tamen inquisitus his sub circumstantiis ipsius facti, tunc, cum id posuisset, sibi aliquatenus conscius fuisset, atque idcirco malitia aliqua aut culpa intercurrisset, is etiam, modo castigationis externæ capax sit, arbitrarie puniendus erit. Deinde si quis salutis suæ immemor fœdus cum diabolo icere, seu ad obtinendum ab eo auxilium malis actionibus magiam vulgo sumtam spirantibus, velut præmeditata evocatione aut conjuratione satanæ item exarata pacti scriptione similibusque usus omnia ea serio attentasset, quæ ad commercii diabolici finem sibi necessaria esse putavit, etsi effectu sperato caruerit, iisdem, quæ in primo casu enarratæ sunt (§. præc.), subditur pœnis, hoc desuper addito, quodsi in exarata pacti scriptura, vel & alias immediate blasphemas adhibuerit expressiones, igne, blasphemorum pœna, extirpandum esse. Demum si Judices ex imperscrutabilibus sibi circumstantiis ad veram Magiam concludere se debere opinentur, in hoc extraordinario forte casu Majestas sua communicato sibi toto processu pœnas reservat.

LV. CIRCUMSTANTIÆ ADGRAVANTES adsignantur 1mo sæpies exercita talis malitia, 2do eadem valde excrescens 3^tio^ magnum præcipue pauperibus integræ cuidam communitati, parentibus Dominis magistratui illatum damnum, 4to seductio aliorum. LENIENS contra præter eas in casu simulationis, ubi de interrogatoriis agebatur (§. LII.), adductas præcipue erit, si ante capturam veram pœnitentiam egerit, & postea convenientem Christiano vitam degerit. His ita sapienter ordinatis ob connexionem materiæ ad alia, quæ vulgo quidem ad magiam non referuntur, sed tamen aliquando arti magicæ comprobandæ adlegari solent, sermo transfertur. Sortitiones scilicet vulgares, & divinationes in vigiliis festi Sancti Thomæ Ap. & vespere ante ferias natalitias CHRISTI uti & ante novi cujuslibet anni auspicium (das Lößeln in den Loosnächten) usitatæ aliæque supparis farinæ ineptiæ a Magistratibus ordinariis coerceri, si vero insignis malitia accesserit, ad Judices criminales remitti jubentur, ut puta, si evocatio aut conjuratio satanæ, vel stellionatus intercurrerit, aut pecunia-

§. 13. §. 14. §. 15.

rum thesaurorumve indagatio, vel tale aliquod molimen verbis, signis & cerimoniis repletum superstitiosis, denique preces superstitiosæ velut eæ, quæ Christophori dicuntur, suscipiantur, & demum, si consociatio hominum superstitiosis artibus & rebus operantium detegatur, quibus casibus secundum periculi imposturæ malitiæque gradus pœnæ dictandæ sunt, processus etiam ad supra præscriptam methodum instituendus erit, post quem peractum repertæ apud ejusmodi
§. 16. homines scripturæ superstitiosæ, librive exstirpandi sunt. Denique repetitis quibusdam ex rescripto An. 1755. libro huic subnexo verbis statuitur, si spectra, lemures & umbræ defunctorum alicubi oberrare, vel homines a dæmonio obsessi esse dicantur, tales ut eventus mox apud tribunalia superiora denuncientur, inde per delecta senatus membra, vel ad horum commissionem per judicia criminalia inferiora indagetur, an & qualis fraus subsit, & in quo res sita sit? porro constitutio personæ suspectæ & moralis, & physica ordinata, non tumultuaria inquisitione eruatur. Qua finita postquam fraus detecta est, impostor circumstantiis id postulantibus convenienti pœna corpus affligente corceatur. Quodsi delatio, aut molimen ex phantasia corrupta & stultitia processerit, perturbatæ mentis homo vel inter maniacos, vel in nosocomio curabitur. Sed sive ab inferioribus Judicibus delatio præsentis spectri, seu spiritus oberrantis aut casus obsessionis dæmoniacæ in veritate consistere sive dubiis involvi putetur, supremæ semper decisioni res tota committatur; cujus constitutionis amplissimus erit usus in quæstione, an ob metum spectrorum contractus locationis conductionis rescindi queat.

OBSERVATIO X.
ET
CONCLUSIO

LVI. Supersunt pauca, quæ sive quod ad eam jurisprudentiam quæ *justitiam* quam GROTIUS (*c*) vocat *Rectoriam* explanat, illustrandam pertineant, seu quod ex attenta his in libris tractatorum

(c) de J. B. & P. L. II. c. 24. §. 7.

contemplatione ſequantur, hac ultima obſervatione breviter colligam. Ac primo quidem patuit, quam graviter Legislatoris humani interſit, ut vera pietas, vera relligio, pura & illibata conſervetur, ne ſubditi motiva agendi aliunde, quam ab attributis divinis deſumant, omnesque actus divinitatis placitis accurate ſolliciteque conformare ſtudeant. Quid aliud inde coges, quam omne illud, quod leviſſimam ſuperſtitionem redolet procul removendum eſſe? Superſtitio in tota ea de magis & ſagis quæſtione latiſſimum exercuit imperium, hæc divinitatem eſſe ab improbis vindicandam ſuaſit, hæc in teterrimum fanaticiſmum erupit, qui Laicos Clericosque occupavit, & omnia miſcuit. Deſumitur inde maximam felicitatis reipublicæ partem in eruditione miniſtrorum relligionis eſſe ſitam. Quo refertur cumprimis ordo exorciſtarum, cujus membra quidem data ſibi divinitus poteſtate veros liberandi Energumenos pollent, ſed multos plerumque viſionarios producunt. *Et utinam* ait inſtructio curiæ romanæ ad inquiſitores Italiæ ſupra §. XLIII. citata, *non reperirentur aliqui exorciſtæ, qui parum fideliter officium tam pium exercentes multas impoſturas confingant! hinc eſt, ut quandoque plures fuerint privati munere exorcizandi.* Sed & illi Legislatoris curam non effugient, qui vitas ſanctorum hominum conſcribere ſuſcipiunt. Conqueſtus eam in rem jam olim eſt LUDOVICUS VIVES. „ *Nec in actis ſanctorum ſcribendis,* inquit is, *major* „ *eſt* veritatis cuſtodia, in quibus omnia oportebat eſſe exacta, & „ abſoluta. Unusquisque eorum acta ſcribebat, ut in quemque „ erat affectus, ita, ut animus hiſtoriam dictaret non veritas. Quam „ indigna eſt divis & hominibus Chriſtianis illa Sanctorum hiſtoria, „ quæ *legenda aurea* nominatur, quam neſcio cur auream appellent, „ quum ſcripta ſit ab homine ferrei oris plumbei cordis. Quid fœdius „ dici poteſt illo libro? O quam pudendum eſt nobis Chriſtianis non „ eſſe præſtantiſſimos noſtrorum divorum actus verius & accuratius memoriæ mandatos ſive ad cognitionem, ſive ad imitationem tantæ virtutis, quum de ſuis ducibus, de Philoſophis & ſapientibus hominibus tanta cura græci & romani authores perſcripſerint „ (*d*). Quod deinde in ſpecie duos illos ſuperſtitionum

(*d*) de *cauſſis corruptar. artium* L. II. ad fin. Cf. RUINARTI præf. in acta Martyrum §. I.

fontes attinet, Aſtrologiam puta, & Magiam, omni ope invigilabit Legislator, ut libri, quorum ingens rempublicam inundat copia, his vanis perfidisque opinionibus oppleti corrumpantur, & exſtirpentur, quo præcipue faciet, ſi legem illam romanorum reduxerit ſup. §. XXXVII. memoratam, ut Judex in quovis familiæ herciſcundæ judicio, ac in quavis hæreditate libros improbatæ lectionis perquirat, ac protinus corrumpat (*e*). Verum & præter ſuperſtitionem in principiis procedendi in antiquis illis proceſſibus multifariam peccatum fuiſſe ea, quæ in ſuperioribus habentur, teſtatum faciunt, quare Legislator illud, quod divinus Magiſter noſter docuit, ſemper ante oculos habeat, *ne colligat zizania, cum periculum adeſt forte, & triticum eradicandi, ſed ſinat utraque creſcere uſque ad tempus meſſis.* MATTH. XIII. qui certe textus non ſolos Apoſtolos, ut WESEMBECIUS olim docuit, ſed & ipſum Magiſtratum attingit (*f*). Nam, quum non poſſint omnia ſcandala tolli, permittenda ſunt plurima, quæ commode emendare non licet, non omnia ad vivum reſecari queunt, & plurima Deo relinqui punienda debent, quod Romani illo dicto: *Deorum injuriæ diis curæ* (*g*), ipſique Hebræi ſecuti ſunt, alia Deo, alia ſynedrio reſervantes flagitia, quemadmodum interpretes ad MATTH. V. v. 22. notant, ut adeo gradus ille ſcelerum in republica expectandus ſit, quo nocere publice poſſint. Huic ſecundum eſt, ut in ipſis delictis perſequendis Legislator reſpectum naturæ humanæ habeat, quæ adflicta ſæpe cedere ac deprimi ſæpe reſilire ſolet, ut adeo pœna ſuum finem non adipiſcatur, quin immo rurſus fanaticiſmum producat (*h*). Exemplum præbuerunt proceſſus contra Magos & Sagas inſtituti, in quibus ingens hominum

(*e*) Non prætereundum eſt, quod AUGUSTA edixit An. 1756. 26. Januar. ne de vena ſecanda, de medicina ſumenda variisque ſub certa conſtellatione actibus ſuſcipiendis, aut de diebus rejiculis inpoſterum aliquid amplius calendariis inſeratur, daß künftighin in keinem Calender vom Aderlaſſen, Schröpfen, Arzneynehmen, Haar und Nägel abſchneiden, verworfenen Tägen etwas mehr ſolle gemeldet werden.

(*f*) v. SPEUS *Caut. crim.* DXIII.

(*g*) TACIT. *Annal.* L. I. c. 73.

(*h*) SENECA de *Clem.* L. I. c. 22. 23. *Civitatis mores magis corrigit parcitas animadverſionum. Facit enim conſuetudinem peccandi multitudo peccantium, & ſeveritas quod maximum remedium habet, aſſiduitate amittit auctoritatem* &c.

multitudo pœnam contemnentes ſe ultro eidem obtulerunt. Illud denique reſultat nil magis reipublicæ nocere, quam ſi interpretum juris opiniones cerebrinæ vigorem ipſumque ſupra leges dominium indipiſcantur, quo retroactis temporibus factum eſt, ut paſſim jurisprudentia quædam phantaſtica obtineret, qualem ſic deſcripſit JOACH. HOPPERUS, ut eam *circa juris ac juſtitiæ umbras* verſari dicat, neque leges ipſas aut earum veras intelligentias perſequi, neque itidem communem rationem & uſum earum, ſed imaginem quamdam & umbram dumtaxat; neque demum ſcientia conſtare ut veram jurisprudentiam, neque opinione, ut vulgarem, ſed viſo ſolo, ſive phantaſia (*i*). Finio jam TIBERII Cæſaris voto: Superi populorum rectoribus *ad finem uſque vitæ quietam & intelligentem humani divinique juris mentem duint* (*k*), quæ per denſiſſima, quæ iis identidem objiciuntur, pepla, ſemper veritatem adſequatur, atque ita placeat *principi illi Deo, cui quod quidem in terris fiat, nihil acceptius quam concilia cœtuſque hominum jure ſociati quæ civitates appellantur* (*).

EXPLICIT LIBER SECUNDUS.

(*i*) HOPP: de *juris & legum condend. ſcientia* L. IV. Tit. XXIX.

(*k*) TACIT. *Annal.* L. IV. c. 38.

(*) CIC. *Somn. Scipion.*

ADJUNCTA.

NUM. I.

Apologia pro morte Joannæ Darciæ sub nomine Puellæ Aurelianensis notæ inedita, qua HENRICUS VI. R. ANGLIÆ *apud orbis proceres virginis hujus excidium excusare intendit* (*).

REX ANGLIE SCRIBIT DOMINO REGI ROMANORUM DE VIRGINE FRANCIE.

Serenissimo & excellentissimo principi, Sigismundo Dei gracia Romanorum Regi semper Augusto, ac Hungarie, Boemie, Dalmacie, Croacie &c. Regi fratri nostro precarissimo. Henricus eadem gracia francorum & Anglie Rex & dominus Hibernie salutem & constantem fraterne dileccionis animum retinere. Regia vestra celsitudo rex serenissime & frater noster precarissime zelantissimo affectu honorem catholice fidei & nominis Christi gloriam sedulo efflagrare semper comperta est, cuius inclita studia & strenui labores, in tuicionem populi fidelis & malingnancium hereticorum oppugnacionem assidue versantur, ingentique gaudio vestri exultant animi, quociens exal-

---

(*) Quas heic in publicum produco Henrici VI. Regis Angliæ ad Sigismundum Imper. Apologeticas pro morte Joannæ Darciæ litteras, debere me gratus profiteor humanitati Viri ILL. Consiliarii Aulici ANTONII TAULOW DE ROSENTHAL, qui eas ex autographo Archivii Augustæ Domus secretioris, cui cum dignitate præest, in meos usus describi jussit. Docent illæ breviter captiosissimam in mores & acta hujus puellæ inquirendi procedendique rationem, quæ licet ex odio Gallorum neve hi muliere quadam divina gloriari possent, aut forsan ideo, ut anglico militi animi adderentur, ab Anglis Philippo Burgundiæ duci sociatis Regnum Franciæ jam spe devorantibus judicibusque partibus eorum addictis suscepta fuerit, sponte tamen elucescit maximam in ea partem diffusissimam illam perversissimamque Magiæ persuasionem habuisse. Sciendum autem est, quamprimum puella e vivis sublata fuit, Episcopum CAUCHONIUM præcipuum mortis ejus auctorem suæ sententiæ timentem litteras protectoriales (*lettres de Garantie*) contra Papam, & Concilium ad quod Joanna illa adpellaverat, a R. Angliæ 12. Junii An. 1431. impetrasse, qui & quum Bellovacensibus exosus a sede Episco-

tacio ſacroſancte fidei & peſtilencium errorum oppreſſio audiuntur in terris, Que res nos commovit, vt recentem cuiusdam erronee diuinatricis in Regno noſtro francorum, a paucis erecte temporibus, & iuſtam pro ſuis demeritis punicionem veſtre ſerenitati preſcriberemus, Aſſurrexerat equidem mulier mire preſumpcionis, quam wlgus puellam appellabat, adverſus decenciam nature habitum fortita virilem, armis induta militaribus, que congreſſibus bellicis varias hominum ſtrages diuerſaque prelia miſcere auſa eſt, Illuc quoque euaſit ſua preſumpcio, vt ſe a deo miſſam, pro certaminibus preliorumque gerendis, & Michaelem Gabrielem ceterorumque angelorum copioſam multitudinem vnacum ſanctis virginibus Katherina & Margareta, ſibi viſibiliter apparuiſſe iactaret. Hec per annum ferme integrum ſuis adinuencionibus latos populos ſeduxit, ita, ut magna pars hominum a veritate auditum avertens, ad fabulas iam conuerteretur, quas de geſtis ſuperſticioſe mulieris huius fere per vniuerſum orbem rumor wlgaris efferebat, Tandem diuina clemencia miſerata plebis ſue, quam in novas & admodum periculoſas credulitates leuiter nimium moueri proſpiciebat, priuſquam ſi ſpiritus ille ex deo

---

pali pelleretur, ab Anglis Epiſcopatu poſtea Lexovienſi donatus fuit, ubi An. 1442. deceſſit. Ipſum quin immo Regem Angliæ litteris heic exhibitis apud Imp. alioſque Reges, Prælatos, Comites, & Proceres Franciæ mortem hanc excuſare tentaſſe, univerſitatem etiam ſtudiorum Pariſienſem Papam Imperatorem & Collegium Cardinallium de ſententiæ ſuæ juſtitia, ut convinceret, collaboraſſe pœnis interim in eos exſecutioni datis, qui contrarium tuerentur. Cuncta hæc uti totum puellæ aurelianenſis proceſſum cum omnibus eo ſpectantibus ex autenticis ejusdem actis in plena luce conſtituta Legas a V. Cl. *Abbate* Lengleto Dusfresnoy in libro cui titulus: *Hiſtoire de Jeanne Darc, vierge Heroine & Martyre d'etat ſuſcitée par la providence pour retablir la Monarchie Françoiſe. Tirée des proces & autres pieces originales du temps:* Cujus Tomus primus cum ſecundo Pariſiis An. 1753. 8. Tomus tertius Aureliani An. 1754. prodiit, Tomum autem quartum Tomo III. p. 156. promiſſum ego quidem nondum vidi. Litteræ a me heic productæ a Lengleto editæ non ſunt, licet eas indicet T. II. p. 256. inter MSta Cardinalis Rohanii latere. Nos ut inſimul latior quædam hujus proceſſus hiſtoria haberetur, primo ex auctore coævo in Jacobi Meyeri *annalibus Flandricis* obvio fragmentum rem totam dilucidans adferre ac ſecundo ſententiam Judicii reviſorii, quæ poſt viginti quatuor a morte puellæ annos ad petitionem familiæ Darcianæ priorem illam mortis pronunciatam ſententiam injuſte ac præter rationem latam ac proin irritam eſſe a Commiſſariis Sedis Romanæ declaratum fuit, ſubnectere operæ pretium eſſe duximus. Jacobus Meyerus in *Annalibus rerum Flandricarum* Lib. XVI. fol. 277. edit.

eſſet comprobatum haberetur, preſatam mulierculam in manus noſtras noſtramque dicionem perduxit, Quamquam uero noſtram gentem grauibus affeciſſet iacturis, permultaque regnis noſtris incomoda tuliſſet, & graues penas, ilico ab eadem expoſcere liceret, nequaquam tamen iniuriam hoc peracto vlciſci fuit animus, aut ſeculari iudicio ipſam continuo tradere puniendam, Requiſiti nempe ſumus per eccleſiaſticum Preſulem, in cuius dioceſi deprehenſa fuerat, ut eam iurisdiccioni eccleſie redderemus iudicandam, quoniam aduerſus fidem orthodoxam & chriſtianam Religionem gravia & ſcanduloſa crimina patraſſe ferebatur. Nos quoque velud chriſtianum decet principem, auctoritatem eccleſiaſticam filiali reuerentes affectu, confe-

---

Antverp. 1561. ad annum MCCCCXXXI. (In collectione ſeu Annalibus Rerum Belgicarum Sig. Feyerabendii Frcf. Tomis II. 1580. f. Tom. I. p. 317.) Autoris anonymi locum ita refert. „ Tertio Calendas Junias pridie feriarum Sanctiſſimi corporis „ Chriſti (*a*) Rothomagi in veteri foro „ rerum venalium cremata igni eſt Joanna „ puella ob nullam quidem juſtam cauſam, „ ſed per odium ſolum Anglorum. Auſus „ eſt Petr. Cochon Anglus genere (*b*) Bellovacorum Epiſcopus in gratiam Bethfordi Rectoris Galliæ innocentem virginem morti adjudicare. Quid enim non „ deſignant tales Epiſcopi ſeu umbræ potius „ Epiſcoporum? Eccleſia Rothomagenſis Epiſcopo tunc carebat. Puellæ nec advocatum, nec patronum ſua in cauſa habere „ licebat. Simplicem ac illiteratam virginem multis Epiſcopus ejuſque collegæ interrogationibus de fide catholica fatigabant, uti illaquearent, ac circumvenirent „ aliquo in lapſu, ſed fruſtra hæc omnia. Reſpondet autem ſapienter valde, & Catholice. Et quamquam famam ſpargerent „ magam eſſe & maleficam, nihil tamen „ tale poterant in illa deprehendere. Sed „ illud in crimen vocabant, quod virili „ uteretur veſte, quod tamen facile purgavit, nec uſa eſt eo amictu niſi ſolum „ in rebus bellicis, quemadmodum divinitus dicebat ſibi præceptum. Habebat ſibi Aſſeſſores ille Epiſcopus Ægidium „ Abbam Ficicampi (*d*) Theologum, Nicolaum Abbam Gemeticenſem (*d*) Jureconſultum, Petrum Priorem Longævillæ, „ & alios complures: quorum nemo ne hiſcere quidem auſus eſt contra Anglorum „ voluntatem. At Inquiſitor fidei per Franciam Frater JOANNES cognomento MAGISTRI (*e*) *ſcrupulo conſcientiæ prohibitus* „ *ſapienter ab horum conſeſſu abſtinuit*, quod

(*a*) Notator ad P. DANIELIS *Hiſtoriam Franciæ* Tom. VII. p. 98. advertit proceſſum poſtquam diebus ſupra tres menſes ſeptem duraſſet, per puellæ ſupplicium terminatum fuiſſe trigeſima Maji An. 1431.

(*b*) Clariſſ. Abbas LANGLETUS T. III. p. 95. notat hunc Epiſcopum, contra quam Meyerus judicarit, Campania oriundum fuiſſe ejuſque familiæ deſcendentes hodienum in Diœceſi Rhemenſi exiſtere.

(*c*) *Fécamp.* Abbatia PP. Benedictinorum in Normannia. Scribitur hodie Fiſcamum.

(*d*) Forte ex Gamachio urbe Picardiæ.

(*e*) *Jean le Maitre*, & *Maitre Jean Magiſtri* dictus.

festim antedictam mulierem Judicio sancte matris ecclesie & Jurisdiccioni prefati Presulis expediuimus, qui profecto cum grandi solempnitate & honoranda grauitate, ad dei honorem & salutarem populi edificacionem, vnacum vicario Inquisitoris heretice prauitatis sibi adiuncto processum celeberrimum in ea re deduxit. Postquam enim prefati Iudices mulierem hanc multis diebus interrogauerunt, confessiones & asserciones ipsius per doctores & Magistros Vniuersitatis Parisiensis & alios Iuris diuini & Canonici peritos, quorum in hiis Regionibus domini gracia non exigua multitudo habetur, examinari fecerunt, ex quorum deliberacionibus compertum habuerunt, eandem mulierem esse supersticiosam, diuinatricem, ydololatram, demonum inuocatricem, blasphemam in deum sanctos & sanctas, scismaticam, & in fide christi multipliciter aberrantem, Verum ut misera peccatrix a tantis tamque perniciosis criminibus purgaretur, & anima eius ab extremis sanaretur languoribus, frequenter caritatiuis exhortacionibus per dies multos admonita extitit, Vt cunctis abiectis erroribus rectam callem veritatis introgrederetur, sibique de graui corporis & anime periculo precaueret. Sed spiritus superbie ita mentem eius occupauerat, ut sanis doctrinis salutiferisque consiliis ferreum cor eius nullo pacto emolliretur, quin pocius se cuncta de mandato Dei & sanctarum virginum sibi visibiliter apparencium peregisse assidue iacta-

„ non æque integre Nicolaus Raulinus scholaque Parisiensis fecisse videntur. Bethfordius autem ut Philippum ducem placaret, hæc ad eum scripsit mendacia. Joannam neminem super terram voluisse agnoscere præter solum Deum & sanctos paradisi, rejecisse statuta Papæ & judicia conciliaque Ecclesiæ, cumque videret se morituram, confessam esse, spiritus illos qui sæpe illi apparuerant, mendaces & falsos esse. Per eos se spiritus esse deceptam, qui polliciti erant eam liberare. Est, qui refert proditam ab ipsis Gallis propterea, quod quidquid illi gloriose gererent, feminæ adscriberetur. Sic periit vindex Galliarum — Polydorus in rebus Anglicis narrat se finxisse gravidam, ut tempus mortis extraheret, quod quidem argumento sit, quam multa, & varia de illa Angli confingerent mendacia. Scriptor autem latinus ejus temporis de eadem virgine tradit hæc = Compendium ab Anglis obsidetur, puella eruptionem facit, & capitur ducta Rothomagum, ubi tunc erat Rex Henricus adolescens. Petrus Cauchon Bellovacorum tunc erat Episcopus consiliarius præcipuus Regis Angliæ. In ejus diœcesi quoniam capta puella erat, quam maleficam esse per invidiam insimulabant, & hæreticam.

bat, quodque ceteris deterius erat, nullum iudicem recognoſcebat in terris, nulli ſe ſubmittere volebat, preterquam ſoli deo, & beatis in patria triumphantibus, iudicium ſummi pontificis, generalis concilii, & vniuerſe militantis eccleſie prorſus reſpuens, Vbi uero dicti iudices animum illius tantopere obduratum conſpexerunt, eadem mulier in conſpectum populi educta eſt, ſuisque erroribus publica predicacione declaratis, & finalibus monicionibus expletis, tandem iudicum ſentencia in eius condempnacionem proferri cepit. Verum priuſquam perlecta fuiſſet, mutauit prefata mulier priſtinam ſentenciam, & meliora ſe dicturam acclamauit, quod ubi iudices exhilleranti animo intellexerunt, ſperantes corpus & animam illius a perdicione redimiſſe, benignas aures loquenti mulieri accommodauerunt, que tunc demum ſeſe ordinacioni eccleſiæ ſubmiſit, & ſuos errores peſtiferaque crimina, ore aperto reuocauit, & abiurauit, Cedulam huius reuocacionis & abiuracionis propria manu ſubſcribens. Sicque pia mater eccleſia, gaudens ſuper peccatrice penitenciam agente, ouemque repertam ad caulas reducens que per deſertum oberraueerat, ipſam carceribus pro agenda ſalutari penitencia mancipauit, Sed ignis ſuperbie ſue, qui ſuppreſſus fuiſſe videbatur, rurſum flatibus demoniacis excitatus, in flammas peſtiferas accenſus eſt, rediit-

„ Quæſtio habita a multis Theologis & Jure conſultis Lutetia evocatis; per multos dies interrogationes, & reſponſa ab tabellionibus diligenter conſcripta. Admirationi omnibus erat, quod puella ruſticana de fidei rebus tam ſapienter tamque catholice loquebatur, & reſpondebat. Hoc autem inquiſitores, qui anglicæ omnes erant factionis, inprimis curabant, ut callidis verſutis, & fucatis verbis, & inquiſitionibus, & interrogationibus captioſis ſanctam Chriſti Virginem caperent, & de hæreſi accuſarent. Sed non potuerunt. — Virilem habitum excuſavit, ne ſcilicet militum incontinentia provocari in illam poſſet, ſi femineo uſa fuiſſet habitu. Una nihilominus omnium Anglorum ſententia erat, & vox vulgaris nunquam ſe poſſe feliciter cum Gallis dimicare aut victoriam reportare quamdiu illa quam veneficam & ſortilegam vocabant, viveret; tollendam eſſe de terra. Hoſtes ejus judices erant, pars ejus adverſa, quæ eam accuſarat, tulit ſententiam, ſquallore carceris & inedia eam macerabant. Ferunt eam tandem ab judicibus adductam, ut ſi vellet abjurare revelationes, quas afferebat ſibi factas, eam abſolverent, & abire permitterent; quod feciſſe eam tradunt, ſed cum tamen non dimitteretur valde increpitam fuiſſe, ſe dixiſſe, quod revelationes abnegaſſet, iterum ſibi in carcere apparuiſſe, ſcilicet divas Aguetem, Margaritam, & Catherinam ab illiſque, quod hoc feciſſet, objurgatam. Hæc fuit cauſa mortis. Dicebant hoſtes ejus, qui judices

que mulier infelix in errores & insanias falsas quas antea euomuerat, Demum prout ecclesiastice sancciones dictabant, ne cetera christi membra deinceps inficeret, judicio secularis potestatis relicta est, que corpus eius igni cremandum censuit, Videns uero misera sibi propinquum inminere exicium aperte cognouit & plane confessa est, spiritus illos, quos sibi visibiliter apparuisse frequencius asserebat, malignos & mendaces extitisse, liberacionem quoque sui ipsius a carcere per eosdem spiritus falso fuisse promissam, & sese illusam atque deceptam fatebatur. Hic exitus & finis eius fuit, Rex Serenissime quem ad presens vobis referare duximus, Vt rem ipsam certo cognoscere, ac de huius mulieris egressu certos informare possit regia vestra celsitudo. Hoc unum enim populis fidelibus admodum necessarium arbitramur, Vt per vestram serenitatem & ceteros principes tum ecclesiasticos, tum seculares sedulo inducantur catholici populi ne supersticionibus & nouitatibus erroneis leuiter credere presumant, presertim hiis nouissimis temporibus, quibus plurimos pseudo prophetas & errorum disseminatores per varias regiones conspicimus exoriri, qui aduersus sanctam matrem ecclesiam impudenti ausu erecti, vniuersum christi populum fortassis inficerent, nisi superna miseracio & eius fideles ministri repellendis atque puniendis reproborum hominum

„ erant, relapsam esse in abjuratam hæresim, adduxerant enim eam, ut juraret, se ultra non dicturam sibi revelationes factas esse. Data brachio seculari Rotomagi combusta; collecti cineres universi, & de ponte in sequanam demersi, ne quid forte reliquiarum servari aut coli posset. Postquam Normannia pulsis Anglis in fidem (Caroli R. Galliæ) rediisset, vidimus eum processum & examinavimus, ex quo quidem processu non sufficienter constabat, ipsam de alicujus erronei dogmatis contra veritatem doctrinæ catholicæ assertione convictam, vel in jure confessam, & per hoc hæresis, atque relapsus satis manifeste fuisse fundamentum; quamquam etiam præter hoc poterat processus hujusmodi ex multis capitibus argui vitiosus coram capitalibus inimicis sæpe per eam recusatis, denegato etiam ei omni consilio, quæ simplex puella erat, factus, & habitus, quemadmodum ex libello, quem desuper ab eodem Carolo expetito consilio edidimus, si cui ad cujus venerit manus, legere vacaverit, latius potest patere. Pulsis enim de Normannia Anglis idem Carolus Rex per plures Regni sui Prælatos & divini atque humani juris doctos homines diligenter processum prædictum examinari, & discuti fecit, & de ea materia plures ad eum libellos conscripserunt, quibus coram certis a sede Apostolica ad cognoscendum & judicandum de hujusmodi materia judicibus dele-

conatibus vigilanti diligencia intenderent. Veſtram fraternitatem, Rex Sereniſſime, ad eccleſie ſue & chriſtiane Religionis tuicionem per longeuos dies cum proſperitate & uotiuis ſucceſſibus conſeruare dignetur iheſus chriſtus. Datum ſub ſigneto noſtro in Villa noſtra Rothomagi Menſis Julii die XVI^to^. (1431.)

„ gatis exhibitis, & mature perlectis per „ eoſdem judices in ſententiam, quam præ- „ diximus, extitit condeſcenſum. Et ſenten- „ tia contra eam data ſub Anglorum imperio „ caſſata & revocata = (*f*). Hæc & plu- „ ra de virgine ille Anonymus Synchro- „ nus puellæ „. Adjicere nunc etiam lubet Papirii Massonii in *Annalibus quibus res geſtæ Francorum explicantur*, Lutetiæ 1578. 4. editis locum, quo is narrationem de puellæ Aurelianenſis geſtis claudit, Lib. IV. p. 507. atque ita habet; „ Angli victi, Au- „ relia liberata. Hoc primum puellæ faci- „ nus egregium fuit, cujus rei teſtem ha- „ beo Joannem Comitem Dunenſem. Is „ annos natus unum & quinquaginta juben- „ te Caliſto Pontifice interrogatus de rebus „ a puella geſtis Aureliæ, quæ hactenus di- „ cta ſunt, productus dixit, ejusque depo- „ ſitionem ex armario Eccleſiæ Pariſienſis, „ ubi adhuc ſervatur, exſcribere placuit. „ Idemque teſtis ſuper ejus pudicitia inter- „ rogatus, reſpondit nullum a quoquam „ niſi caſtæ, & pudicæ modeſtæque virgi- „ nis ſignum in ea deprehenſum idemque „ affirmavere alii magno numero producti „ teſtes idonei, atque omni exiſtimatione „ majores. Quo magis miror poſt tot an- „ nos Joannæ cineres impudicitiæ argui, „ quos graviſſimi ſcriptores laudant. —— „ Fortuna eam in medio curſu deſerente „ capta ad Compendium oppidum atque igne „ cremata eſt Petro Cauchonio Bellovaco- „ rum pontifice, qui Anglis favebat, hunc „ illi exitum vitæ procurante. Poſtmodum „ anno MCCCCLVI. Iſabella Joannæ mater „ reſcriptum a Caliſto Romano Pontifice „ obtinuit, quo Joannes Archiepiſcopus „ Rhemenſis, & Wilelmus Pariſienſis „ cauſæ illius cognitores eſſe jubebantur, „ innumeri teſtes ſuper Joannæ natalibus „ vita religione, moribus rebus geſtis fidem „ fecere, virginem illam injuria damnatam, „ atque ita pronunciatum eſt ab illis ſanctiſ- „ ſimis viris Nonis Juliis Anno MCCCCLVI. „ Quarum rerum acta in Scrinio Pariſienſis „ Eccleſiæ adhuc ſervantur „.

(*f*) Sententiam Caſſatoriam nos numero II. exhibemus.

NUM. II.

Sententia Absolutionis & Justificationis pro Joanna Darcia (*n*).

SENTENCE DEFINITIVE

D'ABSOLUTION ET DE JUSTIFICATION DE LA PUCELLE D'ORLEANS.

Tirée du manuscrit de Messieurs les Cardinaux DE ROHAN & SOUBISE *folio 123. verso; cette meme sentence se trouve en Latin dans l'histoire de France* DE MARCEL T. III. p. 415.

En l'honneur & Reverence de la Sainte Sacrée & inseparable Trinité du Pere du Fils & du Saint Esprit. Amen. Nostre Saulveur & redempteur Jesus Dieu & homme par l'éternelle majesté & providence institua & ordonna prémierement saint Pierre & ses Apostres avec leurs successeurs, pour regir & gouverner l'Eglise militante pour speculer & regarder principalement la vérité & pour enseigner & remonstrer à tous vrais viateurs les sentiers & Chemins de justice & d'équité pour raddresser les desvoyez, consoller les desolez, relever & resoudre les opprimez & reduire à la droite voye.

A ces causes par l'autorité du saint siege apostolique Nous Jean Reverend pere en dieu, archevesque de Reims, & Guillaume Reverend pere en Dieu, Evesque de paris, & Richard par la grace de Dieu Evesque de Constances (*o*), & Jehan Brehal docteur en Theologie, de l'ordre des freres prescheurs, Inquisiteur d'Heresie & idololatrie au Royaume de france, juges déleguez & ordonnez par nostre tres saint pere le Pape moderne (*p*).

Veu le Procèz devant nous sollempnellement agité & débatu & en la vertu & puissance du mandement apostolique s'addressant à

(*n*) Gallice descripta ex LANGLETO T. II. p. 133. 149. quum latinum exemplum ad manus non esset.

(*o*) *Coutance* en Normandie.

(*p*) Calixte III.

Nous, reverendement par nous receu & recueilly de la part de honeste & notable Dame Isabeau Darc Veuve de defunct Jacques Darc, & jadis mere de Jehanne Darc & de Jehan & Pierre Darc, freres naturels & legitimes de bonne memoire, de Jehanne vulgairement appellée *la Pucelle*, & de tous ses parens, acteurs, à leurs noms prins contre les Inquisiteurs de la Foy constituez au Diocese de Beauvais, contre Guillaume de Hellande Evesque de Beauvais, & contre autres prétendans proufits & interests en ceste matiere tant conjointement que séparablement.

Attendue & veüe tout, principalement l'évocation peremptoire & l'execution de ladite vefve, de ses enfans & amys acteurs, avec l'un de nos Promoteurs institué & créé par Nous & a nostre Instance, à l'encontre des coupables fauteurs & defendans pour nous rescrire, & certifier ce qu'ils auront fait contre les dits accusez & defendeurs & leurs responses, & pour proceder juridiquement à l'encontre d'eux. Veüe après la demande & petition de ceux qui sont acteurs & demandeurs, attendu aussi leurs raisons & conclusions mises par escrit en forme & maniere d'articles, qui toutes pretendent & veulent conclurre, toute fallace, dolosité, fraude, iniquité, & deception faites & commis Touchant un Procèz en matiere de la Foy, fait & attempté contre Jehanne la Pucelle par Pierre Cauchon en son vivant Evesque de Beauvais & par l'Inquisiteur de la Foi prétendu & mal ordonné au diocese de Beauvais & par Maistre Jehan Destivet Promoteur, ou se disant promoteur audit diocese, ou à tout le moins à cette execution de la Pucelle & à la fraude & falsification de ce Procez & autres choses, qui s'en sont ensuivies, qui sont à l'honneur & purgation de la deffunte.

Veus aussi, visitez & examinez les livres, memoriaux, lettres & originaux, Escriptures & libelles faits & reduits par escripts en vertu & mandement de nos lettres de compulsoire & les protocolles baillez par nos Notaires, avec leurs signes, exhibez & monstrez à notre présence ainsique l'avions requis & demandé, pour en sçavoir leur opinion & meure deliberation, & sur ce avons appellez & invitez advocats & consillers en la présence desquels avons com-

muniqué les Escriptures, libelles, & articles avec les advocations & allegations des docteurs pour cognoistre la verité de tout ce Procez. Nous avons consequemment veu & leu les informations & préparations, faits par reverend Pere en Dieu Messire Guillaume de saint Martin (q) Cardinal de Rome, pour lors Legat en France, lequel invitasmes avec l'Inquisiteur, après que nous eusmes visitez leurs Livres & allegations qui leurs furent à leur venue presentez & communiquez tant par Nous que par nos Commissaires avec les autres articles & escriptures faites au commencemet du Procez & aprés qu'ils les eurent visitez & examinez, avec plusieurs traictez des docteurs & Prelats qui nous en avoient escript leur opinion, sentencierent & estimerent, qu'il falloit élucider, & declarer tous les doutes de ce procez, semblablement par l'ordonance de très-reverend pere en Dieu Legat en France, ces articles, traictez escriptures & libelles furent publiez, visitez & presentez à la requeste des dits acteurs & promoteur, & finallement furent ratifiez & approuvéz après maintes semonces invitations & évocations.

Attendues aussi les depositions & attestations des tesmoings touchant la bonne vie, sainte conversation de ladite pucelle deffunte & tant du lieu dont elle étoit, que de l'examen & interrogation d'icelle, faits en la presence de plusieurs venerables docteurs & Prélats de l'Eglise, & principalement en la presence de très reverend pere en Dieu Regnault (r) Archevesque de Reims, dedans la ville de Poitiers & autres lieux. Veu mesmement & consideré ce qu'elle vaticina de la liberté & franchise de Orleans; c'est assavoir que le siege seroit levé de devant laditte ville, qui alors étoit assiegée par les anglois, & que le Roi de France seroit couronné en la ville de Reims, ce qui est advenu. Oultre plus veu la qualité du faux jugement, & les letres & mandemens du Roy de France avec les depositions & attestations données sur le terme de proceder: & fut donnée & produite contre toutes ces choses préclusions de

---

(q) Le Cardinal d'Estouteville.

(r) Regnault de Chartres archevesque de Reims & Chancellier de France.

dire & alleguer. Ouye auſſi la deſcription de noſtre promoteur lequel après qu'il euſt viſité & leu pleinement ces articles & eſcriptures ſe adjoignit & aſſocia avec lesdits acteurs & au nom de noſtre Office & dignité, feiſt de ſa part derechef produire & remettre en jugement toutes les eſcriptures, atteſtations & articles juſques aux intentions & fins deſdits acteurs exprimez & declarez ſous certaines proteſtations requeſtes & reſervations faictes de ſa part & deſdits acteurs. Leſquelles requeſtes avons admiſes & acceptées avec pluſieurs motifs de droit, qui nous pouvoient advertir & adviſer, par nous receus & viſitez & le nom de Jeſus invoqué conclut en la cauſe & ce jour aſſigné à ouir noſtre ſentence. Toutes ces choſes veues attendues & conſiderées meurement, & diligentement & avons receus les articles que les faux juges depuis qu'ils eurent jugez de procez cauteleuſement adviſerent, qu'il eſtoit bon de les extraire des confeſſions & affirmations de ladicte pucelle defuncte, pour les envoyer & transmettre à pluſieurs notables & honeſtes perſonnes. Ces articles ont été toute fois contredits & impugnez par noſtre promoteur & par la mere & les freres de ladicte defuncte ainſi comme faux & iniques tirez & controuvez injuſtement & tout autrement qu'elle n'avoit confeſſé.

Pour ces cauſes, à fin que noſtre ſentence procede de la verité & congnoiſſance de Dieu le Createur, qui ſeul cognoit les Eprits & volontez des hommes, & n'y a que lui qui parfaitement ſache ſes revelations & en eſt le ſeul & veritable juge; car il donne ſa grâce à où il lui plaiſt, & aucunes fois eslit les humbles & petits pour confondre les grands, fiers & orgueileux ne deslaiſſant jamais despourveus ceux qui ont en lui bonne eſperance: mais leurs aider & ſubvénir en leurs tribulations & adverſitéz. Parquoy ſur ceſte affaire veue & conſiderée la meure deliberation & opinion préméditée & préparée touchant la deciſion de ce procez: Veu auſſi la ſolempnelle determination des docteurs & prélats de l'Egliſe, qui ſur ce ont delibéré avec grande revolution de livres, codicilles, libelles, protocolles & opinions tant de paroles que d'eſcriptures faites ſur la matiere de la defuncte Jehanne Darc, lesquelles choſes ſont plus dignes de admiration que de condamnation: veu & conſideré le faux jugement

ment que l'on donna contre elle, & la maniere de y procéder, qui n'a pas été raiſonnable mais totalement captieuſe, fraudulente & deteſtable pour les queſtions que l'on a propoſées à laditte defuncte, hauſtes & ardues, auſquelles ung grand docteur à grande peine y eut bien ſceu donner reſponſe, meſme auſſi que pluſieurs grans perſonnages ont reſpondu, qu'il étoit merveilleuſement difficile de reſpondre aus queſtions qu'on lui propoſoit, plus à ſa dampnation qu'à ſa ſalvation, jouxte ce que dit ſaint Paul des determinations & revelations divines il s'en faut rapporter à Dieu. A ces cauſes, ainſi que juſtice le requieſt nous decernons & diſons, que ces articles doivent étre recommencez & réiterez, c'eſt aſſavoir que un ſervant au procez intenté & prétendu contre laditte defuncte touchant la ſentence donnée contre elle par les articles eſcripts faulſement, calomnieuſement, & malicieuſement. Et veu les malveillances & adverſaires d'icelle, leſquels ont prétendu extraire de ſa confeſſion, non plus la vérité mais la falſité, en pluſieurs points & paſſages du procez ſubſtantieux leſquels euſſent peu emouvoir & incliner le coeur & l'opinion des conſuls & Advocats en autre & plus ſaine deliberation, & à rejetter pluſieurs circonſtances & allegations, qui ne ſont point contenues à ſon procez ſelon la verité & vraye juſtice, mais ſeulement en termes & paroles de rigueur, leſquels changent la ſubſtance de toute la verité de ce procez: Parquoy nous Caſſons, annullons, & adnihillons la ſentence de Jehanne la pucelle; & à ce procez decernons & declarons en jugement qu'il convient les lacerer, deſchirer & mettre au feu.

Oultre plus, après que nous avons en toute diligence, viſité veu & regardé les cauſes, aultres articles dudit procez, & principalement deux choſes, c'eſt aſſavoir que les juges ont toujours prétendu chercher & affecté trouver fallacieuſement matiere & accuſation de la juger & condamner rechue & recidivée à ſon hereſie & idolatrie, & qu'ils l'ont livrée entre les mains de ſes ennemis les Anglois, & n'ont point voulu admettre & accepter les ſubmiſſions, recuſations & appellations d'icelle, requerante eſtre menée au pape, ſe raportant de ſon cas au Saint Siege Apoſtolique, & ſes eſcriptures eſtre examinées, veues, & viſitées par les Clercs de France, attendu auſſi

& confideré que frauduleufement & deceptieufement tirerent d'elle une obligation & renunciation par force & violence en la prefence du bourreau, & en la menaffant de la faire bruler publiquement & cruellement ; par ces menaces & violente crainte, lui feirent faire une cedule d'abjuration & renunciation, laquelle Jehanne n'entendoit, ne cognoiffoit aucunement. Davantaige, après que nous avons vifité les traictez deffusdits, les raifons & opinions des docteurs de theologie de droit Canon & civil, données & refpondues fur les crimes faulfement impofez à laditte pucelle, qui ne defpendoient point de l'ordre & de la continuation du procez ; veus d'autre part plufieurs poins & articles elegantement touchez, touchant l'injuftice, nullité & non valeur du procez, fait & mené contre elle, avec les honneftes determinations veridifques refponfes des docteurs foustenants juftement le parti du noble Roy de france & remonftrans l'innocence, la fimpleffe & humilité de la pucelle & au contraire la malice, cavillation, injufte & déraifonable fentence de juges, qui plus par vengeance que droite & équitable juftice l'ont condamnée.

Nous eftans à notre haut tribunal, ayant toujours Dieu devant les yeux, par fentence definitive proferée & donnée en noftre Chaire jufticialle & hault tribunal Nous deffusditz proferons prononcons decernons & declarons que ledit procez & la fentence, pleins des fraudes, cavillations, iniquités & du tout repugnante à droit & juftice contenant erreurs manifeftes, pareillement l'abjuration predicte & toutes ies faulfes & iniques executions, qui en font procedées & enfuivies doivent eftre caffées, adnullées, lacerées & deftruites ; & qui plus eft pout autant que juftice & raifon nous perfuade & commande, les caffons, irritons adnullons & évacuons de toute force, puiffance, Valleur & vertu, & fentencions & declarons laditte Jehanne, que Dieu abfolve, fes freres & parens acteurs & demandeurs, n'avoir oncques contracté ne encouru aucune tache, ou macule d'infamie à raifon & occafion des premiffes, Innocens, incoulpables & exempts de crime & pechés, lequel faulfement on impofoit à ladicte pucelle.

Oultre plus ordonnons intimation & execution follempnelle & publique de noftre dicte fentence eftre faite incontinent & fans dé-

lais en ceste ville & Cité de Rouen en deux lieux, c'est assavoir l'une aujourdhuy en la place & cimetiere de S. Ouen, auquel lieu sera faite procession generale & sermon solempnel par un venerable docteur en Theologie & l'autre au viel marché ou yra demain au matin la procession generale & là sera fait sermon solempnel par un venerable docteur en Theologie; c'est assavoir en la place en laquelle ladicte pucelle fut cruellement & horriblement brulée & suffoquée, & après la solempnelle predication seront plantées & affichées Croix dignes & honestes en souvenance & perpetuelle memoire de la dicte pucelle defuncte, & tous autres trespassez, tant en ceste dicte ville de Rouen qu'en autres lieux de ce Royaume là ou nous verrons qu'il sera convenable, & expedient pour donner signe memoire certification notable de l'execution & intimation de nostre sentence, & si aucunes choses sont encore a establir, ordonner & accomplir, nous les reservons a nostre puissance & disposition & pour cause.

Cette presente sentence fut donnée leue & publiée par Messieurs les juges dessusdits, en la presence de Reverend pere en Dieu l'evesque du Mans, Hector, Cocquerel, Alain Olivier, Nicolas du bois, Jehan Govis, & plusieurs autres: & fut fait au Palais archiepiscopal de Rouen l'an de grace mil quatre cent cinquante Six, le septieme jour du mois de Juillet. En ce point là prononcerent Jehan par la grace de Dieu Archevesque de Reims Guillaume Reverend pere en Dieu Monsieur l'Evesque de Paris, & Richard par la grace divine Monsieur l'Evesque de Constances (*).

(*) Coutance en Normandie.

NUM. III.

Litteræ, quibus puella Aurelianensis Bohemos ab hæresi dehortatur in supplementum historiæ de ejusdem gestis nunc demum prodeuntes (*t*).

JESUS MARIA.

Iam dudum michi Johanne puelle rumor ipse famaque pertulit, quod ex veris Kristianis Heretici & Saracenis similes facti veram religionem atque cultum sustulistis, assumpsistisque superstitionem fedam ac nefariam quam dum tueri & augere studetis, nulla est turpitudo neque crudelitas quam non audeatis, Sacramenta ecclesiæ labefactatis, articulos fidei laniatis, templa diruitis, simulacra que memorie causa sunt confecta perfringitis ac succenditis, Kristianos quod vestram teneant fidem, trucidatis. Quis hic vester furor est aut que vos insania & rabies agitat, quam Deus omnipotens quam Filius, quam Spiritus Sanctus excitavit instituit extulit & mille modis mille miraculis illustravit, eam vos fidem persequimini Eam evertere eam exterminare cogitatis. Vos vos ceci estis, & non qui visu & oculis carent. Numquid creditis impunes abituros, aut ignoratis ideo Deum non impedire vestros nefarios conatus, permittereque in tenebris vos

(*t*) De his litteris, quas iterum ex benevolentia Ill. Archivarii ANT. ROSENTHALII ex apographo sanctioris Tabularii Aug. domus Austriacæ lectoribus communicare pergo, ipsus ego ab initio addubitare inceperam, quum res mihi plane mira videretur puellam rebelles hæreticos ab injuriis ulterioribus relligioni inferendis cohibere voluisse. Quum tamen postea edocerer eamdem puellam ex ingenti fama sibi illis suis temporibus adquisita variis Consiliis adhibitam fuisse, ut dum Lengletus epistolam exhibet, qua Compendii 22. Aug. 1429. respondebat Comiti Armeniacensi Joanni IV. qui illam consultaverat, cui in Paparum schismate tum vigente adhærendum sit, T. I. p. 137. - 144. de ipsa re amplius dubitare piaculum duxi, præcipue postquam sequentem in *Formicario* JOANNIS NIDERII sup. L. I. §. 146 citato locum invenirem, rem aperte demonstrantem. Est in editione indicata Lib V. c. 8. p. LXXXI. b. unde eum exscribo. „ Fuit preterea infra decem annorum spacia noviter in francia „ quedam, de qua premisi virgo Johanna „ nomine, tam prophetico spiritu quam mi- „ raculorum potestate, ut putabatur, cla- „ rens. Hec enim veste virili semper ute- „ batur nec ullis doctorum quorumcumque „ suasionibus emolliri potuit, ut tales de- „ poneret vestes femineis contenta, pre- „ sertim cum se palam virgineni & feminam „ esse protestaretur, sub hoc, inquit, habitu „ virili in signum future victorie ut verbo

& errore verſari ut quanto magis in ſcelere eritis & ſacrilegiis debachati tanto majorem vobis penam adque ſupplicia paret. Ego vero ut quod verum eſt fatear, niſi in bellis anglicis eſſem occupata, jam pridem viſitatum vos veniſſem, Verum tamen niſi emendatos vos intelligam, dimittam forte anglicanos adverſusque vos proficiſcar, ut ferro ſi alio modo non poſſum hanc vanam veſtram & obſcenam ſuperſtitionem exterminem, vosque vel hereſi privem vel vita. Sed ſi ad Katholicam fidem & priſtinam lucem redire mawltis, veſtros ad me Ambaſiatores mittatis, ipſis dicam quid illud ſit quod facere vos oporteat, ſin autem minime, & obſtinate wltis contra ſtimulum calcitrare, mementote que dampna ſitis, & facinora perpetrati, meque expectetis ſummis cum viribus humanis & divinis parem omnibus vicem relaturam. Datum Suliaci III. Marci (1429.)

„ predicem & habitu, a Deo miſſa ſum juvare verum Francorum Regem Carolum & in ſuo firmare regno a quo eum fugare nituntur Rex Anglie & dux Burgundie; pro tunc enim hi juncti mutuo cedibus & armis Franciam premebant graviſſime; igitur cum ſuo domino Joanna continue velut miles equitabat, futura & fauſta multa predicabat, victoriis bellicis quibusdam intererat, & alia mira talia perpetrabat, de quibus nedum tota Francia ſed omnia Chriſtianorum regna ſtupebant Ad tantam denique preſumptionem venit Joanna, ut *nondum adepta francia jam Bohemis ubi hereticorum multitudo tunc fuit, minas intentaret per literas.* Dubitabant exinde ſeculares & Eccleſiaſtici regulares & monaſtici, quo ſpiritu regeretur, diabolico an divino. Scripſerunt proinde quidam viri literatiſſimi tractatus ejus ex parte in quibus non modo diverſa ſed etiam adverſa de virgine ſenſerunt. Poſtquam autem Regem Carolum in multis juuiſſet, & firmaſſet regno annis quibusdam, demum nutu ut creditur divino per Anglicorum armatam capta eſt & incarcerata. Accerſitis autem & advocatis magna multitudine magiſtris tam divini quam humani juris multis diebus examinata eſt, & prout a Magiſtro *Nycholao amici* licenciato in Theologica audivi, qui ambaſiator fuit univerſitatis Pariſienſis, tandem ipſa faſſa eſt ſe habere familiarem Dei Angelum, qui judicio literatiſſimorum virorum judicatus eſt eſſe malignus ſpiritus ex multis conjecturis & probationibus: per quem ſpiritum velut magam effectam, ipſam ignibus per publicam juſticiam conſumi permiſerunt. Et *prout de hac hiſtoria Rex Anglie noſtro imperatori Sigiſmundo ſatis late ſcriptotenus hiſtoriam innotuit.* „

Hæc Nyderus, ex quibus etiam annum huic epiſtolæ adſcriptum divinavimus. An de cetero latinitas ejus puellæ ſit nec ne, noſtra non refert.

NUM. IV.

Litteræ, per quas Ludovicus XIV. ab hominibus Magorum nomen sibi imponentibus regnum Galliæ purgavit (u).

Juillet 1682. Edit pour la punition des malefices, empoisonnemens & autres crimes, registré au Parlement le 31. Août de la même année.

LOUIS par la grace de Dieu Roy de France & de Navarre à tous présens & à venir, salut. L'execution des ordonnances des Rois nos prédecesseurs contre ceux qui se disent Devins, Magiciens & Enchanteurs, ayant été negligée depuis long temps; & ce relachement ayant attiré des Païs étrangers dans notre Royaume plusieurs de ces imposteurs, il seroit arrivé que sous prétexte d'horoscope & de divination, & par le moyen des prestiges des operations de prétendues magies & autres illusions semblables dont cette sorte de gens ont accoutumé de se servir, ils auroient surpris diverses personnes ignorantes ou credules qui s'étoient insensiblement engagés avec eux, en passant de vaines curiositez aux superstitions, & des superstitions aux impietez & aux sacrileges; & par une funeste suite d'engagemens ceux qui se sont la plus abandonnés à la conduite de ces seducteurs, se seroient portés à cette extremité criminelle d'ajouter le malefice & le poison aux impietez & aux sacrileges, pour obtenir l'effet des promesses des dits seducteurs, & pour l'accomplissement de leurs méchantes prédictions. Ces pratiques étant venues à notre connoissance, Nous aurions employés tous les soins possibles pour

(u) Exscriptæ ex M. DE LAMARRE *Traité de Police* in fine tomi I. Adfert eas peræque Auctor *du traité sur la magie, le sortilege & les possessions* à Paris 1732. 8. in appendice, apud quem auctorem illud etiam singulare reperias quod integrum libellum memorialem parlamenti Rothomagensis ad Ludovicum XIV. inserat p. 31. usque 48. de anno 1670. ubi regi persuadere voluerunt jurisprudentiam illam magicam omnibus suis auditoriis juridicis esse communem, adeoque retinendam esse.

faire cesser & pour arrêter par des moyens convenables les progrés de ces detestables abominations ; & bienque après la punition qui a été faite des principaux auteurs & complices de ces crimes, nous dussions esperer que ces sortes de gens seroient pour toujours bannis de nos Etats, & nos sujets garantis de leur surprise; néanmoins comme l'experience du passé nous a fait connoitre combien il est dangereux de souffrir les moindres abus qui portent aux crimes de cette qualité, & combien il est difficile de les déraciner, lorsque par la dissimulation ou par le nombre des coupables ils sont devenus crimes publics ; ne voulant d'ailleurs rien omettre de ce qui peut être de la plus grande gloire de Dieu, & de la sureté de nos sujets, nous avons jugé necessaire de renouveller les anciennes ordonnances, & de prendre encore, en y ajoutant, de nouvelles précautions, tant à l'égard de tous ceux qui usent de malefices & de poisons que de ceux qui sous *la vaine profession de Devins Magiciens sorciers ou autres noms semblables*, condamnez par les Loix divines & humaines, infectent & corrompent l'esprit des peuples par leurs discours & pratiques & par la profanation de ce que la religion a de plus saint Sçavoir faisons, que Nous pour ces causes & autres à ce Nous mouvans, & de notre propre mouvement, certaine science, pleine puissance & autorité Royale, avons dit, declaré, & ordonné, disons, declarons & ordonons par ces présentes signées de notre main, ce qui ensuit.

PREMIEREMENT.

Que toutes personnes se melant de deviner, & se disant devins ou devineresses vuideront incessamment le Royaume après la publication de notre presente declaration à peine de punition corporelle.

II. Défendons toutes pratiques superstitieuses, de fait, par écrit ou par paroles, soit en abusant des termes de l'ecriture sainte ou de prieres de l'Eglise, soit en disant ou en faisant des choses qui n'ont aucun raport aux causes naturelles ; voulons que ceux qui se trouveront les avoir enseignées, ensemble ceux qui les auront mises en usage, & qui s'en sont servis pour quelque fin que ce puisse être, soient punis exemplairement & suivant l'exigence des cas.

III. Et s'il se trouvoit à l'avenir des personnes assez méchantes pour ajouter & joindre à la superstition l'impieté & le sacrilege sous pretexte d'operations de prétendues magies ou autre prétexte de pareille qualité, Nous voulons que celles qui s'en trouveront convaincues, soient punis de mort.

IV. Seront punis de semblables peines tous ceux qui seront convaincus de s'être servis de venefices & de poison, soit que la mort s'en soit ensuivie ou non, comme aussi ceux qui seront convaincus d'avoir composé ou distribué du poison pour empoisonner. Et parceque les crimes qui se commettent par le poison, sont non seulement les plus dangereux de tous, mais encore les plus difficiles à découvrir; Nous voulons que tous ceux sans exception, qui auront connoissance qu'il aura été travaillé à faire du poison, qu'il en aura été demandé ou donné, soient tenus de dénoncer incessamment ce qu'ils en sçauront à nos procureurs generaux ou à leurs substituts, & en cas d'absence, au premier officier public des lieux, à peine d'etre extraordinairement procedé contre eux & punis selon les circonstances & l'exigence des cas, comme fauteurs & complices desdits crimes, & sans que les dénonciateurs soient sujets à aucune peine, ni meme aux interêts civiles, lors qu'ils auront declaré & articulé des faits, ou des indices considerables qui seront trouvez veritables & conformes à leur dénonciation, quoique dans la suite les personnes comprises dans les dites dénonciations, soient dechargées des accusations; dérogeant à cet effet à l'article 73. de l'ordonnance d'Orleans, pour l'effet du venefice & du poison seulement, sauf à punir les calomniateurs selon la rigeur de ladite ordonnance.

V. Ceux qui seront convaincus d'avoir attenté à la vie de quelqu'un par venefice & poison, en sorte qu'il n'ait pas tenu à eux, qui ce crime n'ait été consommé, seront punis de mort.

VI. Seront réputez au nombre des poisons non seulement ceux qui peuvent causer une mort prompte & violente, mais aussi ceux, qui en alterant peu à peu la santé causent des maladies, soit que les dits poisons soient simples, naturels ou composez & fait de main d'artiste, & en consequence défendons à toutes sortes de personnes à peine de la vie, même aux médicins, Apoticaires & Chirurgiens, à peine de

de punition corporelle, d'avoir & garder de tels poisons simples ou préparez, qui retenant toujours leur qualité de venin, & n'entrant en aucune composition ordinaire, ne peuvent servir qu'à nuire, & sont de leur nature pernicieux & mortels.

VII. A l'égard de l'arsenit, du reagale, de l'orpiment & du sublimé, quoiqu'ils soient poisons dangereux de toute leur subsistance, comme ils entrent, & sont employés en plusieurs compositions necessaires, Nous voulons, afin d'empécher à l'avenir la trop grande facilité qu'il y a eu jusques ici d'en abuser, qu'il ne soit permis qu'aux Marchands qui demeurent dans les villes d'en vendre, & d'en livrer eux mêmes seulement aux Medecins, Apoticaires, Chirurgiens, Orfévres Teinturiers, Maréchaux, & autres personnes publiques, qui par leurs professions sont obligez d'en employer, lesquelles néanmoins écriront en les prenant, sur un Registre particulier tenu pour cet effet par les dits Marchands, leurs noms, qualitez & demeures, ensemble la quantité qu'ils auront prise desdits mineraux, & si au nombre desdits Artisans qui s'en servent, il s'en trouve qui ne sçachent écrire, lesdits marchands écriront pour eux: quant aux personnes in connuës ausdits Marchands, comme peuvent être les Chirurgiens & Maréchaux de Bourgs & Villages, ils apporteront des certificats en bonne forme contenant leurs noms, demeures & professions signez du juge des lieux ou d'un Notaire & de deux témoins, ou du curé & de deux principaux habitans: lesquelles certificats & attestations demeureront chez les dits Marchands pour leur décharge. Seront aussi les Epiciers Merciers & autres Marchands demeurans dans les dits Bourgs & Villages, tenus de remettre incessamment ce qu'ils auront des dits Mineraux entre les mains des Syndics, Gardes ou anciens Marchands Epiciers ou Apotiquaires des villes plus prochaines des lieux où ils demeureront, lesquels leur en rendront le prix; le tout à peine de trois mille livres d'amende en cas de contravention, même de punition corporelle s'il y échet.

VIII. Enjoignons à tous ceux qui ont droit par leurs professions & metiers de vendre ou d'acheter des susdits mineraux, de les tenir en des lieux seurs, dont ils garderont eux mêmes la clef. Comme aussi leur enjoignons d'écrire sur un registre particulier la qua-

lité des remedes où ils auront employé desdits minéreaux, les noms de ceux pour qui ils auront été faits, & la quantité qu'ils y auront employé, & d'arrêter à la fin de chaque année sur les susdits registres, ce qui leur en restera; le tout à peine de mille livres d'amende pour la premiere fois & de plus grande s'il y échet.

IX. Défendons aux Medecins, Chirurgiens, Apoticaires, Epiciers, Droguistes, Orfévres, Teinturiers, Maréchaux & tous autres, de distribuer desdits mineraux en substance à quelque personne que ce puisse être, & sous quelque pretexte que ce soit, sur peine d'etre punis corporellement; & seront tenus de composer eux memes où de faire composer en leur presence par leurs garçons, les remedes où il y devra entrer necessairement desdits mineraux, qu'ils donneront après cela à ceux, qui leur en demanderont pour s'en servir aux usages ordinaires.

X. Défenses sont aussi faites à toutes personnes autres qu'aux Médecins & Apoticaires d'employer aucuns insectes veneneux, comme serpens, crapaux, viperes & autres semblables sous pretexte de s'en servir à des medicamens ou à faire des experiences, & sous quelqu'autre pretexte que ce puisse être, s'ils n'en ont la permission expresse & par écrit.

XI. Faisons très expresses défenses à toutes personnes de quelque profession & condition qu'elles soient, excepté aux Medecins approuvez & dans le lieu de leur residence, aux Professeurs en chymie, & aux Maitres Apoticaires d'avoir aucuns laboratoires, & d'y travailler à aucunes préparations des drogues ou distillations, sous prétexte de remedes chymiques, experiences, secrets particuliers, recherche de la pierre philosophale, conversion, multiplication ou rafinement des metaux, confection de cristaux ou pierres de couleur, & autres semblables pretextes sans avoir auparavant obtenu de nous par Lettres du grand Sceau la permission d'avoir lesdits laboratoires: présenté les dites Lettres, & fait declaration en consequence à nos juges & officiers de Police des lieux. Défendons pareillement à tous distillateurs, vendeurs d'eau de vie, de faire autre distillation que celle de l'eau de vie & de l'esprit de vin, sauf à être choisi d'entre eux le nombre, qui sera jugé necessaire pour

la confection des eaux fortes, dont l'usage est permis; les quels ne pourront néanmoins y travailler qu'en vertu de nos dites lettres, & aprés en avoir fait leurs declarations, à peine de punition exemplaire. SI DONNONS EN MANDEMENT à nous amez & féaux les Gens tenans notre cour de Parlement de Paris, que ces Presentes ils ayent à faire lire, publier & enregistrer, & icelles executer selon leur forme & teneur; sans souffrir qu'il soit contrevenu en quelque sorte & maniere que ce soit, car tel est notre plaisir; & afin que ce soit chose ferme & stable à toujours, Nous avons fait mettre notre Scel à cesdites Présentes. Donné à Versailles au mois de Juillet, l'an de grace 1682. & de notre Regne le quarantieme. Signé, LOUIS; *et plus bas*, par le Roy, COLBERT. *Visa* LE TELLIER.

NUM. V.

Project zum Patente in Betreffung der Sortilegien

Monat Julius 1753.

WIR MARIA THERESIA 2c. 2c. Entbieten 2c. 2c. Demnach Uns von den Justizstellen aus Unsren Erblanden zu wiederholten Malen allerunterthänigste Berichte zugekommen, und behörig allergehorsamst vorgetragen worden: wasmassen sich verschiedene abergläubische Unternehmungen geäussert, welche von denen in Ländern ausgestreut = so benannten Christophori und Coronä Gebettern ihren Ursprung nehmen, deren sich mehrentheils die zum höchst schädlichen Müßiggange geneigten Leute bedienen, um dadurch nur von andern bemittelten Landesinnwohnern einiges Geld unter falscher und nichtiger Verschwätzung auszulocken; als ob mittels derley Gebetter durch Beschwör = und Bannung der Geister verborgene Schätze erhoben, und überkommen werden möchten; wo doch allemal die Erfahrniß an Tag geleget, daß durch dergleichen sowohl in göttlichen Gebotten, als auch in geist = und weltlichen Rechten nach Gestalt der Umstände auch unter einer Todesstrafe höchst verbannte abergläubische Blend=

werke der vorgeschwätzte Effect keineswegs erreichet, sondern dargegen zum öftern sogar der betrübteste Bettelstab zugezogen, mithin viele sonst wohlbemittelt gewesene Leute ihrer Nahrung beraubet und außer Stand ihres Gewerbes versetzet, folglichen in contribuendo nicht nur dem universo entfallen, sondern annoch andren Unsren getreuen Unterthanen in particulari sowohl, als dem publico zur Last geworden seyn.

Und nun Wir aus Landesmütterlicher Obsorge um diesem seit einigen Jahren des mehrern überhand nehmenden Uebel, und um sich greifenden verderblichen Unwesen in Zukunft soviel möglich vorzubeugen, und gemessene Schranken zu setzen, die Eintreibung der bey verschiedenen Landesinnwohnern annoch verborgen aufbehalten seyn mögenden dießfällig aberglaubischen Schriften, oder auch gedruckten Büchel unter andern ein fürträgliches Mittel zu seyn befunden.

Als gebieten Wir hiemit allen Landesinnwohnern und Unterthanen insgesammt und sonders, was Standes, Wesens, oder Würden die immer seyn mögen, daß dieselben all und jede von den sogenannten Christophori oder Coronä Gebettern oder sonst unter was für Titel: um nämlich durch Anruf- oder Beschwörung der Geister und bösen Feindes verborgene Schätze oder einiges Geld zu erlangen handlende Schriften, oder auch gedruckte Büchel entweder selbst, oder durch die Geistlichkeit zu Gerichtshanden ohne aller zu befahren habender Strafe binnen 3. Monaten um so gewisser abgeben, als im widrigen nach Verlauf dieser ausgesetzten 3. monatlichen Frist wider diejenigen, was Standes, Wesens oder Würde die immer seyn mögen, bey denen etwa nachgehends derley Schriften oder Büchel befunden würden, oder wo solche über obausgemessene Zeit wissentlich aufbehalten werden möchten, mit einer gleichmäßigen wie gegen die Verhöl- und Ausstreuung der ketzerischen Bücher bereits allergerechtest ausgesetzten Strafen unnachläßlich fürgegangen werden solle.

Damit aber diesem desto besser und sicherer nachgelebet werde, so befehlen Wir anbey all und jeden vorgesezten Obrigkeiten, Gerichten und Beamten bey Vermeidung Unsrer höchsten kais. kön.

Ungnade, daß dieselben auf die Einbringung sothaner abergläubischer Schriften oder auch gedruckten Büchel zu allen Zeiten ein sorgsames Augenmerk haben, und alles Fleißes bedacht seyn sollen. Hieran wird vollbracht Unser gnädigster Will und Meynung. Geben rc.

NUM. VI.

Extract eines von Wien den ersten März 1755. an alle Königl. Repräsentationen in den gesammten Böheimischen, und Oesterreichischen Erblanden erlassenen allerhöchsten Rescriptes.

MARIA THERESIA rc. rc. Wir haben eine Zeit lang mißfällig wahrnehmen müssen, daß nicht allein verschiedene von Unsren Landesinnwohnern in ihrer Leichtgläubigkeit so weit gehen, daß sie dasjenige, was ihnen durch einen Traum, oder Einbildung vorgestellet, oder durch andere betrügerische Leute vorgespieglet wird, für Gespenster und Hexereyen halten, nicht minder denen für besessen sich ausgebenden Leuten alsogleich Glauben beymessen, sondern daß sie auch in ihrer Leichtglaubigkeit öftermals von einigen mit Vorurtheilen eingenommenen Personen gestärket werden, wie denn leztlich in unsrem Markgrafthume Mähren die Sache so weit getrieben worden, daß verschiedene Körper unter dem Vorwande, daß sie mit der sogenannten Magia posthuma behaftet gewesen, aus den Freudhöfen ausgegraben, und einige davon verbrennet worden, wo doch hiernächst bey der erfolgten Untersuchung sich nichts andres, als was natürlich war, befunden hat.

Wie zumalen aber hierunter mehrentheils Aberglauben und Betrug stecket, und Wir dergleichen sündhafte Mißbräuche in Unsren Staaten keineswegs künftighin zu gestatten, sondern vielmehr mit den empfindlichsten Strafen anzusehen gemeynet sind; als ist Unser gnädigster Befehl, daß künftighin in allen derley Sachen von der

Geistlichkeit ohne Concurrenz des Politici nichts vorgenommen, sondern allemal, wann ein solcher Casus eines Gespenstes, Hexerey, Schatzgraberey, oder eines angeblich vom Teufel besessenen vorkommen sollte, derselbe der Politischen Instanz sofort angezeiget, mithin von dieser mit Beyziehung eines vernünftigen Physici die Sache untersuchet, und eingesehen werden solle, ob, und was für Betrug darunter verborgen, und wie sodann die Betrüger zu strafen seyn werden. Ihr werdet solchemnach diese Unsre allerhöchste Ordnung nicht allein dorten, wo ihr es nöthig erachtet, kundmachen, sondern dieselbe auch vornämlich denen geistlichen Ordinarien mit dem Beysatze intimiren, daß sie ihren untergebenen Consistorien und Geistlichen dießfalls sowohl die erforderliche Pastoralinstruktion ertheilen, als auch vor allem sie dahin anweisen sollen, in vorbesagten Fällen allemal die Sache denen politischen Stellen anzuzeigen, und die genaue Untersuchung vorhergehen zu lassen, worüber sodann de casu in casum der Bericht an Uns zu erstatten seyn wird ꝛc.

NUM. VII.

RESCRIPTUM MEMORATUM LIBRO II. §. XLIX.

de Anno 1756. 6. August.

MARIA THERESIA ꝛc. Le. Ge. Uns ist umständlich allergehorsamst vorgetragen worden, was Uns ihr über das Gnadenbesuch des in denen Gistebnitzer Frohnvesten in Unsrem Erbkönigreiche Böheim ex capite superstitionis & respective Magiæ insitzenden und nach vollführter Inquisition von euch zum Schwerte verurtheilten Joh. Po. mittels eures Berichtes vom 20. May dieses laufenden Jahres allerunterthänigst gutächtlich eingerathen habet. Wenn denn wir diesen einfältigen jedoch boshaften Menschen statt der von euch zuerkannten Todesstrafe auf zwey Jahre in

das Spinnhaus nacher Prag geliefert wollen, und daß selber allda durch die Geistlichkeit auf einen bessern Weg gebracht, und in der allein seligmachenden Catholischen Religion gründlich unterrichtet werde, das Behörige veranlassen, von Zeit zu Zeit aber ihr, wie er sich aufführet, einen allerunterthänigsten Bericht zu Handen unsrer K. K. obersten Justizstelle gehorsamst erstatten sollet, übrigens aber, daß ihr in derley Verbrechen nicht so leicht und so weit gehen sollet, mithin wenn künftighin ein Delinquent ex capite sortilegii superstitionis aut Magiæ indiciret werden sollte, derselbe zwar alsogleich in Verhaft gezogen, und zu dem gehörigen Halsgerichte geliefert, auch von diesem wider ihn die Inquisition vorgenommen, und solche behörig vollführet, nach vollführter Inquisition aber wider derley Delinquenten mit der Tortur, noch sonsten mit einem Criminalurtheile fürgegangen, sondern von dem inquirirenden Halsgerichte die acta inquisitionalia allemal dem vorgesetzten Obergerichte zugeschicket, von diesem aber solche jedesmal mittels eines Berichtes nebst beygefügter gutächtlicher Meynung zu Handen unsrer K. K. obersten Justizstelle befördert, und darüber Unsre allerhöchste Entschließung abgewartet werden solle. Ihr werdet solchemnach, wie Unser fernerer gnädigster Befehl hiemit an euch ist, wenn künftighin in Unsrem Erbkönigreiche Böheim derley Delinquenten einkommen würden, nach dieser Unsrer Resolution euch nicht nur eures Ortes verhalten, sondern auch solche denen sogenannten dasigen Halsgerichten zur künftigen genauen Beobachtung weiters intimiren; allermassen Wir denn zu mehrerer Beförderung der Sache denen Halsgerichten, in Unsrem Herzogthume Schlesien selbige, durch das alldortige Königl. Amt bedeuten, und durch dasselbe die dasigen Halsgerichte dahin, daß sie künftighin in derley Criminalvorfallenheiten gleichfalls nach dieser Unsrer Resolution sich zu achten, folglich nach vollführter Inquisition die dießfälligen acta inquisitionalia euch, als vorgeseztem Obergerichte allemal zuzuschicken hätten, anweisen lassen.

Ansonsten aber zeiget euch der copeyliche Anschluß mit mehrerm, was an den (Titl.) Erzbischofen zu Prag, damit die Geist-

lichkeit, und Pfarrer, wie auch die Missionarien zu Abstellung der Sortilegien und Aberglauben angehalten werden, eben auch unter heutigem Dato ergehet.

So Wir euch gleichfalls zu eurer Nachricht hiemit in Gnaden communiciren wollen. Hieran ꝛc. Wien den 6. August 1756.

INSCRIPTIO.

Der Königl. Appellationskammer zu Prag wird per recepisse die von Ihrer Majestät wegen des in denen Gistebnitzer Frohnvesten ex capite superstitionis, & respective Magiæ insitzenden, und von derselben zum Schwerte verurtheilten pro gratia recurrirten J. P. geschöpfte Resolution bedeutet, und zugleich instruiret, wie künftighin wider die ex capite sortilegii, superstitionis aut Magiæ einkommende Delinquenten zu verfahren sey. *

FINIS LIBRORUM DE CULTIBUS MAGICIS.

* Quæ his tribus ultimis numeris AUGUSTÆ Lectoribus rescripta communico, debeo lubens singulari plane benevolentiæ, ac humanitati Viri ILL. FRANCISCI DE BOURGUIGNON in supremo Justitiæ Tribunali Consiliarii, ac Studiorum Juridicorum in Universitate Vienensi Directoris, & Præsidis amplissimi, ac meritissimi.

ΕΠΙΜΕΤΡΟΝ.

DE RITU IGNIS NATALI JOANNIS BAPTISTÆ DIE ACCENSI DISSERTATIO.

MONITUM.

Conscripsi hanc, quam vides, dissertationem in forma epistolae 1758., eamque tum juvenis ad amicum juvenem JOSEPH. ANTONIUM EQ. DE RIEGGER *Professorem nunc Friburgensem, qui de hoc ritu instrui plenius cupiverat, ex plebe Hauskirchii, ubi tum animi gratia morabar, miseram d. 13. Octob. Impressa etiam fuit apud Kurzboeckium 1759. 8vo. Quum in praecedenti opere saepius citetur, atque nonnullum cum eo themate nexum habeat, nolui eam hoc loco tamquam adpendicem desiderari. Formam epistolae ei detraxi, quaedam addidi, alia omisi, tuique commodi caussa, Lector benevole, universim emendavi.*

LAUDAMUS VETERES, SED NOSTRIS UTIMUR ANNIS.

OVID. FAST.

SUM-

S U M M A.

§. I. Notanda Erasmi Roterod. sententia de literarum studiis collata cum Platonis effato. §. II. Commendatio thematis. §. III. Cananæi qui? Incidenter an ii Germaniam & Sclavoniam inhabitarint. §. IV. Qualis apud eos cultus per ignem usitatus? §. V. R. Achaz factum idololatricum exponitur. Theodoreti a Mich. Glyca perperam adducti mens. Græcorum auctorum versiones numquam solæ consulendæ. §. VI. Concilii Trullani canon LXV. explicatur. §. VII. Benj. Tudelensis, Fernandus Mendez, J. Leryus & Baro de la Hontan similes ritus in aliis orbis partibus memorant. §. VIII. Quid apud Romanos Palilia & Suffitiones. Unde Palilia orta sint; contra Ovidii sententiam disputatur. Lex XLV. §. 3. ad L. Aq. de iis capienda. §. IX. An priscis Germanis similis mos? Judæi Selenolatræ. Obscurus Diodori locus de Germanis quadamtenus explicatus, ex quo annus lunaris eis in usu fuisse videtur. §. X. Traditio Rhodiensium de hoc festo unde? Græci festum Joannis Præcursoris die XXIII. Septembris & Ecclesia Alexandrina die XXIII. Aprilis egit. De ignibus Gentium philosophia. §. XI. Christianorum varia de ignibus festo Joannis die accensis cogitandi ratio. §. XII. Eadem porro ostenditur. Mea de iis sententia. Festum Joanneum Græcis λαμπας dictum. §. XIII. Ignes aliis Sanctis excitari solitos ad imitationem hujus festi videri. Abusus in festo Joannis notati. Austriacis terris ignes ejus diei per edicta cur eliminati? An omnes? §. XIV. Excursus ad vocis austriacæ hunc diem designantis etymologiam. Rotæ volutatio eodem die usitata. Observatio de vetustissimis dierum nomenclationibus. §. XV. Unde majoribus nostris dies hebdomadæ? Et quam diversis iidem nominibus distinguerentur? Quod ordine eorumdem dierum deinceps docetur. Quare pars oppidi Westphaliæ Erichsberg *dicenda? Quis deus Wodanus Germanis? §. XVI. Unde deus* Thor *ita vocaretur? Unde austriacis* Pfinstag. *Refutatur Leibnitius & alii. Deum Penninum ab alpibus penninis nomen gessisse, non contra; diem a deo. Notatur Livius. Quod vero hæc*

nomenclatio usque in Germaniam inferiorem propagata fuerit. §. XVII. Etymologia germanicarum diei Veneris & Sabbati appellationum. S. Patres in ethnicas dierum nomenclaturas inveheuntur. Et quid nos iisdem utentes excuset?

I.

Recte admodum magno Erasmo (*a*) videbatur *literas quovis cervo fugaciores; duobus tamen potissimum canibus nos adsequi posse, admiratione scilicet atque improbitate laboris, quod & admirari plurimum discendi ardorem ministret, laborque omnia vincat.* Ferebam id ego effatum semper in oculis, quippe qui & ex Platonis Theaeteto didicerim ipsum philosophiae initium hac ab admirandi vi animae tributa proficisci. Verba ejus haec sunt: Μαλα φιλοσοφȣ τȣτο το παθος το θαυμαζειν. ȣ γαρ ἀλλη αρχη φιλοσοφιας ἡ ἀυτη. (*b*) Inde vero illud alterum profluxit, ut nullam unquam disciplinam contemtui habuerim, sed ad quamcunque animus rapiebatur, eam combibere tentaverim illico, atque nec ipsas minutias quas alii negligunt, vilipendendas duxerim. Nescio enim quo pacto fere evenire soleat, ut qui in hujuscemodi, quas illi ajunt, minutiis sunt incurii, tales se in majoris quoque momenti quaestionibus praestent, quo efficitur, ut iis nec spes, ad accuratam, lectam ac solidam eruditionem perveniendi supersit.

II. Ignis, quem in tota Europa, ipsaque Asia & Africa eo tempore, quo Natalis S. Joannis τȣ Προδρομȣ memoria celebratur, congesto undique pabulo & accendebant olim, & nunc, ubi ex rationibus politicis non prohibetur, accendere solent, omnem profe-

---

(*a*) In *convivio profano*.

(*b*) add. Aristot. II. Met. 2. Vossius *de philos.* II. 6. 7. Leibniz ep. CC. ad *Kortholt*. n. 11.

cto attentionem meretur. Nam alii superstitionis accusant, alii ut pium ritum defendunt. Nos, ut quid huic rei subsit, plenius dijudicare queamus, indagare oportet, cui fini & usui hujus generis ignes apud varias nationes excitari fuerint soliti.

III. Si rem ab ultima repetere lubet memoria, primos inter Asiae incolas Cananaei occurrunt, Graecis latinisque auctoribus Phoenices dicti (*c*), quos olim diris devotos GEN. IX. 25., Israelitae demum JOSUAE ductu nondum elapso ab expeditione sexennio (*d*) sub jugum misere aliis interfectis, in servitutem redactis aliis, partem in alienas terras fugatis, quas determinat ὁ πανυ BOCHARTUS in *Canaan* L. I. ubi colonias eorum in Asiam minorem & Graeciam, Africam, Hispanias, marisque mediterranei insulas omnes migrasse ostendit, nunquam tamen in Italiam ipsam penetrasse. Ex quo, ut id obiter moneam, luculenter deducitur; quam turpiter Hebraei, quod Bochartus ostendit, errent, ac porro eorundem fidem sequens GILB. GENEBRARDUS (*e*) impingat, dum adserit caesorum a Josue Cananaeorum reliquias in Germaniam, Sclavoniam & vicinas venisse regiones. *Unde*, ait, *Germania Cananaeorum propago ferarum potius, quam hominum domicilium Tacito visa est sine urbibus, sine oppidis, sine castris, sine cohaerentibus aedificiis; quare & inter regiones Scythiae habita. Plin. IV. 12.* Adparet, quam haec leviter, immo pene stulte dicantur.

IV. Populi hi, ut ad propositum redeam, inter cetera, quibus divinam proliciebant iram, scelera (*f*) Ammonitarum ex Coelesyria Idolum *Moloch*, seu *Milcom*, quo VOSSIO judice sol designabatur (*g*), in Deum sibi erexerunt LEV. XVIII. 3. 21. XX. 3. 5. sequentibus eos deinceps hac in abominatione non raro hebraeis. DEUT. XVIII. 10. collato AMOS V. 26. ACT. AP. VII. 43. Id

(*c*) V. GROT. ad *Math.* XV. 22. BOCHART *Phaleg.* IV. 34.

(*d*) Hebraei perperam septem annos ponunt in *Seder Olam Rabba* P. I. c. 11.

(*e*) in *Chron.* ad A. M. 2709. p. 82.

(*f*) *Dan.* XIII. 56.

(*g*) III. Reg. XI. 5. 7. 33. Voss. *Theol. Gent.* II. 5. Opp. T. V. p. 123.

quæritur inter Eruditos, quo cultus genere idolum hoc adfecerint? in quo quidem tres ſunt ſententiæ. Quarum alia, cui ex Rabbinis pro patrum ſuorum humanitate decertantibus ſolus adſentitur ABEN EZRA citatus Voſſio, pueros eidem a parentibus immolatos fuiſſe contendit ex PSALM. CV. 36. 37. JEREM. VII. 31. XIX. 12. XXXII. 35. Sunt alii, qui eum cultum catharſi quadam per ignes duos a latere ſuccenſos transeundo abſolutum fuiſſe doceant liberis a ſacerdotibus vel eorum præſcripto a parentibus ductis geſtatisve, quod plures Rabbinorum volunt apud Voſſium; idque Tataris inclinante ſeculo XV. Imperatorem ſuum adire parantibus uſitatum fuiſſe ſcripſit ALPHONSUS TOSTATUS (*h*). Alii demum eam expiationem ita declarant, ut pueros dumtaxat velint ignem ante Idolum accenſum transſiluiſſe, quam in primis deamant Rabbini, quorum verba apud KIRCHERUM leguntur (*i*), doctrina autem adeo placet viro *παραδοξοτατῳ* JAC. GAFFARELLO, (*k*) ut eum, cui alia mens ſedeat, communis rationis expertem proclamare non dubitet. Si tamen recte ſupputes, liquet omnia tria cultus ſervitiive genera apud eos pedetentim invaluiſſe populos (*l*).

V. De Rege ACHAZ legitur, eum præter alia flagitia hanc pariter Cananæorum idolomaniam imitatum fuiſſe. & quidem his verbis: *ἀλλα και τȣς ὑιȣς ἀυͳȣ διηγαγεν ἐν πυρι*: *ſed & filios ſuos traduxit in igne* (*m*). Quorum interpretationem a THEODORETO, Cyri in Syria oppidi Epiſcopo petere juvat. Floruit is circa A. Ch. 430. Ejus locum jam tum non editis adhuc ejusdem operibus CASAUBONUS (*n*) omiſſo ſolo ultimo commate produxerat. Inte-

(*h*) *Comment.* ad IV. REG. 16. Opp. Colon. edit. 1613. T. VII. P. II. p. 265.

(*i*) *Oedip. ægypt.* Synt. IV. c. 15. T. I. p. 329.

(*k*) *dans les curioſitez inouyes* edit. s. *l.* 1637. 8. p. 25. add. SCHEDIUS de *diis* Germ. c. 33.

(*l*) v. GROT. ad *Deut.* XVIII. 10. collato VOSSIO l. c. & AUG. CALMETO ad IV. *Reg* VI. 3. T. II. p. 885. *edit. gall.*

(*m*) II. *Paralip.* 28. v. 3.

(*n*) ad TIBULL. *eleg.* 5. v. 87. p. m. 341.

ger vero in editione Sirmondina ita extat (*o*): Ειδον ἐν τισι πολεσιν ἁπαξ τȣ ἐτȣς ἐν ταις πλατειαις ἁπτομενας πυρας, και ταυτας τινας ὑπεραλλομενȣς και πηδοντας ȣ μονον παιδας ἀλλα και ἀνδρας. τα δε γε βρεφη παρα των μητερων παραφερομενα δια της φλογος. ἐδοκει δε τȣτο ἀποτροπιασμος εἰναι και καθαρσις. i. e. *Vidi in aliquibus urbibus semel per annum in plateis rogos accensos, quales quidam supergrediebantur, & transsiliebant non solum pueri, sed & viri. Infantes vero a matribus per flammam traducebantur. Mihi autem hic mos iræ Deorum averruncatio & purgatio esse videbatur.* Quæ sit mens Theodoreti, liquet. Unum tamen filiorum suorum Achazus transferens per ignem videtur simul immolasse in igne ex IV. *Reg.* c. 16. v. 3. quod pariter Josephus in *Antiquitatibus Judaicis* IX. 12. censet. Id hac occasione notari meretur interpretationem Annalium Michaelis Glycæ Scriptoris seculi XII. qui Josephi opinionem & eumdem Theodoreti locum licet corrupte refert, iis, qui latina tantum consulunt, valde imponere, dum dicit Theodoretum *vidisse semel in anno rogos accendi, quibus injiciantur pueri quidam & viri* (*p*). Quare ego sic existimo græca in auctoribus græcis evolvendis non umquam esse negligenda, quamvis traductiones ceteroquin a fama fidissimæ ad manus habeantur. Certe etiam, quam citavi Glycæ editio, haud exiguam pro se opinionem habet, quum Phil. Labbeus in præfatione adfirmet, se versionem, quæ est Leunclavii, plerisque in locis emendasse. Eamdem Glycæ ineptam interpretationem Delrius volumini suo inseruit (*q*).

VI. Quod Theodoretus semel in anno factum ait; id in noviluniis boni auspicii caussa a Christianis actitatum docemur e concilio Trullano A. Ch. 692. habito, quod pœnis ecclesiasticis in moris hujus tenaces advertit. Verba ejus hæc sunt: (*r*) Τας ἐν

(*o*) in IV. *Reg.* quæst. 47. Opp. T. I. p. 352.

(*p*) Glyc. *Annal. a M. C. ad Alexii Comneni obitum* Paris 1660. fol. P. II. p. 102.

(*q*) *Disq. Magic.* lib. IV. c. 2. quæst. 7. sect. 1.

(*r*) v. Colet. Coll. Conc. T. VII. col. 1377. Can. LXV.

ταις νεμενιαις ὑπο]ινων πρo των οικειων ἐργαςηριων και οικων ἀναπ]ομενας πυρ-καιας, ἁς καὶ ὑπεραλλεσθαι τινες κατα]ι ἐθος ἀρχαιον ἐπιχειρεσιν (BEVEREGIUS legit: ἐπιληρεσιν) ἀπο τε παρον]ος καταργηθηναι προςασσομεν. Ὅςις ἐν τοιε]ον τι πραξοι, ἐι μεν κληρικος ἐιη, καθαιρεσθω, ἐι δε λαικος, ἀφοριζεσθω. i. e. *Quos in noviluniis quidam ante domesticas tabernas & domos accendere solent rogos, desuperque ex vetusta consuetudine salire attentant, abhinc cessare volumus. Quicunque igitur tale* quid *patraverit, si Clericus sit, deponatur, laicus segregetur.* Atque hæc quidem de noviluniis cujusvis anni primis haud injuria accipimus. Ducit nos eo, quod ex oratione invectiva CHRYSOSTOMI (*s*) in Calendas Januarias scripta colligimus. Docet enim Græcos omnis generis lætitia eum diem celebrasse, pernoctationibus scilicet, saltationibus nocturnis, lucernis in foro accensis, coronis in capite gestatis, ceterisque ejusmodi, impiis etiam nugis. Quare & procedente hac consuetudine, ut fieri solet, rogis ignium exstructis auctam esse censeo. Hæc omnia vero boni eos auspicii caussa jam tum fecisse ait illa ex opinione (*t*): Ει την νεμενιαν τε μηνος]ετε μεθ' ἡδονης καὶ ἐυφροσυνης ἐπι]ελεσαιεν, καὶ τον ἀπαν]α τοιε]ον ἑξειν ἐνιαυ]ον, *Si novilunium hoc læti hilaresque agerent, se & totum annum felicem traducturos esse.* Concilium igitur superstitiosam hanc temporum observationem igniumque eorum ingentem abusum a christianis mentibus alienum voluit. Nec hic error facile evelli potuit. Nam THEODORUS BALSAMON in *Commentario ad Concilium hoc* circa A. C. 1191. finito (*u*) late describit, quomodo hos ignes Græcis divinationi seu pyromantiæ expiationique servire oportuerit, sed quod tempore procedente potius in diem XXIII. Junii traducti sint, ut ita forte & Concilio aliquantum & sibi velificarentur, quod postea magis elucescet, donec & hos ignes ipsius Balsamonis ætate MICHAEL ANCHIALUS Patriarcha proscripserit. MONTACUTIUS dum canonem Trullanum eos inhibentem ignes refert,

---

(*s*) Opp. T. I. p. 699. *edit. Monachorum.*

(*t*) ibid. p. 701.

(*u*) ap. BEVEREGIUM in *Synodico Patrum* T. I. p. 234.

frustra monet *suos Anglos* BONEFIRES *appellare*, *& in publica lætitia*, *& gaudiis adhibere*, *non obstante isto Canone* (*x*), quod Concilium innocentem talium ignium celebrationem minime prohibeat, ut ita Anglorum mori haud obsit.

VII. Ulterius in Asia diffusum morem per ignes trajiciendi adhuc A. C. 1173. in itineribus suis, ritusque Cananaiticis haud dissimiles observavit R. BENJAMIN TUDELENSIS, ubi de insulis, quas in hebraico *Chenerag* dicit & Sumatræ vicinas esse colligitur, sequentia narrat (*y*): *Incolæ Dugbyini, qui colunt ignem, ante excelsum sive altare Oratorii sui vallem magnam habent, ubi singulis mundi diebus magnum ignem accendunt, quem vocant divinitatem, per quem filios suos transmittunt, mortuosque suos etiam in medium ignis projiciunt, quin etiam vivos.* Etiam cultum per ignem in ora Indiæ Asiaticæ maritima se vidisse refert FERNANDUS MENDEZ PINTO Lusitanus apud GROTIUM in *Deut.* XVIII., cui credibile est eum ipsum a Phœnicibus acceptum esse. Et ne Americam indictam mittamus, JOANNES LERYUS GAFFARELLO teste eum in Brasilia notaverat A. 1556. Ac Baro *de la* HONTAN (*z*) hujusmodi ignibus cum tripudiis & saltu celebratis ordinario totius anni Solis cultui Canadensium interfuit. De Africa dicemus infra.

VIII. Per Phœnicas morem trajiciendi per ignem in Siciliam, & inde Romam venisse GROTIUS l. c. conjecit. Videamus igitur, quo in loco is apud Romanos fuerit. Perscrutanti horum solemnitates offerunt se 1) Palilia, 2) Suffitiones. In utrisque saltus per ignes ad expiationem pertinens. De suffitionibus probe a suffimentis distinguendis FESTUS in *Aqua* hæc tradit: *Funus prosecuti redeuntes ignem supergrediebantur aqua adspersi, quod genus purgationis vocant suffitionem.* Sed alia erat expiatio, quam

Ccc

(*x*) *Orig. Eccles.* P. prior f. 730.

(*y*) *Itinerar.* cum notis Cl. l'EMPEREUR p. 108.

(*z*) *Memoires de l'Amerique Septentrionale* T. II. p. 129.

Romulus celebravit. De hoc ſcribit HALICARNASSENSIS lib. I. Πυρκαιας προ των σκηνων γενεσθαι κελευσας ἐξαγει τον λεων τας φλογας ὑπερθροσκοντα της ὁσιωσεως των μιασματων ἑνεκα, *quod piris ante tentoria exſtrui juſſis populum eduxerit, ut piaculorum purgandorum cauſſa flammas ſuperſiliret.* Vix dubium eſt, quin hanc religionis partem Romulus a Phœnicibus acceperit. Romani vero hunc ritum ex traditione conſervarunt. Quare ubi in Palilibus XI. Kal. Maji ſeu XXI. Aprilis in honorem Palis deæ multorum judicio ex Oriente advectæ habitis urbis natales recolebantur, idem mos πατροπαραδοτος cum aquarum ablutionibus ceterisque ceremoniis haud prætermiſſus eſt. Sub veſperam enim in pagis ignes e fœno & ſtramine ſuccendebant, atque pro februatione trajiciebant. Ejus tamen ritus origo latuit. OVIDIUS *Faſtorum* lib. IV. varias admodum rationes excogitavit. Sic enim legitur in emendatioribus ejusdem editionibus:

- - - - - Moris mihi reſtat origo.
Turba facit dubiam, cœptaque noſtra tenet.
Omnia purgat edax ignis, vitiumque metallis
Excoquit, idcirco cum duce purgat oves?
An quia cunctarum contraria ſemina rerum
Sunt duo diſcordes ignis & unda dei?
Junxerunt elementa patres, aptumque putarunt,
Ignibus & ſparſa tangere corpus aqua.
An quod in his vitæ cauſſa eſt, hæc perdidit exſul,
His nova fit conjux, hæc duo magna putant?
Vix equidem credo, ſunt qui Phaetonta referri
Credant & nimias Deucalionis aquas.
Pars quoque, quum ſaxis paſtores ſaxa terebant,
Scintillam ſubito proſiluiſſe ferunt;
Prima quidem periit, ſtipulis excepta ſecunda eſt,
Hoc argumenti flamma Palilis habet?
An magis hunc morem pietas Æneia fecit
Innocuum victo cui dedit ignis iter?

Num tamen eſt vero propius, quum condita Roma eſt,
Transferri juſſos in nova tecta lares?
Mutantesque domum tectis agreſtibus ignem
Et ceſſaturæ ſuppoſuiſſe caſæ?
Per flammas ſaliiſſe pecus, ſaluiſſe colonos?
Quod ſit natali nunc quoque Roma tuo.

Memorant etiam hunc morem VARRO apud *Scholiaſten Perſii* ad *Sat.* I. v. 72. TIBULLUS II. 4. PROPERTIUS IV. 4. Quidquid autem de eo diſputetur, fruſtra eſt, niſi dicamus Romulum, ſeu ab eo urbem conditam, ſive inſtauratam ponas, ſe ſuosque more prius phœnicio expiatos, atque relligione ſua puros caſtosve æternum opus adgredi voluiſſe, eumdemque ritum aliis demum cerimoniis, ut fieri amat, effigiatum ad Romuli nepotes fuiſſe transmiſſum. Quam in rem ii vigeſimam primam Aprilis diſpiciebant, qua putabant prima urbis poſita fuiſſe mœnia, & hinc ſimul paſtorum Deæ Pali lacte litabant, quod absque vita paſtoritia nulla hominum ſocietas aut conſiſtere aut naſci poſſit. Plures ei ſuperſtitiones adcommodatæ, multæ religiones adhibitæ, quibus certo & fauſtiſſimo ſimul omine pecora æque ac homines purgari, & in deorum tutelam inſeri credebantur (*a*). Hæc denique ſolemnitas non raro Jureconſultos occupavit. Species eſt in l. *Scientiam* 45. *§. cum* 3. *D. ad L. Aquil.* quam ſcite exponit elegantiſſimus JCtus GERARDUS NOODTIUS (*b*), ubi eam legis paragraphum recte omnino de Palilibus accepit, in eo ſolo lapſus, quod Ovidii rationibus fidem adhibeat.

IX. Propius ad argumentum accedemus, ſi quæſiverimus an Germani ſimili ritu in ſacris ſuis uſi fuerint? Atque id quidem omnino non poſſumus non adfirmare. Conjicimus vero Germanos ethnicos circa idem tempus, quo nos S. Joannis Baptiſtæ feſtum colimus, ignes feſtivos excitaſſe, & poſt alia hilaritatis indicia ſal-

(*a*) v. BOECLER ad VELL. PATERC. I. 8.

(*b*) in lib. pecul. *ad h. l.* cap. VII. Opp. T. I. p. 147.

tum per hos catharmi causſa adhibuiſſe. Plane ſi illi auctore CÆSARE (*c*) Solem ut deum præcipuum colebant, & quod addit DIODORUS de hyperboreis loquens, Apollinis, ſeu ſolis ſacerdotes eſſe videbantur (*d*), ratione nos haud deſtitui arbitramur adſerentes, eos cunctas hujus diei mutationes ſollicite obſervaſſe, atque adeo *tum, quando in ipſa natura converſio fit, quæ luminis tempus auget & tenebrarum minuit, nobisque admovet principem, atque dominum univerſæ fluxæ naturæ*, ut ait PLUTARCHUS (*e*), eos in præcipua lætitiæ & congratulationis ſigna erumpere oportuiſſe. Prorſus quemadmodum olim Judæi ſelenolatræ choreas, epulas, omnisque generis ludicra parabant, quando lunam a conjunctione primum conſpicerent, *ut*, verbis utor SPENCERI *de LL. hebr. ritu.* III. diſſ. IV. 1., *gaudium ſuum de dea antehac cava & lumine caſſa nunc ſibi & ſuis reſtituta teſtarentur* (*f*). Inde profecto vetus fabula, quam ex HECATÆO DIODORUS l. c. profert, Apollinem *ſingulis XIX. annis* (*g*) *inſulam Hyperboræorum* (*h*) *adire, in hac deum adparitione cithara pſallere noctu, & choreas agitare continuo ab æquinoctio verno ad uſque Plejadum exortum* (*i*) *ſuorum ſe laudibus ſucceſſuum oblectantem.* Cui fabulæ veri quid ineſſe præter dicta id commonſtrat, quod Germani cum plerisque aliis nationibus currum peculiarem Solis itineri perficiundo adſignaverint. Ita illi in ſuis ſacrificiis equos, verres, aliaque animalia Solis trahendo currui deſtinata offerre conſueverant (*k*). Rhodienſes oblatione annua currus quadrijugi Solis in honorem in mare præcipitati,

---

(*c*) *de B. Gall.* VI. 21.

(*d*) *Bibl. hiſt.* T. I. p. 158. ed. Weſſeling.

(*e*) *Quæſt. rom.* 19.

(*f*) v. IV. *Reg.* 23. v. 45. II. *Paral.* 34. v. 3. 4. *Jerem.* XIX. 13.

(*g*) Hinc veteribus Germanis annum lunarem Chronologi notum fuiſſe colligunt.

(*h*) Intellige eam quæ eſt maritima & in ſeptentrionem porrecta Germaniæ regio. Nec enim cum Rudbeckio hyperboreos in ultimo ſeptentrione quæras. v. Cl. FRERET Diſſ. *dans l'hiſtorie de l'Academie des belles lettres* T. IX. & celeb. FISCHER *Quæſt. Petropol.* von den Hyperboreern, præter WESSEL. ad l. c.

(*i*) Plejades exoriuntur tempore meſſis, HESIOD. l. 2. *init.* quæ feſtum S. Joannis excipit.

(*k*) RUDB. *Atlant.* T. I. c. 5. p. 109.

quod is, ut ait Festus in *October*, *tali curriculo ferebatur circumvehi mundum*, insignes erant. Et quis Romanorum de Phaetonte ignoret fabulam a fabulis ceterorum populorum haustam? Ipsi Slavi stellam a circumvehendo **Wezti**, **Hwězda** adpellitant.

X. Ut igitur dicta colligam, dum Sol deus summum itineris sui gradum adsequutus benigno suo influxu omnia animat, hi ignes in lætitiæ signum excitati sunt. Ex qua gentilium theologia mos apud Suecos profluxisse videtur vigiliam S. Joannis multis tripudiis cantu ac saltationibus distinguendi (*l*). Certe illa Rhodiensium traditio emanavit, ex qua J. C. SCALIGER (*m*) memorat, *se olim puerum Rhodienses audivisse prædicantes in anniversariis natalibus divi Joannis Baptistæ Solem exoriri solitum exultantem ac quasi cum tripudio.* Eadem ratione Græci, quod Balsamon supra retulit, suos illos ignes ad ethnicorum exemplum, nec enim dicta tripudia Soli celebrata unis Germanis sed & ceteris gentilibus, quorum plerique heliolatræ, communia fuisse censenda sunt, in XXIII. Junii transtulerint. Nec vero græci festum S. Joannis cum latinis die XXIV. Junii agunt, sed demum XXIII. Septembris, quod adnotavit J. A. FABRICIUS ex græcorum menologiis (*n*), & Ecclesia Alexandrina primis festi illius annosissimi temporibus d. 28. mensis Pharmuthi, i. e. 23. Aprilis idem celebravit (*o*). Quum deinde Germani cum ceteris gentilium nationibus ignem tamquam Solis dei sui parentis simulacrum venerarentur, divinitatis hujus trajectio, quam in incolis Chenerag miratus est BENJAMINUS, intimam cum ea unionem aut fausto susceptam omine februationem denotare potuit. Tali enim catharmo boreales nationes in ipsis etiam compotationibus suis sacris circum ignem medio in templo accensum peractis usi pocula mero repleta per flammam transducebant (*p*). Hoc

(*l*) RUDB. l. c p 420.
(*m*) Exercit. LXIII. *de Subtil.* ad Cardanum p. m. 230.
(*n*) in *Bibl. Antiq.* c. X. p. m. 339.
(*o*) BARON. ad an. 432. n. 73. CASAUBONUS *Exercit. ad eum* I. n. 25. p. 50.
(*p*) KEYSLER *Antiq. Celt. & Septentr.* p. 256 seq. SCHEFFER *Upsalia* c. 10.

certe motivo gentilitas omnis ignis quasi halitu contingi desiderabat. Exemplum est in legatione, quam Justinus II. Byzantinorum imperator ad Mocanchanum Tatariæ Sinensis, partis Siberiæ & aliarum ad Caspium usque mare partium dominatorem a. 569. miserat. Legati ubi in Bochariam majorem venerunt, Turci obviam progressi oblato eos ferro per ignem utrinque collucentem traduxerunt. Ipsum vero legationis caput ZEMARCHUM pretiosis odoribus delibutum pronunciataque verborum formula circum ignem ductabant, adferentes eo ritu quidquid sinistræ fortunæ sibi aut suorum genti attulisset, detersum iri (*q*). Et hunc morem apud Mogolos hodienum usurpari auctores produnt. Universim Tataris tribuerat TOSTATUS citato supra loco.

XI. Jam alia de Christianis philosophia imbuamur necessum est. Apud hos nulli Sacri, non purgatorii ignes, nulla expians, non cathartica flamma. Ignis itaque hoc die, quo de agimus, accenditur, vel, quod aliqui volunt, ut Deo de adventante æstate gratias agamus, vel quod magis est, ut S. Joannis memoriam, in quo limes veteris & novi Testamenti constitutus fuit, læti, quam lætitiam internam ignis externe significat, colamus. Hanc mentem fidelium primævam insinuat mos ibi servatus, ubi minime cogites, ipsique homines originem dedidicerunt. Est id in Africa, de qua JOAN. LEO ipse Afer circa annum 1526. *remansisse apud Fessanos certa vestigia festivitatum a christianis olim institutarum ceremoniis utentes, quas ipsi non intelligunt:* inter quas istam ponit, & hunc in modum subdit: *Cum apud Christianos Baptistæ natalitia celebrantur, maximos ubique videas ignes multo stramine compositos* (*r*). Manifestat hujus pii ritus expressa apud fideles retentio. Sic enim Statuta Urbevetana de a. 1491. omnes ignes noctu fieri prohibent *excepta festivitate S. Joannis Baptistæ de mense Junii* (*s*).

(*q*) JUSTINUS in *legationum excerptis.*
(*r*) Africæ descriptio ed. Lugd. B. 1632.
(*s*) ap. Cl. PAUL. M. PACIAUDI S. Ord. Hieros. Historicum in libro quem *Antiquitates christian. de cultu S. Joannis Bapt.* inscripsit, Romæ 1755. 4. edito p. 338.

Archidux FERDINANDUS ubi æstatis adventum Oeniponti 1583. iisdem ignibus celebrasset, insimul drama germanicum edi voluit raptum proserpinæ repræsentans, quod ibidem impressum exstat in 4. (*t*). Et Comes de LESLIE in ipso itinere, quod legationis constantinopolitanæ caussa a. 1665. d. 25. Maji susceperat, ubi dies S. Joannis ingruit, eumdem ritum concentus inter musicos celebrasse legitur. Quare recte senserunt Professor Norimbergensis DANIEL GUIL. MOLLERUS ejusque respondens J. CHRISTOPH. EBERLINUS qui dum 1690. 25. Junii dissertationem *de ominosis diebus dominicis* defenderent, eidem hoc corollarium adjunxerunt: *Finis ignis Johannitici omnino est bonus.*

XII. Postquam igitur ignes hi inter christianos homines in omnibus orbis partibus diffusos recepti fuissent, duplicem eorum rationem a variis varie adlegatam fuisse ex his patuit. Alii ad caussas naturales & medicas delapsi sunt. Alii obviam quamque rationem sufficere posse putant. Quam in rem itinerarii citati Comitis verba admetiri haud incongruum erit. Eum, ubi festum divi Joannis Baptistæ in ædicula Patrum Franciscanorum, qui Albæ Græcæ degunt, exegisse narrasset, hæc scribere pergit is, qui eam legationem typis mandavit PAULUS TAFFERNER S. J. Oratoris Capellanus (*u*). *Sub vesperum ejus diei, seu de more per orbem longius in Austrum profecturo soli valedicentium, seu in memoriam Martyrum ea luce igne absumptorum excitari ignes in planitie urbi propinqua jussit, idque inter concentus musicos, atque ad sonitum tubarum ac strepitum tympanorum. Prævaluit festivitas Christianorum celebritati Turcicæ, quam eodem ipso die agebant in memoriam sacrificii Abrahæ.* Ego vero uti motiva hujus ritus ex pietate christiana desumta esse, ita memoriæ ejus Sancti, cujus festum eo die agitur, examussim respondere contendo. Si etenim præcipuam S.

(*t*) Ad æstatis adpropinquationem provocat etiam Monachus Pirnensis: als sie nach alder Gewonheit - - - den Sommer mit fewer entpfingen. ap. HALTAUS *Calend. med. æv.* p. 108.

(*u*) v. *Legatio. Com.* de LESLIE Viennæ edita a. 1668. in 8. p. 31.

Joannis, *quo inter natos mulierum non ſurrexit major* Matth. XI. 11. in Eccleſia dignationem conſideremus, facile delabimur ad fidelis populi conſuetudinem, qua primi chriſtiani ad abolendas eo magis occurrentes undique paganias Sanctorum recordationem inter ſe alere ſolebant, quam ipſis Eccleſia commendavit. Eccleſia Sancto huic duplex feſtum adſignaverat, Nativitatis & decollationis, de quorum priori ſuo tempore S. Augustinus (*x*) ſtupuit *Natalem diem carnis nulli Prophetarum, nulli Patriarcharum, nemini Apoſtolorum, ſolos duos Natales celebrare Eccleſiam, hujus & Chriſti.* Immo etiam, ſicut in Natali dei hominis, ita in hoc Joannis natali feſto (*y*) triplex miſſa peragi ſolebat, ut quaſi in hoc feſto alterum illud annunciaretur. Quis igitur non putet fideles ejusdem Sancti inter ſe memoriam illuſtriorem facere conatos fuiſſe? Neque majus aut pulcrius aliquod ſignum quam ignem adſumere poterant, ut hac ſenſili imagine myſterium ipſum adumbrarent. Nam ut ait Ambrosius Serm. X. in Nat. Dom. *mundi ſolem priusquam oritur, adhuc ante lucem propter neceſſarios uſus hominum ſolet lucerna præcedere. Habet autem & Chriſtus ſol lucernam ſuam, quæ ejus ortum præceſſit, ſicut dicit Propheta: paravi lucernam Chriſto meo. Pſ.* 131. v. 17. *Quæ autem iſta lucerna ſit oſtendit dominus dicens de Joanne Baptiſta Joan.* v. 35. *Ille erat lucerna ardens & lucens.* Et hæc eſt ratio, quam nobis tum res ipſa diligentius conſiderata, cum nomen hujus feſti Græcis olim uſitatum, quo id Λαμπαδα nuncuparunt (*z*), tum denique Theologi duo de ratione divinorum officiorum differentes ſubpeditant, nimirum Joannes Beleth Scriptor ſeculi XII. atque ex eo Guilielmus Durandus ſeculi XIII. Mimatenſis in Vaſconia Epiſcopus,

(*x*) Serm. 287. *in Nat. Jo. Bapt.* Opp. T. V. p. 1151.

(*y*) Hugo Menardus ad *Sacramentarium* Gregorii M. p. 166. id ex *Ordine Romano* atque ex Al cuino demonſtrat, in vigilia nempe ejus feſti unam, duas in ipſo die miſſas fuiſſe celebratas. Quod vero Natalem Christi attinet, vid. C. *Conſuluiſti* 3. X. de celebr. Miſſ.

(*z*) Hom. de *Nativ. S. Joan.* Chryſoſtomo tributa.

pus, ſcribentes: *Feruntur in hoc feſto brandæ ardentes* (*a*) *& fiunt ignes, qui ſignificant S. Joannem, quia fuit lumen ardens & præcedens & præcurſor veræ lucis.* Ut adeo cum S. BERNARDO (*b*) dicere liceat: *Gaudemus in fervore Joannis ad imitationem, gaudemus in lumine, ut in ejus lumine videamus lumen.*

XIII. Quodſi aliis etiam Sanctis ignes excitabantur, non improbabile eſt ad imitationem noſtri feſti id eſſe factitatum. Quo ſenſu capi poterit Cl. BUCHELII adnotatio (*c*), *Apud Ultrajectinos*, inquientis, *fuit & adhuc permanet ſolennior cultus D. Thomæ primi Patroni Eccleſiæ* (**S. Thomas Turffjen**) *cujus vigiliam octava ante & eadem poſt feſtum die publico in plateis exſtructo igne majorum inſtitutione concelebrat juventus. Quo ritu & S. Joannis Baptiſtæ feſtum aliique alibi Sancti veſpere diei feſti coluntur, atque adeo ipſe D. Martinus, defenſor patriæ, ut in campana legitur turris dominicæ, apud nos facibus accenſis in profeſto ejus poſt meam pueritiam cultus eſt; argumento charitatis in dictos divos, lætitiæ item ac triumphi ſigno hieroglyphico, ut ap. Jo. Pier. Valerianum, Cœlium Rhodiginum antiq. Lection. l. 15. Guil. Durandum l. 7. c. 14. n. 12. Lipſium Electorum l. 1. c. 3. & ad Senecam fol. 504. videre eſt.* Quo magis abhorret ignem Joanneum a gentium ſacris, aut levibus Græcorum nugis derivare. Faceſſant igitur novitii Doctores, ac abuſus cum vero uſu miſcere jam tandem deſinant. Scilicet ita fieri amat, ut quidquid totius populi expoſitum eſt uſurpationi, illud a vulgo tandem contaminetur, atque neſcio ad quas trahatur ineptias; unde & ipſa hæc chriſtiana in Baptiſtæ natalitiis publicæ privatæque gratulationis, lætitiæ, feſtivitatis indicia limitibus ſe includi ſuis paſſa non ſunt. Referendus eo mos Altiſiodori olim uſitatus, ut in pervigilio S. Joannis campanas jugiter pulſarent, populumque ad ſacra mane ſequen-

Ddd

(*a*) Brandfackeln.
(*b*) Serm. *de Nativ. Joh. Bapt.*
(*c*) ad LAMB. HORTENSII *Res Ultrajectinas* fol. 3.

ti obeunda tota concirent nocte, a COLBERTO ob immoderata plebis tripudia a. 1674. ſublatus (*d*). Alii deinde varias ex his ignibus elicuerunt ſuperſtitiones; quas jam a. 1510. in unum quaſi faſcem collegit MARTINUS DE ARLES Canonicus Pompejopolitanus in Hiſpania, quae ipſa etiam aliis de locis dici poſſint. *Cum in die S. Joannis*, ait (*e*), *propter jucunditatem multa pie aguntur a fidelibus, puta pulſatio campanarum & ignes jucunditatis, ſimiliter ſummo mane exeunt ad colligendas herbas odoriferas & optimas & medicinales ex ſua natura & ex plenitudine virtutum propter tempus. Sunt quidam vulgares adeo ſuperſtitioſi, ut quae fiunt ad ſolemnitatem & jucunditatem feſti, credant fieri ad remedia ſuperſtitioſa, ut pulſationem campanarum ad effugandos ſpiritus, vel maleficas, quae vulgariter Broxae nuncupantur* (*f*). *Quidam ignes accendunt in compitis viarum, in agris, ne inde tales ſortilegae & maleficae illa nocte tranſitum faciant, ut ego propriis oculis vidi. Alii herbas collectas in die S. Joannis incendentes contra fulgura, tonitrua & tempeſtates credunt ſuis fumigationibus arcere daemones & tempeſtates, quod commune eſt apud nos & ſaepenumero in mea viſitatione reprehendere curavi.* Similesque demum ſuperſtitiones de Auſtria ſuo tempore inſignis ejusdem Epiſcopus notavit FRIDERICUS NAUSEA mortuus 1552. Recentiori porro aevo quis neſciat eosdem ignes ex eadem Auſtria his ipſis argumentis exterminatos fuiſſe? Quum enim aliae ex aliis ſubleſtae in turba enaſcerentur cerimoniae, trajectiones per ignem Joanneum invaleſcerent, quibus ut olim apud Romanos jura hominum perſaepe turbarentur, praeterea etiam lignorum penuriae cauſſa non levis adderetur, hinc aedificiis quoque contiguis damna ſtruerentur, ac demum unde pietas nutrimentum haurire debebat, inde ſuperſtitionis & publicae noxiae fomentum exiſteret, in terris

(*d*) v. *Memoires concernants l'hiſtoire eccleſiaſtique & civile d'Auxerre* par l'Abbé LE BOEUF. T. I.

(*e*) in *Tract. tractatuum* ed. Lugd. 1544. T. IX. p. 133.

(*f*) v. praecedens opus L. I. c. 2. §. 63.

Austriacis per edicta publica, quæ quotannis proclamatione renovari solent, ignes hi penitus exstirpati fuerunt. Nihilominus tamen innoxius horum ignium usus edictis illis comprehendi non videtur; ejusmodi certe, quem suo tempore REISKIUS (*g*) in inferiori Saxonia notaverat. Ibi enim Joannei festi nocte ex cœnaculis laternas suspendere solebant, flore papaveris erratici exornatas, ut inde splendor emergeret lucidissimus.

XIV. Superest modo, ut de antiqua illa diei hujus nomenclatione, qua in Austria priscæ linguæ sede utimur, aliqua adnotemus. Antiquissimus noster poeta ENNENKELIUS eam prodit, cum Friderici ducis Austriæ cum Bela IV. Rege Ungariæ pugnam describit, cujus diem his adsignat versiculis:

Darnach an Sant Johanns Tage
Nach der Kronkhen Sage
Der da Sunibent ist genant (*h*).

Unde prout ex aliis pluribus documentis constat ipsum Joannis diem correcto vocabulo Sonnenwende nuncupari, quod & ea sermonis consuetudo firmat, qua ignem Joanneum & Joannesfeur & Sonnenwendefeur promiscue adpellamus. Quæ tamen ipsa vox quum enuntiatione, deinde & scriptura diversis corrumperetur modis, varia loquelæ monstra parturiit. Nam & Sunwinde, Sumrenden, Somweder, Sonnabend, & Sunbentag apud HALTAUSIUM (*i*) invenias. Alibi hominibus extraneis denotare oppidum in Austria visa est (*k*). Quum vero non aliud denotet quam solis conversio-

(*g*) Unterſ. des Nodfyrs &c. 1696. c. 8. p. 17. libello citato in opere præced. l. 1. p. 135. ubi ceteroquin absque ratione ignem Joanneum ad expiationem ethnicam trahit.

(*h*) v. nos Verſ. ein. Geſch. der öſter. Gel. p. 13.

(*i*) *Calend.* p. 110. 111. Plebi nostræ Sunäwet.

(*k*) v. *Chron. Austr.* ad a. 1467. quod exstat in *selectis* SENCKENBERG. T. V. p. 112. 135. 152. 153. 327. ubi Auf St. Johannistag zu Suntwenden, auf St. Johanestag Sunwenden, An S. Johans Abend zu Sunwendten, An St. Johans Nacht zum Sunwendten, des von Puechhaimb Sach ward ausgestelt bis auf Sunewendten occurrunt, & in indice III. de oppido declarantur.

nem, haud alia ex ratione gentilibus eam nomenclationem receptam fuisse patet, quam quod solis dei conversiones attenderent, æstivamque hanc mutationem κατ᾽ ἐξοχὴν multis cum lætitiæ publicæ signis memoriæ imprimerent (*l*). Inde quum festum Joanneum ad diem XXIV. mensis Junii adfigeretur, hic autem dies morali æstimatione ab hac ipsa solis volutatione æstivum tempus trahere videatur, unde & vulgus nostrum diem S. Joannis dicit esse longissimum, quamvis aliter se res habeat, ad hunc quoque eam adpellationem produxerunt christiani. Melius licet Latinis exprimentibus. Pactum Trausniciense Ludovicum Bavarum inter & Fridericum Austriacum vult Fridericum reconciliatione haud secuta redire in captivitatem *ad sancti Joannis diem sub solstitium, qui proxime venturus est.* Occasione nunc hujus vocis illud observo, quod gentes non obstante commercii mutui ductu veteribus suis insolitisque dierum adpellationibus semper inhæserint mirifice. Profecto extra nostram voculam singularum hebdomadæ dierum christianis etiamnum usitatæ denominationes ultimis debentur paganismi tenebris. Quod ubi ex meis quoque observatiunculis paucis communivero, finiam.

XV. Germani videntur ab initio aliquos dies a diis suis domesticis denominasse, quod iisdem sacrati fuerint, prout ipsa, de qua paullo ante sermonem instituimus, vox indicat, donec serius deinde ipsi quoque Romanorum exemplo portiones temporum in septem dies dispescerent. Conferatur Dio Cassius historiæ romanæ libro XXXVII. Diem itaque Solis & lunæ simpliciter a diis communibus Sun- & Mon-tag dixere. Dies Martis vetustissimo, nobisque fere usitato nomine Erchtag vel Erichtag audit, a Celtico Erch *horrendus*, quod Cl. Wachterus romana & græca Germanis libenter tribuens nomen esse Martis scribit, unde reges Daniæ Erici adpellentur (*m*). Ego e nostra dialecto illam partem oppidi

(*l*) Hæc solis conversio significabatur olim eo ritu, quo solebant hoc festo die *rotam* volvere. Durand. in *Rationar.* L. 7. C. 26. Rota forte superstite ex curru illo Solis. Ritus tamen hic etiamnum in variis Germaniæ partibus durat.

(*m*) Inde etiam Erichus dux in historia Caroli M.

Stadtberg in Westphaliæ ducatu, quæ vulgo Mersberg, Marsberg, Eresburg, latinis passim *Mons Martis* (*n*), malim in Erichsberg rescribi, neque, ut quibusdam videtur a græco Ἄρης deduci posse putem. Angli *Tuesday*, Belgæ *Dysentag* a Deo Tuiscone eum diem nuncupant. Saxonibus dicitur Dingstag, quod judicia Dinge, plerumque hac die habebantur (*o*), vocabulo in Dienstag, De-instag corrupto. Suevi simpliciter ab ordine dierum Aftermontag dicunt. Neque vero Cl. WACHTERI Dienstag a *Tüsdag*, & hoc a θύειν vel φθίειν derivantis etymologia placet. Sequitur dies Mercurii, quem generaliter diem hebdomadam intersecantem die Mittewoche adpellamus, rusticis nostris der Midi, a Gothico *Midja*, *medium*. Anglis est *Wednesday*, Suecis *Wodnesdæg*, Cimbris *Wonstag*, Westphalis & Geldris Wodensdag, & Godensdag a Wodano Germanorum summo deo atque universi Præside, quod VOSSIUS præclare jam vidit (*p*). Sed in diplo-

(*n*) ut in diplomate apud SCHATTENUM *Annal. Paderhor.* ad an. 1228., & CANTIPRATANUM *de Apib.* I. 19.

(*o*) v. HENRICI BROKES diss. *de veterum Dingeswinde* cum programm. RUD. ENGAU *de pace judiciali vulgo Dingesfriede.*

(*p*) *Theol. Gent* lib. I. c. 37. Non possum quin heic ad decus illud poeseos germanicæ cel. KLOPSTOCKIUM adpellem. Is, eo in libello, quo pugnam Hermanni decantat, sequentem animadversionem profert, quæ in rem nostram hoc loco adpingi omnino mereatur. Dicit p. 138. Majoribus nostris quum ii bellum rebus anteponerent aliis, collibitum esse huic inprimis deum supremum præficere, ut ipsis adjutorio esset. Hinc eum non esse Martem; prout nec is fuerit *Thoro*, vel *Thur*, licet hic deus bellicosus, deorumque medioxumorum protector foret. Non esse hunc Jovi comparandum, quod fulmen quoque gerat; quum id dumtaxat habeat ut deus tempestatum ac fœcunditatis. Proprium Germanis belli numen deum illum fuisse medium, quem Tyr vocaverint. Ceterum coloniis Scythicis primum deorum pro temporum locorumque diversitate nominatum fuisse Wodan (Saxonibus & Longobardis teste Paul. Diac.) Godan, Gondan (Cluver.) Wooden (Edda), Woden (Beda), Odin, Oden, (Edda). (Nesciri an primus Scandinaviæ domitor nomen Odini sibi adsumserit, an hoc ei post mortem tributum sit ab aliis *) Eowthen (Anglosaxon.) Gode, Wode, Worde (Chron. vet. Germ.); atque Saxones qui conversi sint, ejurare cultum Wodani oportuisse, tuna Eren de Woden; testibus monumentis Paderbornensibus. Miror tamen heic colonias scythicas nominari, quod hoc in rebus germanicis Scytharum nomen jam explosum sit.

* Cl WACHTERUS in v. *Weidlich Odhen* seu *Odin* fortem notare docet.

matis importuna scribarum oscitantia eam nomenclaturam in Guten Tag conversam esse cernas, ut exemplis ex DATTIO & LUNIGIO petitis HALTAUSIUS commonstrat.

XVI. Dies Jovis communiter Dunerstag, a rusticis in toto Sueviæ tractu Dunstig loco Thurstag dicitur. Est autem Thur, vel Thor, Deus, ut dixi, fœcunditatis tempestatumque potens, ab ipsa, ut puto, altitudine denominatus (*q*). Quippe & montes Norici Taur & turris Thurm, Anglis *Tower*, & porta Thor vocantur, quæ singulæ voces notionem altitudinis habent, eumdemque fere sonum exprimunt, quia *o* & *au* permutantur, qua ratione ex aula olla, ex Ost Auster, ex Auster ab Italis *Ostro* &c. facta sunt (*r*). Angli, Dani, & Sueci origini convenienter *Thursday*, Thorsdag, immo ultimi Januarium mensem Thorsmanat RUDBECKIO teste efferunt (*s*). Nos in Austria Jovis diem abludenti rursum a ceteris vocabulo Pfinstag quin auxesi solita Pfingstag adpellamus. LEIBNITIUS dixit id nominis esse a Celtico *Pen*, quod caput significet, unde Alpes Penninæ, & Jupiter tamquam deorum caput penninus fuerit cognominatus (*t*). Aliud docent auctores *actorum eruditorum*, qui in recensione TYPORUM CHOROGRAPHICORUM W. LAZII hæc habent: *In descriptione Apennini montis l. 8. p. 56. refert Lazius monumentum vetustissimum ac nobile de Valle Pennina hodie vulgo Püntzgau, item Phyntzgetal* (immo Pinzgerthal) *eamque sive ab Hannibale Poeno sive a Vennonibus sive denique quod venusta sit, adpellari putat; cum verioris opinionis auctorem sequi potuisset Livium, qui l. XXI. c. 38. a Jove Pennino, quem gentes semigermanæ in summo vertice colebant, nomen inditum esse tradit. Certe hinc manifesta est ratio nominis germanici illius, & cur hodieque in illis terris Phintztag vul-*

(*q*) ERICUS OLAUS *Hist. Suec.* l. I. c. I. adposite scribit: *Pro pluvia & aura necessaria invocabant* THORUM, *tanquam* POTENTEM IN SUBLIMI.

(*r*) v. nos in scriptiuncula tacito nomine edita: Beobachtung über das Wort Oesterreich. ap. Trattnern a. 1760. in 8vo.

(*s*) *Atlant.* T. I. c. 5. p. 104.

(*t*) *Collect. etymolog.* P. I. p. 137.

go appelletur (*u*). Ego tamen contra putem, velut alios locales deos a ſuo quemvis loco, ita deum, ſeu ſi mavis Jovem hunc ab illa valle ſeu mavis monte cognomen geſſiſſe, ut adeo etiam dies noſter a deo iſto epichorio aut locali denominationem ſuam ceperit. LIVII error etiam male habet Cl. SCHOEPFLINUM (*x*), ubi præclare advertit *Penn* Celtis *altitudinem* in genere, *colles montesque* denotaſſe, immo numen hoc nihil aliud quam *montem deificatum* fuiſſe. Lætus id refero, quod in eum SCHOEPFLINI locum inciderim, poſtquam mea jam chartis mandaſſem. Sed & non ſolum in noſtris terris id nomen viguiſſe reperio. In fabula etenim Germanica vulpeculæ REINIKES mox ab initio dies iſte dicitur **der Pynkſte dach**, quæ adpellatio eam & in Germaniam inferiorem uſque divulgatam fuiſſe oſtendit.

XVII. Demum dies Veneris notiſſimum ubique vocabulum ſortitus eſt **Freytag** a *Frea* Germanorum, quam Venerem Romanorum eſſe probare nititur CHRISTOPHORUS ARNOLD in epiſtola ad GEORGIUM RICHTERUM (*y*). Videntur veteres ſponſalibus aut nuptiis diem dedicaſſe. Saturni diem Angloſaxones *Sæternesdæg*, Angli hodierni *Saturday*, Belgæ *Saterdag* a Saxonum idolo *Sæter* (*z*), quod alias *Crodo* vocabatur, enunciant. Danos ait WORMIUS (*a*) poſtremum hunc hebdomadæ diem *Lóverdag* vocare a conſuetis tunc corporum per balnea & lavacra expurgationibus, lavare enim vel corpus aqua abluere *at lóve* dicere Danos. Sed JOAN. WASTHOVIUS in præf. *ad vitas Sanctor.* a flamma, quæ ſeptentrionalibus *Lowe*, vel *Lue*, deducit, quaſi diem flammæ ſacrum *Lovedag*. OTTFRIDO & aliis *Sunnunuabend*, id eſt **Sonnenabend**, quaſi veſperæ aut vigiliæ ſolis, quod ſeptimo quoque ſigno maximas in cœlo mutationes obeat. Franci voce ſerius cuſa

(*u*) *Act. Erudit.* 1730. p. 368.

(*x*) *Alſat. illuſt.* T. I. p. 50. 486.

(*y*) v. RICHTERI *Epiſtolæ* Norimberg. 1662. 4. p. 503. — 505.

(*z*) RICHARD VERSTEGAN *Reſtitution of decayed intelligence in Antiquities* Ch. 3.

(*a*) in *Faſtis danic.* L. I. C. 15.

Samstag, Gallis nunc *samedi*, a sabbatho, unde Sambaztag, & contracte Samstag efformarunt, qua ratione ex Ambacht, Amt, Ambachtslehn, seu Amtslehn enata sunt. Hæc de nomenclationibus dierum plerumque ethnicis. In has passim Ecclesiæ Doctores invehuntur. AUGUSTINUS eos qui ethnicas dierum nomenclaturas usurpant, dudum in enarratione Psalmi XCIII. perstrinxit. Quum etiam Gentiles ipsum diem XXV. m. Decembris, quo Christiani a secundo & tertio inde seculo natalem Servatoris celebrabant, *solis novi* nomine insignirent, ac soli festum agerent, quasi ea luce Sol ex antichthonum hemisphærio ad nos remeare incipiens renascatur, CENSORINO, CHRYSOSTOMO & AMBROSIO testibus, S. LEO christianos ei adpellationi inhærentes *stultissimæ gentilitatis erroribus imbui* exclamat Serm. II. de *Nat. Christi.* Videantur notata ad LACTANTII lib. *de mortibus persecutorum* c. XXV. in editione Cl. BAULDRII. Nos hodie ejus generis vocabulis velut rerum corticibus utimur. Ecclesia nec his utitur.

IN

AUCTOREM OPERIS

O D E.

Qualis deorum rex, nova cum ruit
In bella victor, fulminibus manum
Armat lacessitam, necesque
Perfidiæ parat indecoras;

Pestem vibravit: non revocabilis
Lapsu cruento præcipitat furor,
Disjecta perque orci latebras
Agmina fœda silent Gigantum;

Horrenda gessit prælia CAUCIUS
Virtute magno haud absimilis Jovi;
Videre gentes, & triumphos
Attonitus gratulatur Orbis.

Sed quid Magorum vana cohors, diu
Indocta frangi, pro pudor! aut male
Dorso insidentes hirci olentis
Crine truces Saganæ soluto,

Ridenda posthac monstra paventibus
Umbram puellis? Quid Veteres doli
Patrumque natis exsecranda
Barbarie stabilitus error,

Quid Judicum ausus intolerabiles
Heroa contra magnanimum valent?
Cauto præibant nempe gressu
Consiliumque potens & almi

Mater sagax Prudentia ConsilI.
Hinc arma gaudens Relligio dedit
Desævientum adsueta turmas
Intrepida edomuisse dextra.

Hinc luminum arctis libera vinculis,
Qualis revixit, Justitia excubat,
Olimque turpatum cruore
Innocuo, in patriæ salutem

Constringit ensem. Maxime militum,
Quam Te minæ ornant, fronsque severior,
Et crimen indignans avitum
Stultitiæque inimicus ardor!

Sublimis alto colloca Honor virum
Non æmulorum absque invidia loco,
Et docta Pallas fido alumno
Usque novas properet coronas!

Tum fama, circum quas tulit undique
Laudes, laborum debita præmia,
Rursum sonans verace linqua
Solis utramque domum pererret.

VI. idus Martias
MDCCLXIX.

VENCESLAUS HEINZEUS
e Soc. J. in Collegio Theresiano.

EPIGRAMMA.

Quod justo bello CAUCI *lemuresque magosque*
Impetis & veri regna tuere Dei,
Dignus es antiquos celebret cui Roma triumphos,
Inserat & fastis Teque librumque suis;
Quod vero annosas fraudes legesque refellis,
Stulta & prætorem relligione levas,
Dignus es ob Cives Servatos, aurea cujus
Splendeat in nostro grandis imago foro.

XII. Calendas Aprileis
MDCCLXIIX.

ADAMUS FRANCISCUS COLLAR
a Consiliis Augustæ & Bibliothecæ
Palatinæ Custos primus.

Indiculus Erratorum & Addendorum.

Pag.	Lege
15. Not. *r.* lin. 29. Hæres. 34.	Cont. Hær. c. 9.
ibid. lin. ult. Odin.	Ode
18. Not. *y.* l. ult. Afferunt	Adſerunt
30. lin. 19. adde:	Strabonem idem de Luſitanis teſtari Lib. 3. *Ex inteſtinis*, ait, *quoque hominum maxime captivorum divinationes captant.*
lin. 4. Adrian. Relandus	Petrus Relandus
31. lin. 25. Poſt ejus vero mortem	Poſt Juliani Apoſtatæ mortem
38. Not. *u.* l. 17. Conſtantini phraſin	Auguſtorum phraſin
41. Not. *c.* lin. ult. Cerei	Cereri
46. lin. 21. *te* deleatur.	
50. lin. 19. poſt: laudantur: adde:	Quæ poſtrema Plinii verba de litium Victoriis ut intelligantur, adeundus eſt Brummerus V. C. comment. ad L. Cinciam c. 9., ubi ſuperſtitioſas & aniles Oratorum græcorum advocatorumque romanorum artes, ne palmariis exciderent, commonſtrat, n. 10. 11.
56. lin. 20. poſt: Porro:	ponatur numerus III.
63. Not. *s.* Apul. Metam. I.	Apuleji *Apolog.* Opp. p. 290. verba hæc ſunt: *Quod ego apud plurimos lego, Perſarum lingua magus eſt, qui noſtra Sacerdos.*
79. lin. 6. Conſiliis poteſtatumve	Conſiliis ducum poteſtatumve
101. Not. *g.* adde:	Ut vero infinitam in hiſtoriola Simonis comenda ſequioris ævi fingendi libidinem cognoſcas, diſce id licet ex Georgii Metochitæ Scriptoris græci Sec. XIV. Hiſtoria Romana edit. Meurſii p. 77.
136. lin. 14. adde:	Quæ heic de Bonifacio referuntur, ea, ne id neſcias, exſtant apud Keyslerum in *Antiquitatibus Celticis & Septemtrionalibus.*

157. lin. 14. Odie	Odio
181. lin. 2. aptaſti	optaſti
197. lin. 10. porrigantur	porriguntur,
ibid. lin. 27. editionis	editiones
223. lin. 24. Lis	Iis
292 lin. 25. desictum	delictum
319. lin. 14. poſt: a Nerone	pone: notaretur.
322. lin. 25. librorum	liberorum
339. lin. 28. ſperabant	deſperabant

343. lin. 15. poſt: res: dele virgulam.